FVNDAMENTA
IVRIS
ECCLESIASTICI
CATHOLICORVM.

VOL. II.

SEV

PARS IV. V. & VI.

DE PERSONIS, REBVS ET IVDICIIS ECCLESIASTICIS.

IN VSVS SCHOLASTICOS CONSCRIPSIT

IOS. ANTON. SAVTER,

PHILOS. ET IVR. DOCTOR REG. CELSIT. M. D. BADEN. CONSIL AVLIC. IN ACADEMIA FRIBVRGENSI BRISGOICA IVR. ECCLES. QVONDAM PROF. P. O.

EDITIO III.

ROTWILAE,

IN OFFICINA LIBRARIA HERDERIANA.

MDCCCXXVI.

PRAEFATIO.

Libellos, quos hucusque fundamentorum iuris nostri ecclesiastici nomine edideram, quidam rerum litterariarum censores valde laudarunt *); alii autem, vt pro ingeniorum varietate fieri solet, non vno ex capite culparunt.

Sunt, quibus displicet, quod ius ecclesiasticum a doctrinis theologiae dogmaticae propriis auspicatus sim, quin et in decursu quaestiones, ad eam pertinentes, pertractauerim. — Sed hi aut nullam rationem habent iustae in docendo methodi, cuius prima atque praecipua lex est, vt ea semper praemittantur, ex quibus sequentia rectius intelligi, probarique planius possunt, aut rationem, quae inter theologiam dogmaticam et ius nostrum ecclesiasticum intercedit, non animaduertunt, aut illius praecepta, huc spectantia, adeo nota, et peruulgata esse ponunt, vt in iure canonico ne lemmatum quidem instar adhibenda, et ne breuiter quidem perstringenda sint. Recogitent, quaeso, censores illi, aliam iuris ecclesiastici Protestantium, aliam longe Catholicorum rationem esse. Illi ecclesiae Christianae originem, et constitutionem a voluntaria coitione et pactione repetunt; nos vero ecclesiam, diuinitus informatam, dogmatisque catholicis ita substructam habemus, vt, nisi haec recolantur, illius iura dilucide et *systematice* exponi haud possint.

Sunt porro, quibus insolitum et paradoxum videtur, quod sacramentum ordinis vniuersae potestatis ecclesiasticae fontem atque principium, et firmissimum iuris nostri ecclesiastici fundamentum appellauerim. — — Ideo forte paradoxum, quod suboleant, hoc sumto, plures quaestiones, apud theologos et canonum interpretes seuere adhuc agitatas, subito intercidere, pluresque dicendi formulas, queis, vtut obscuris ac ambiguis, tamen quasi solennibus assueti sunt, prorsus abiiciendas esse? Sed quid non insolitum iis videatur, qui, vtrum summi pontificis munus ad seruandam liturgiae quoque, et disciplinae integritatem pertineat, valde dubitant.

*) *Ephemerides litterariae German. super.* an. 1806. num. 61. *Goettingenses* an. 1807. num. 142. an. 1810. num. 52.

Sunt deinde, qui, iuris nostri ecclesiastici fundamenta adeo marcida, contrita et collabefacta iam esse, opinantur, vt cum iis decertare operae pretium non sit, qui illa firmare, et expolire irrito plane, vt aiunt, vanoque conatu annituntur. — — Qui nempe nullas aedes, nisi ligneas, et stramine contectas, norunt, incendio, in domo lapidea fors exorto, quin tota conflagret, et in cineres abeat, cogitatione assequi non possunt. Nos Christi effatum de ecclesia eiusque iure securos reddit: *Et portae inferi non praeualebunt aduersus eam* Quod autem ad *Corpus* illud *canonum*, quo hucusque vsi sumus, attinet, plura quidem eius capita partim penitus sublata, partim valde immutata sunt; multo plura tamen, eaque vere ecclesiastica, canonumque disciplinae propria adhuc persistunt, cum pleraque illorum fori ciuilis potius, quam ecclesiastici nunquam non fuerint. Adhuc porro ius illud canonicum toti ecclesiae Latinae *commune* est, eritque in posterum, quotquot etiam nouas constitutiones superaddideris, quae caeteroquin sicut subito persaepe nascuntur, ita raro diuturnae, semper vero ex *veterum legum regulis* aestimandae sunt.

Itaque laetus animoque fidenti pergo ad reliquas iuris nostri ecclesiastici partes. Et nunc quidem pari, vt ante, contentione implicatas rerum notiones euoluere, certas atque definitas sententias reddere, et perspicuitatem cum breuitate sociare, quoad poteram, enisus sum Memor insuper illius dicti: *Turpe est Icto sine lege loqui;* omnes positiones canonum legumque auctoritate firmare et illustrare vsque eo studui, vt nullum iuris locum citarem, quem non inspexerim; nullum, quem rei accommodatum, et proprium non cognouerim.

Equidem sentio, scriptionem hanc non solum valde laboriosam, sed etiam ingloriam esse Latina haec sunt, et sacra; trita, inclamant, et obsoleta; ad eum certe, qui nunc regnat, gustum ac genium minime parata. Ad haec *solent in hisce regionibus* (vti suo tempore Arnold. Corvin. in *praefat. ad Ius canon.* conquestus est) *non tantum omnes ius hoc canonicum negligere, sed ex iis multi illud cane peius et angue odio prosequi.*

Tantum ab incepto non desistam, idque, quo conuenientius muneri meo est, eo diligentius deinceps persequar. Dabam Friburgi Brisgouiae die XXVI. Iul. MDCCCXI.

IVRIS ECCL. CATHOLIC.

PARS IV.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

SECTIO I.

DE STATV CLERICALI.

CAPVT I.

DE STATV ECCLESIASTICO ET CLERICALI GENERATIM.

I. 1. De Summa Trinitate et fide catholica.

§. 370. Tria iuris obiecta.

Tria esse *iuris obiecta*, nimirum *personas*, *res* et *actiones*, haud abs re tradiderunt veteres (*a*). Omne enim ius redditur personis de rebus per actiones et iudicia. *Et de personis primum videamus. Nam parum est ius nosse, si personae, quarum causa constitutum est, ignorentur* (*b*).

(*a*) L. 1. *de stat. hom.* (*b*) §. 12. Instit. *de I. N. G. et C.*

§. 371. Persona, Status.

Persona est homo cum statu suo consideratus. *Status* est conditio hominis, a qua obli-

gationes et iura eius pendent. Idem homo plures personas sustinet.

§. 372. Status ecclesiasticus.

Conditio illa vel a natura est, vel a facto et instituto quodam: vnde *status* vel *naturalis* vel *aduentitius* dicitur. Officia porro et iura, inde pendentia, vel ciuili, vel ecclesiastica lege constituta sunt: hinc status in *ciuilem* et *ecclesiasticum* diuiditur (*a*).

(*a*) De statu *naturali* et *ciuili* interpretes iuris ciuilis consulendi sunt.

§. 373. Communis et peculiaris.

Status ecclesiasticus vel *communis* est omnium ecclesiae membrorum, vel *peculiaris*, seu quorumdam tantum proprius. *Personae* igitur *ecclesiasticae* generatim sunt, quicunque statum ecclesiasticum saltem communem habent.

§. 374. Status eccles. communis.

Status ecclesiasticus communis nominis Christi professione, acceptoque ex ea baptismo (§. 25.) nititur. Inde *Christiani*, iique *catechumeni* (*a*), aut *baptizati*; alii omnes *infideles* appellantur.

(*a*) Iis quodammodo similes, qui in iure Romano ob statutam in tempus aut conditionem libertatem *statu liberi* vocantur. L. 1. *de stat. lib.*

§. 375. Eius iura et obligationes.

Status communis haec sunt praecipue I. *iura*, nimirum 1. communiter agendi et obeundi cultus diuini externi partes, 2. participandi sacramenta et sacramentalia, 3. adeundi scho-

las publicas, institutioni in rebus sacris dicatas, 4. aspirandi ad officia ecclesiastica, stipendia aliaque commoda, in fauorem membrorum ecclesiae constituta. II. *Obligationes*, iuribus hisce respondentes, primariae sunt 1. fidei morumque dogmata, ecclesiae docentis testimonio firmata, profitendi, 2. professionem hanc frequenti sacrorum communione comprobandi, 3. legibus ecclesiasticis obtemperandi.

§. 376. Respectus ecclesiae catholicae.

Habita ratione *ecclesiae catholicae* (§. 109.), sanctissima *vnitatis lege* obstrictae (§. 111.), iuribus illis excidunt 1. *apostatae*, qui a fide, per baptismum Christo data, plane deficiunt, 2. *haeretici*, qui dogma, ab ecclesia catholica agnitum probatumque (§. 74.) palam reiiciunt, 3. *chismatici*, qui remedia, ad seruandam ecclesiae vnitatem comparata, aspernantur, tolluntque.

§. 377. Status eccles. peculiaris triplex.

Status eccles. peculiaris triplex est, *clericalis* nempe, *religiosus* et *ecclesiasticus*, speciatim sic dictus. Qui alterutro gaudent, *personae ecclesiasticae* sensu angustiori audiunt, eoque sensu *clerici* et *personae ecclesiasticae* in iure nostro distinguuntur (*a*).

(*a*) Cap. 12 *de Elect.* in VI. Omnes nempe clerici personae eccles. sunt; sed non omnes personae eccles., veluti religiosae, clerici sunt.

§. 378. Status clericalis; Clerici, Laici.

Status clericalis ab *ordine*, hoc est, a facul-

tate *ministerii* aut *sacerdotii* (§. 56.) munus obeundi ducitur, eoque respectu Christiani vel *clerici* vel *laici* (§. 67.) dicuntur, prout ad eiusmodi munus solenni ritu destinati sunt, vel non (*a*).

(*a*) De appellatione et distinctione *clericorum* et *laicorum* vid. Can. 1. Dist. XXI. Can. 5. 7. XII. q. I. Cap. 16. *de Praebend.*

§. 379. Clerici tonsurati, ordinati.

Ritus ille solennis, si ordinem tribuit, *ordinatio*, si ad ordinem suscipiendum tantummodo praeparat, *prima tonsura* vocatur (*a*): vnde *clerici* vel *ordinati*, vel *tonsurati* appellantur (*b*).

(*a*) Ritus hic inde nomen habet, quod candidato capillorum particula abscindatur. Mos autem capillos iis resecandi, qui ad clericorum ordinem aspirant, siue a Romanis, siue a monachis receptus sit, seculo V. iam viguit. HIERONYMUS ap. *Gratian*, Can. 7. XII. q. I. clericos *a rasione capitis*, *a corona in capite* laudat, eamque rem institutioni ecclesiae Romanae tribuit. (*b*) Cap. 11. *de aet. et qual. praefic.* Cap. 4. *de Temp. ordin.* in VI.

§. 380. Ordines minores et maiores.

Ordo generatim plures cum *ministerii*, tum *sacerdotii* functiones et gradus, veluti totidem *ordines speciales*, complectitur, qui proin in *maiores* et *minores* distinguuntur. Ordines *maiores* seu *sacri* sunt, qui caelibatus seruandi, et in statu clericali permanendi necessitatem imponunt; *minores* autem, qui et nuptias faciendi et ad statum laicalem redeundi facultatem permittunt.

§. 381. Clerici minores.

Ordines *minores* omnes in *ministerio* versantur, eosque tenent *Ostiarii*, *Lectores*, *Exorcistae* et *Acolythi* (§. 56.), ad id quondam speciatim destinati, vt sua singuli munia in ecclesiis obirent (*a*). At iam pridem mos ita obtinet, vt *exorcistarum* officio soli *presbyteri* fungantur; reliquorum vero partes laici passim sustineant. Nunc igitur ordines minores vix vnquam tribuuntur, vt iis initiati eos exerceant; sed vt veteri more per eos, quasi gradus, ad maiores ascendant (*b*).

(*a*) Eorum munia explicat ISIDORVS ap. *Gratian.* Can. 1. §. 15—19. Dist. XXI. Can. 1. §. 1—6. Dist. XXV. *Psalmistas* et *Cantores*, quos canones, vti Can. 20. Dist. XXIII. Can. 1. §. 4. Dist. XXV. memorant, clericos *tonsuratos* fuisse, interpretes monent.
(*b*) Veterem hunc morem tradit SIRICIVS Papa (an. 385.) ap. *Gratian.* Can. 3. Dist. LXXVII.

§. 382. Clerici maiores alii in ministerio.

Ordinum *maiorum* duplex est genus. Alii in *ministerio* subsistunt; alii *sacerdotii* dignitatem afferunt. Priori genere *Subdiaconi* et *Diaconi* continentur, quorum munus praecipuum est, vt sacerdoti, res diuinas facienti, assistant (*a*). At vero, sicut clericos, qui minorum tantum ordinum munia obirent, nusquam fere videmus; ita, qui in subdiaconatu, aut diaconatu subsisterent, vel occupati solum essent, vix inueniuntur (*b*). Sed regula sic postulat, vt non nisi per omnes ministerii gradus ad sacerdotium procedatur (*c*).

(*a*) Eorum quoque partes exponuntur in Can. 1. §. 13. 14. Dist. XXI. Can. 1. §. 6. 7. Dist. XXV. *Subdiaconatus* seculo XII. demum exeunte ad maiores ordines additus est, vti ex Can. 4. Dist. LX. Cap. 7. *de serv. non ordin.* Cap. 9. *de aetat. qual. et ordin.* apparet (*b*) Excipe *canonicos ecclesiarum cathedralium*, quibus persaepe satis est, modo subdiaconi sint. (*c*) Conc. Trid. XXIII. Cap. 2. et. Can. 2. *de Sacram. ordin.* Qui propterea otiosam dicunt cum primam tonsuram, tum ordinum istorum, et clericorum diuisiones, animum ad cerimoniarum vsum, et rationes non aduertunt, carpendi scilicet studio abrepti.

§. 383. Alii in sacerdotio.

Sacerdotium, si *facultatem* spectas, vnum idemque est penes omnes, qui eodem praediti sunt (§. 45.). Sed ratione *exercitii* duplex est sacerdotum ordo (§. 51.). Alii enim sunt *sacerdotes episcopi*, *summi sacerdotes*, quibus solis certa ordinis munia, hoc est, *pontificalia*, vi officii exequi licet (*a*); alii *sacerdotes*, seu *presbyteri*, qui reliquas ordinis partes peragendi, et nominatim verbum Dei praedicandi ac sacramenta administrandi munus, hoc est, *curam animarum* susceperunt.

(*a*) Concessionis huius argumentum est ritus *consecrationis*, vi cuius nempe sacerdoti, ad dignitatem episcopalem vocato, potestas fit, munia illa *licite* obeundi. Cum vero haec potestas iis solum dari possit, qui sacerdotio insigniti sunt (§. 47.); consequens est, inanem ac nullam esse consecrationem illius, qui sacerdos non sit, *cum pontificale officium sine altaris ministerio non valeat adimpleri.* Cap. 10. *de Excess. praelat.*

CAPVT II.
DE IRREGVLARITATE.

I. 17. De filiis presbyterorum ordinandis, vel non.
— 18. De seruis non ordinandis, et eorum manumissione.
— 19. De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.
— 20. De corpore vitiatis ordinandis, vel non.
— 21. De bigamis non ordinandis.
V. 27. De clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.
— 28. De clerico non ordinato ministrante.

§. 384. Habilitas ad ordines.

Qui ordinem petunt, non solum *habiles* ad eum accipiendum, sed etiam *idonei* ad eum rite exequendum sint, necesse est. *Inhabiles* sunt *non baptizati* (*a*) et *feminae* (*b*), quibus ne *valide* quidem ordo dari potest.

(*a*) Cap. 1. 3. *de presbyt non baptiz.* (*b*) I. Cor. XIV. 34. Can. 29. Dist. XXIII. Cap. 8. *de conuers. coniug.*

§. 385. Irregularitas.

Minus idonei sunt, qui dotibus, quas canones in clericis requirunt, carent, iique, quod a *canonibus* seu *regulis* istis alieni sunt, *irregulares* vocantur. Itaque *Irregularitas* est impedimentum canonicum, quo laborans ordines nec *licite* accipere, nec acceptos *licite* exercere potest (*a*). Ratio autem eiusmodi impedimenti vel in *defectu* a culpa vacuo, vel in *delicto* sita est.

(*a*) Vox haec: *irregularitas* in antiquis canonibus non occurrit; seculo XIII. demum recepta, latiusque explicata, et ab aliis *censuris* et *poenis* ecclesiasticis distincta est. Cap. 33. *de Test. et attest.* Cap. 16. *de Homicid.* Hinc est, quod interpretes *suspensionem* cum *irregularitate* saepius confundant, et in recensendis irregularitatibus valde inter se dissideant. Nos eas percensebimus, de quibus inter omnes conuenit.

§. 386. Irregulares ex defectu.

Ita vero irregularitatem inferunt *defectus* 1. *natalium* legitimorum (*a*), 2. *scientiae* ad functiones ordinis necessarie (*b*), 3. *aetatis*, singulis ordinibus praefinitae (*c*), 4. *corporis*, quo vel rectus ac decens ordinis vsus impeditur, vel risus, et nausea aliis mouetur (*d*), 5. *plenae libertatis*, quo laborant *serui* et *glebae adscripti* sine dominorum (*e*), *mariti* sine vxorum consensu (*f*), et *administratores rerum alienarum*, rationibus nondum redditis (*g*), 6. *fidei nondum satis probatae*, quo *neophyti* et *clinici* pertinent (*h*), 7. *significationis sacramenti* matrimonii, quam abesse aiunt in *bigamis*, iisque, qui vel viduam, vel defloratam duxerunt (*i*), 8. *perfectae lenitatis*, qua carere censentur iudicii criminalis administri et adiutores, morte vel mutilatione rei secuta (*k*), et quicunque in bello illatae suis manibus necis vel mutilationis conscientia tenentur. (*l*).

(*a*) Cap. 1. *de fil. presby*. Eiusdem conditionis sunt filii ex vxore nati, postquam maritus, ea consentiente, sacrum ordinem accepit. Cap. 14. *eod.* (*b*) *Tonsurandus* chrismatis sacramento confirmatus sit,

et praeter fidei rudimenta legere, et scribere sciat. *Ordines minores* Latinae linguae saltem notitiam, *maiores* autem scientiam ad functiones rite obeundas necessariam exposcunt. Conc. Trid. XIII. Cap. 4. 11. 13. 14. Legibus domesticis cautum est, vt ordines sacri non tribuantur nisi illis, qui haustae in academia ex omnibus disciplinis theologicis, iure canonico, arte catechetica et paedagogica doctrinae testimoniis muniti sunt. Vid. *Constitut.* 109. 111. 119. in *Collectione legum anterioris Austriae* Volum. VIII. IX. Friburgi 1796., (§. 252.) ex qua leges Austriacas, in terris anterioris quondam Austriae promulgatas, et apud nos nondum abrogatas, deinceps laudabimus. (*c*) Ordinum minorum aetas non est definita. In *subdiacono* annus XXII., in *diacono* XXIII., in *presbytero* XXV. inceptus, in *episcopo* XXX. exactus requiritur. Can. 4. 5. 6. Dist. LXXVII. Cap. 3. *de aetat. qual. etc.* in Clem. Conc. Trid. Sess. cit. cap. 12. (*d*) Can. 13. Dist. LV. Can. 2. VII. q. II. Cap. 2. 6. 7. *de corp. vitiat.* Cap. 2. 3. 4. *de cler. aegrot.* (*e*) Can. 1. 2. 21. Dist. LIV. Cap. 1. 2. 5. *de Seru. non ordin.* (*f*) Cap. 5. 6. *de cler. coniug.* (*g*) Can. 3. Dist. LIV. Cap. vn. *de oblig ad ratioc.* Excipe administratores rerum ecclesiasticarum, causarum piarum, et tutores legitimos. Can. 26. Dist. LXXXVI. Can. 1. XXI. q. III. (*h*) Can. vn. Dist. LVII. Can. 9. Dist. LXI. (*i*) Can. Apost. 16. 17. Can. 1. 2. Dist. XXXIII. Can. 8 — 15. Dist. XXXIV. Cap. 2. 6 *de Bigam.* (*k*) Can. 29 30. XXIII. q. VIII. Cap. 5. 9. *Ne cler. secular. negot.* Cap. 10. *de Excess. prael.* Leges nostrae clericis praecipiunt, vt in causis criminalibus, deposito irregularitatis metu, necessariam rerum notitiam iudicibus aperiant, testimonia perhibeant, quin et criminis laesae maiestatis reos denuntient. *Constit.* 226. *Collect. leg. anter. Austriae* cit. (*l*) Can. 1. 2. 4. Dist. LI. Cap. 24. *de Homicid.*

§. 387. Irregulares ex delicto.

Omnia *delicta publica* et *manifesta* sicut *infa-*

mes, ita et *irregulares* reddunt (*a*). De *occultis*, id est, non admodum notis et peruulgatis, aliisque non infamantibus regula est, ex illis tantum irregularitatem oriri, quibus poena haec *expresse* irrogata est (*b*). Et ita quidem irregulares sunt 1. rebaptizantes alium, et qui, se rebaptizari, patiuntur (*c*); 2. religiosi, et maiorum ordinum clerici ob matrimonium attentatum et consummatum, *bigami similitudinarii* inde dicti (*d*); 3. clerici censura affecti, qui actum sui ordinis exercent (*e*); 4. clerici, qui ordine non accepto funguntur (*f*); 5. occidentes vel mutilantes quempiam iniuste (*g*); 6. mutilantes semet ipsos, et qui, se mutilari, passi sunt (*h*).

(*a*) Can. 2. 17. VI. q. I. Cap. 4. 17. *de Temp. ordinat.* Cap. 56. *de Testib.* Cap. 87. de R. I. in VI. (*b*) Cap. 18. *de sent. excom.* in VI. *Gratian.* post. can. 32. Dist. L. (*c*) Can. 65. Dist. cit. Cap. 2. *de apostat. et reit. bapt.* (*d*) Can. 24. XXVII. q. I. Cap. 4. 7. *de Bigam.* (*e*) Cap. 10 *de cler. excom. ministr.* Cap. 1. *de sent. et re iud.* in VI. Cap. 1. 20. *de sent. excom.* in VI. (*f*) Cap. 1. 2. *de cler. non ordin. ministr.* (*g*) Cap. 10. 11. *de Homicid.* Cap. vn. *eod.* in Clem. Con. Trid. XIV. cap. 7. (*h*) Can. apost. 20—22. can. 4. seq. Dist. LV.

§. 388 Consectaria.

Alia igitur quaeuis delicta, quatenus non infamant, eatenus nec irregularitatem inferunt, veluti 1. iteratio confirmationis aut ordinis, 2. vulneratio iniusta, etsi grauis sit, 3. ausum laici, sacros ordines exercentis, 4. delicta alia, in dando speciatim, vel accipiendo exercendoue ordine commissa, in quae *suspensio* ab

officio *indefinite*, non ad *certum tempus*, aut *in perpetuum* constituta est. *Illa* enim suspensio *censurae* tantum, haec vero *irregularitatis* ceu *poenae*, rationem habet.

§. 389. Effectus irregularitatis.

Irregularitas ordinem tantum, eiusque functiones *directe* afficit, eoque respectu aditum quidem ad beneficia praecludit; nunquam tamen, etsi ex delicto orta sit, beneficio, quod quis habet, *ipso iure* priuat (*a*), neque obstat, quo minus quis iurisdictionem, aliosque actus ordini haud proprios exequi possit.

(*a*) Cap. 5. *Ne cler. vel mon. secul. negot.* Cap. 10. *de Excess. praelat.*

§. 390. Eius tollendae modus dispensatio.

Irregularitas ex *defectu* orta, eo cessante, pariter cessat; alioquin non nisi per *dispensationem* tollitur (*a*). Eius autem impertiendae ius partim expressa lege, partim ex consuetudine (§. 324.), summo pontifici reseruatum, et in quibusdam tantum speciebus episcopis relictum esse, tradunt.

(*a*) Alia *suspensionis* et *excommunicationis* est ratio. Vtraque nempe per *absolutionem* tollitur, quae, nisi speciatim summo pontifici reseruata sit, ab ordinario quouis iudice ecclesiastico dari potest. Cap. 29. *de sent. excom.*

§. 391. Certis in causis episcopo permissa.

Itaque, episcopi, eiusue, qui iurisdictione quasi episcopali vtitur, esse, aiunt, 1. restituere natales, sed ad minores tantum ordines et beneficia simplicia, (*a*) 2. diiudicare defectum

corporis (b), 3. remittere bigamiam *similitudinariam* (c), 4. veniam dare homicidio, culpa tantum commisso (d), 5. dispensare porro in omnibus irregularitatibus, ex delicto *occulto* oriundis, exceptis homicidio doloso, aliisque ad forum contentiosum iam deductis (e), immo etiam 6. in illis, quae ex defectu natalium, perfectae lenitatis, et ex bigamia proficiscuntur, quousque res adhuc *occulta*, scilicet non omnibus nota ac peruulgata, est.

(a) Cap. 1. *de fil. presbyt.* in VI. (b) Cap. 2. *de corp. vitiat.* (c) Cap. 4. *de cler. coniug.* (d) Conc. Trid. XIV. cap. 7. (e) Conc. Trid. XXIV. cap. 6.

CAPVT III.

DE ORDINATIONIBVS CLERICORVM.

I. 11. De temporibus ordinationum, et qualitate ordinandorum.
— 12 De scrutinio in ordine faciendo.
— 13. De ordinatis ab episcopo, qui renuntiauit episcopatui.
— 22 De clericis peregrinis.
V. 29. De clerico per saltum promoto.
— 30. De eo, qui furtiue ordinem suscepit.

§. 392. Ordinatio.

O*rdinatio* generatim est ritus sacer, quo alicui ordo defertur (§. 379). Quot ordines (§. 380.), tot sunt ordinationes, quarum vero illa tantum, quae presbyterum efficit, *sacramen-*

ti, quod *ordo* eximie dicitur (§. 44.) vim et naturam habet (§. 45.); reliquae omnes in *rituum sacramentalium* (§. 24.) numero habendae sunt.

§. 393. Ius ordinandi penes episcopum.

Ius ordinandi, hoc est, sacrorum potestatem in alios transferendi, est pars *ordinis*, seu *ministerii sacri* (§. 33.); *ius* autem *de ordinationibus rite faciendis statuendi* ad *iurisdictionem ecclesiasticam* (§. 34.) pertinet. Illud quidem in sacerdotio inest; eius tamen vsus non quibuslibet sacerdotibus permissus, sed sacerdotibus episcopis merito (§. 51.(reseruatus est.

§ 394. Minister ordinarius qualis episcopus.

Quare *minister* ordinationis *ordinarius* est *episcopus consecratus* (*a*) (§. 383.). Et is quidem, qualiscunque sit, valide (§. 47.) ordinationem peragit (*b*): vt autem *licite* id faciat, *catholicus*, *proprius*, aliamue ob causam *non prohibitus* sit, necesse est (*c*).

(*a*) Conc. Trid. XXIII. cap. 4. et can. 7. *de Ord.* (*b*) Can. 97. I. q. I. Nec obstant can. 1. 2 Dist. LXX. can. 1. 2. 3. IX. q. I. Cap. 1. *de Schismat.* aliique, in quibus *irritae* dicuntur ordinationes ab haereticis, et indignis episcopis factae. *Irritae* dicuntur, quatenus vel non seruata forma factae sunt, vel ordinis male suscepti vsum minime tribuunt. (*c*) Cap. 3. *de Temp. ordinat.* in VI. Conc. Trid. Sess. cit. cap. 8.

§. 395. Quinam proprius.

Proprius episcopus dicitur ratione 1. *originis*, in cuius dioecesi parentes ordinandi, cum is nasceretur, domicilium habuerunt; 2. *domicilii*,

vbi ordinandus fixam rerum suarum sedem constituit; 3. *beneficii*, vbi is beneficio fruitur (*a*), et 4. *familiaritatis*, quocum quis per triennium commoratus est (*b*). Potest igitur vnus ordo ab hoc, alter ab alio episcopo accipi, modo quisque sit proprius.

(*a*) Cap. 1. 3. *de Temp. ordinat.* in VI. (*b*) Conc. Trid. XXIII. cap. 9.

§. 396. Litterae dimissoriae.

Episcopus *alienus* tum demum *licite* ordinat, si ordinandus litteras *dimissorias* a suo episcopo exhibuerit (*a*). Et quamuis capitulum sede vacante alteri episcopo pontificalia exercendi facultatem dare possit; intra annum tamen a die vacaturae nec ordinandi licentiam, nec litteras dimissorias alicui concedere potest, nisi cum quis ratione beneficii ecclesiastici accepti, vel accipiendi arctatus fuerit (*b*).

(*a*) Conc. Trid. XIV. cap. 2. XXIII. cap. 8. (*b*) Conc. Trid. VII. cap. 10.

§. 397. Conditio episcopi se abdicantis.

Episcopus, qui *loco* tantum cessit, cum consensu proprii episcopi recte ordines tribuit; ei vero, qui *locum et dignitatem* dimisit, ordines *sacros* ne consentiente quidem proprio episcopo, ministrare licet (*a*).

(*a*) Cap. 1. *de ordin. ab episcop., qui renunt.*

§. 398. Presbyteri ministri extraordinarii.

Minister ordinationis *extraordinarius* est *presbyter*, qui vel *priuilegii*, vel *delegationis* iure eam

peragit. Sicut enim *presbyteri cardinales* paroecianis, et *abbates* sodalibus suis *ex priuilegio* primam tonsuram et ordines minores impertiendi potestatem habent; ita aliis quoque sacerdotibus non solum clericos minorum ordinum, sed etiam subdiaconos, quin et presbyteros creandi munus *delegari* posse (§. 52.), minime ambigimus.

§. 399. Locus et tempus tribuendi ordines minores.

Primam *tonsuram* et *minores* ordines in quouis loco decenti, et illam quauis die et hora, hos autem die saltem festo et matutino tempore, et quidem eodem die omnes cum tonsura tribuere licet (*a*).

(*a*) Can. 6. Dist. LXXV. cap. 1. 3. *de Temp. ordinat.*

§. 400. Solennia ordinationum maiorum.

Ordinationes vero *maiores*, vt *canonice* fiant, praeuio *scrutinio*, ad *titulum*, dein *gradatim*, et seruatis *interstitiis*, denique *tempore* et *loco* definito fiant, necesse est.

§. 401. Scrutinium.

Triplex quidem *scrutinium* in iure nostro occurrit. Sed *primum*, quod ex decreto Concilii Tridentini instituendum esset, apud nos non est in vsu (*a*). *Tertium*, quod in ipso ordinationis actu fit, cerimoniae magis rationem habet (*b*). *Alterum* vero episcopus, eiusue Vicarius generalis proximis ante ordinationem diebus sic instituit, vt ordinandorum *genus*, *personam*, *aetatem*, *titulum*, *mores*, *doctrinam* ac *fi-*

dem, et vniuerse ea, quae canones requirunt, diligentius exploret (c).

(*a*) Sess. XXIII. cap. 5. Scrutinii huius loco apud nos sunt *seminaria clericorum*, aliaeque examinationes, in singulis dioecesibus vsitatae. (*b*) Cap. vn. *de scrut. in ord. fac.* (c) Can. 2. 5. Dist. XXIV. Conc. Trid. Sess. cit. *cap.* 7.

§. 402. Eius necessitas.

Sicut episcopo fas non est, quemquam absque hoc examine ad sacros ordines admittere; ita ordinandorum est, defectum, si quo laborare se sciunt, candide profiteri. Qui non examinatus ad ordines obrepit, *furtiue* eos accepisse dicitur, et propterea suspensione ab vsu ordinis, male suscepti, mulctatur (*a*).

(*a*) Cap. 1. 2. 3. *de eo, qui furt. ord. suscep.*

§. 403. Titulus.

Titulus apud veteres idem fere erat, quod hodie *beneficium* dicitur, officium scilicet in certa ecclesia obeundum, eique annexum ius ex eius ecclesiae bonis alimenta capiendi. Tunc ergo sine *titulo*, hoc est, *beneficio* ordines non dabantur (*a*). Posthac alia praeter officium ecclesiasticum honestae sustentationis subsidia tituli loco habere placuit. Nunc igitur valet *titulus* 1. *beneficii*, iam obtenti, 2. *patrimonii*, congruam sustentationem ferentis (*b*), et 3. *pensionis*, seu *mensae*, id est, cautionis de sustentatione clerico praestanda, si, antequam beneficium obtinuisset, ad inopiam redigeretur (*c*). Qui titulo destitutum ordinauit, eidem de vi-

tae subsidiis prouidere tenetur (*d*); qui vero titulum falso iactauit, in censuram suspensionis incidit (*e*).

(*a*) Can. 1. 2. Dist. LXX. Ordinatio, sine titulo, seu officio ecclesiastico facta, eatenus *vacua* et *irrita* dicebatur, quatenus sic ordinatus accepto ordine fungi non poterat. (*b*) Cap. 4. 23. *de Praebend.* Tantundem valet titulus *professionis religiosae*, qui ratione mendicantium *paupertatis* vocatur. (*c*) Conc. Trid. XXI. cap. 2. Ex lege patria titulus mensae a solo principe concedi potest; omnibus autem, quos rei theologicae scientia, et morum honestas commendat, ita conceditur, vt bonorum eccles. vniuersitatem tantum afficiat. *Ephemerides supremi regiminis Badens.* an. 1810. pag. 51. (*d*) Cap. 16. *de Praebend.* cap. 37. *eod.* in VI. (*e*) Can. 1. Dist. cit. Conc. Trid. loc. cit.

§. 404. Saltus vitandus.

Illud dein cauendum est, vt ne *per saltum* quis ordinetur, sed singuli ordines gradatim, incipiendo a prima tonsura, accipiantur; secus facientes suspensione plectuntur (*a*).

(*a*) Cap. vn. *de cler. per salt. prom.*

§. 405. Interstitia seruanda.

In hac autem progressione interualla quaedam temporum, seu *interstitia* seruanda sunt; et quidem inter ordines minores, et subdiaconatum, atque vnum et alterum ordinem sacrum, vnius anni, ecclesiastice computandi, spatium intercedat, oportet, nisi ob ecclesiae vtilitatem aliud episcopo videatur (*a*), modo caueat, ne eidem plures ordines *sacros* vno die, aut duobus continuis diebus impertiatur (*b*).

(*a*) Conc. Trid. XXIII. cap. 11. 13. 14. Interim consuetudo eodem die minores ordines cum subdiaconatu tribuendi, in cap. 2. *de eo, qui furt. ord.* laudata, passim seruatur. (*b*) Cap. 13. 15. *de Temp. ordin.*

§. 406. Tempora et loca ordinationum.

Ordinationes porro *maiores* non alio *tempore* fiant, quam definitis *sex sabbathis*, videlicet quatuor temporum, ante dominicam passionis, et sabbatho sancto (*a*), eaeque non nisi *intra dioecesin* cuiusque episcopi (*b*), et quidem in *ecclesia*, quantum fieri potest, *cathedrali*, conuocatis eius canonicis, atque inter *missarum solennia* celebrentur (c).

(*a*) Can. 4. 7. Dist. LXXV. Cap. 3. *de Temp. ordin.* Extra haec tempora ordinandi facultatem (§. 189.) summus pontifex episcopis concedere solet. (*b*) Generaliter quippe cautum est, ne quis *pontificalia* in alterius dioecesi exerceat, nisi cum expressa ordinarii loci licentia; secus facientes ipso iure suspensi sunt. Conc. Trid. VI. cap. 5. (*e*) Conc. Trid. Sess. cit. cap. 2. 8.

CAPVT IV.

DE OBLIGATIONIBVS CLERICORVM.

III. 1. De vita et honestate clericorum.
— 2. De cohabitatione clericorum et mulierum.
— 3. De clericis coniugatis.
— 50. Ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant.
V. 24. De clerico venatore.
— 25. De clerico percussore.

§. 407. Canones ea de re ad tria capita reuocati.

Clericorum esse, vt exemplo ad virtutem mo-

rumque honestatem aliis praeluceant, res ipsa loquitur (*a*). Quae autem ea de re canonibus sancita sunt, ad tria capita, 1. vestitus conuenientiam, 2. actionum, quae minus decent, intermissionem, 3. vitiorum, quae clericos maxime dehonestant, fugam reuocari possunt.

(*a*) Can. 21. VIII. q. I. Conc. Trid. XXII. cap. 1.

§. 408. Vestitus et tonsura clericorum.

De *vestitu* regula est: Omnes clerici maiorum ordinum, aliique beneficium habentes, *vestem ordini suo conuenientem* atque *tonsuram* gerant (*a*). Et *vestitus* quidem ab omni vanitate et luxu alienus, forma, colore ac specie ita compositus sit, oportet, vt pro locorum ac temporum consuetudine modestiae ac grauitatis indicium praebeat (*b*). Tonsura olim totum caput afficiebat, sola forte corona in medio relicta (c); nunc modicum tantum circulum in superiore capitis parte abradi, moris est.

(*a*) Cap. 2. *de vit. et honest. cler.* in *Clem.* Conc. Trid. XIV. cap. 6 (*b*) Can 1—5 XXI. q. IV. Cap. 2. 15. *de vit. et honest. cleric.* (*c*) Can. 7. XII. q. I. Cap. 4—7. *de vit. et honest cler.*

§. 409 Actiones alioqui honestae clericis interdictae.

Actiones clericis *interdictae*, eoquod vel dignitati clericali minus conueniant, vel a rebus diuinis animum valde abstrahant, hae sunt praecipue: 1. Functiones munerum ciuilium et militarium (*a*); 2. Affectatum scientiae medicae, aut iuris ciuilis studium (*b*); 3. Exercitium artis chirurgicae (*c*); 4. Opificia sordida et despec-

ta (*d*); 5. Actiones scenicae (*e*); 5. Venatio, inprimis illa, quae cum magno rei venaticae apparatu instituitur (*f*); 7. Castigatio aliorum, quae fit verberibus dirum in modum (*g*).

(*a*) Can. 3. XX. q. III. Cap. 1—9. *Ne cler. vel monach. secul. negot.* (*b*) Cap. 3. 10. *eod.* (*c*) Cap. 19. *de Homicid.* (*d*) Cap. 1. *de vit. et honest. cler.* in Clem. (*e*) Cap. 12. 15. *de vit. et honest. cler.* Cap. vn. *eod.* in VI. (*f*) Cap. 1. 2. *de cler. venat.* Cap. 1. §. 3. *de stat. monach.* in Clem. Conc. Trid. XXIV. cap. 12. (*g*) Cap. 1. 2. *de cler percuss.*

§. 410. Vitiorum quorundam fuga speciatim praecepta.

Nihil magis clericos dehonestat, quam *ebrietas*, *auaritia* et *lasciuia*: ea igitur omnia magnopere deuitent, quae horum vitiorum vel inuitamenta sunt, vel iustam suspicionem excitant. Hinc clericis nefas est 1. popinas et tabernas frequentare (*a*), 2. epulas et compotationes immodicas celebrare (*b*), 3. celebritatibus saltatoriis, aut personatorum hominum gregi se immiscere (*c*); 4. foenerationem iniquam, aut negotiationem lucri causa exercere (*d*), 5. aleis, hoc est, ludis, in quibus temeritas tantum et casus valet, indulgere (*e*); 6. familiaritatem suspectamque consuetudinem cum feminis habere (*f*), talesque ad curandam rem domesticam conducere, quae suspicioni materiam dare possent (*g*).

(*a*) Can. 2. 4. Dist. XLIV. (*b*) Can. 5—9. Dist. cit. Cap. 14. *de vit. et honest. cler.* (*c*) Can. 19. Dist. XXXIV. (*d*) Can. 2. 9—13. Dist. LXXXVIII. Cap. 6. *Ne cleric. vel monach.* (*e*) Cap. 15. *de vit. et ho*-

nest. cler. (*f*) Can. 17. Dist. XXXII. Can. 20. 24. 26. 27. Dist. LXXXI. Cap. 2. *de cohab. cler. et mulier.* (*g*) Can. 16. Dist. XXXII. Nouell. CXXIII. cap. 29. Cap. 1. 9. *de cohab. cler. et mulier.*

§. 411. Caelibatus clericorum prioribus seculis.

Quod ad *matrimonia clericorum* attinet, initio in *sacerdotum* et *diaconorum* ordinem caelibes quidem inprimis assumebantur (*a*), quin tamen caelibes clerici a nuptiis, aut matrimonio iuncti a sacris ordinibus plane arcerentur (*b*).

(*a*) Can. apost. 25. Conc. Ancyran. an. 314. ap. *Gratian.* can. 8. Dist. XXVIII. (*b*) Can. apost. 5. Conc. Gangren. an. 376. ap. *eund.* can. 15. Dist. *cit.* can. 12. Dist. XXXI.

§. 412. Matrimonia clericorum initio valida.

Quod autem ad seculi IV. finem *SIRICIVS* (*a*), aliique deinde pontifices Romani constituerunt (*b*), idem in tota ecclesia *Latina* sensim receptum est, videlicet 1. ne quidem ad *subdiaconatum* admittendos esse, nisi qui, caelibes se victuros, promitterent, 2. clericis *inferioribus*, matrimonio iunctis, maiores ordines non, nisi dimissis vxoribus, tribuendos esse, 3. cum *hos*, si ad matrimonii vsum redirent, tum *illos*, si, inito matrimonio, promissum fallerent, a sacro officio remouendos esse (*c*), saluo caeteroquin coniugii vinculo (*d*).

(*a*) Can. 3. 4. Dist. LXXXII. (*b*) Veluti INNOCENTIVS I. can. 1. Dist. cit. can. 4. 5. 6. Dist. XXXI.; dein LEO I. can. 10. Dist. cit. can. 1. Dist. XXXII; porro GREGORIVS M. can. 1 Dist. XXVIII. can 1. Dist. XXXI. (*c*) Aliam hac in re disciplinam eccle-

sia Graeca seruat. Can. 13. 14. Dist. *cit.* Cap. 6. *de cler. coniug.* (d) *Gratianus* ad can. 1. Dist. XXVII.

§. 413. Tum vero irrita.

Cum vero *Iustinianus* nuptias, ab iis, qui caelibes *subdiaconatum* susceperant, initas, tanquam *incestas* et *nefarias* damnasset (a); eo quasi praecinente, *CALISTVS* II. in Concil. Lateran. I. (an. 1123.) (b) aliique posthac pontifices (c), nulla plane, et irrita esse clericorum, *maiori ordine* insignitorum matrimonia, pariter edixerunt. Idem nouissime a concilio Tridentino constitutum (d), principumque legibus huc vsque comprobatum est (e).

(a) L. 45. Cod. *de Episcop. et cler.* (b) Can. 8. Dist. XXVII. (c) Veluti INNOCENT. II. can. 40. XXVII. q. I. ALEXANDER III. cap. 1. 4. *de cler. coniug.* (d) Sess. XXIV can. 9. *de Sacram. matrim.* (e) Veluti legibus *Austriaca* et *Badensi*, de matrimonio latis. Cum rumor quondam emanasset, sublatam iri in terris Austriacis caelibatus legem, peculiari mox edicto nunciatum est, non eam esse Augustissimi mentem, vt hac in re quidquam immutetur.

§. 414. Disciplina ecclesiae hodierna.

Ex hac igitur ecclesiae nostrae disciplina 1. matrimonio iunctus ad sacros ordines non admittitur, nisi vxor consentiat, et castimoniae votum suscipiat (a), 2. clerici minorum ordinum nuptias facere possunt; sed beneficiis, si quae habent, hoc ipso renuntiasse, iisque excidisse censentur (b), 3. clerici maiorum ordinum ob attentatas nuptias irregulares fiunt (§. 387.), beneficiis tamen ipso iure non excidunt (c).

(a) Cap. 5. 6. *de conuers. coniug.* Cap. 4. *de Temp.*

ordin. in VI. Conc. Trid. XXIII. cap. 4. (*b*) Cap. 3. *de conuers. coniug.* (*c*) Cap. 1. *eod.* Excommunicatio *latae sententiae*, quae in cap. VII. *de consang. et affin.* in Clem. in facinus hoc constituta est, apud nos (§. 422.) locum non habet.

§. 415. Lex caelibatus partim eccles., partim ciuilis.

Etsi ecclesiae praesules matrimonio iunctos a sacris ministeriis arcere suo iure possunt; solius tamen principis est, matrimonia illorum nulla et irrita reddere. Vnde apparet, qua parte *lex caelibatus ecclesiastica*, qua parte *ciuilis* sit. Falluntur certe, qui totam eius vim, nulla legis ciuilis habita ratione, vel a *voto*, sacris ordinibus, vt aiunt, annexo, vel a *lege ecclesiastica* repetunt. Neque enim votum iis annexum est (*a*), nec, si annexum esset, ab illo res penderet, quia vis, quam voto *solenni* in matrimonium tribuunt (*c*), nulla foret, nisi lege ciuili agnita fuisset.

(*a*) Hinc Conc. Trid. XXIV. can. 9. *de Sacram. matrim.* ea de re statuens, *clericos in sacris ordinibus* constitutos a *regularibus*, *castitatem professis*, dein *legem ecclesiasticam* a *voto* expresse distinguit. (*b*) Cap. VII. *de vot. et vot. redemt.* in VI.

§. 416. Controuersia de ea.

Hanc vero caelibatus legem nimis duram, minime necessariam, quin et ecclesiae, et reipublicae ciuili noxiam, ideoque abrogandam esse, permulti vehementer contendunt. Alii, in iudicando magis cauti et prudentes, haesitant, dolentque, eo rem hanc deductam esse, vt sine grauissimis incommodis vix vllam mutationem admittere videatur.

CAPVT V.
DE IVRIBVS CLERICORVM.

II. 2. *De foro competente.*
III. 49. *De immunitate ecclesiarum, coemeterii et rerum ad eas pertinentium.*
V. 39. *De sententia excommunicationis.*

§. 417. Iura clericorum singularia.

Iura singularia, ad tuendam *status clericalis* dignitatem constituta, praecipue sunt 1. *Immunitas a muneribus ciuilibus*, 2. *Beneficium competentiae*, 3. *Priuilegium fori*, et 4. *Priuilegium canonis*, quae, cum omnibus et singulis clericis concessa sint, *communia* et *personalia* vocantur.

§. 418. Immunitas a muneribus ciuilibus.

Immunitas a muneribus ciuilibus (*personalibus*) eo spectat, vt clerici earum functionum vacatione gaudeant, quae vel sacrorum curam impediunt, vel dignitati status clericalis minus conueniunt. Quare imperatores Christiani immunitatem illis dederunt a *militia*, a *tutelis* et *curatelis*, ab *excubiis* et *vigiliis*, ab *angariis* et *parangariis*, ab *hospitationibus* seu *metatis*, aliisque huius generis (*a*).

(*a*) L. 2. 6. 33. § 7. L. 52. Cod. *de Episcop. et cler.* Ex hisce legibus immunitates illas clericorum recenset *Gratian.* can. 40. XVI. q. I. Easdem legibus patriis confirmatas esse, colligimus ex *Edict. Constit.* I. §. 23. *Ephemer. reg. Bad.* an. 1808, pag.

158. §. 15. *Immunitates* autem ab *oneribus publicis realibus* et *mixtis*, quas clericis vendicare olim solebant (§. 149.) in terris nostris dudum sublatae sunt.

§. 419 Beneficium competentiae.

Beneficium competentiae ad exemplum eius, quo milites iure Romano fruebantur (*a*), benigna interpretatione introductum (*b*), et consuetudine ita firmatum est, vt clerico obaerato, si soluendo non est, tantum relinquendum sit, quantum ad honestam sustentationem sufficit (c).

(*a*) L. 6. 18. *de re iud.* (*b*) Can. 19. XXIII. q. VIII. Cap. 4. *de Praebend.* (*c*) Cap. 3. *de Solut.*

§. 420. Priuilegium fori.

Priuilegium fori, a principibus christianis concessum (*a*), conciliorum dein, atque pontificum decretis repetitum amplificatumque (*b*), in eo consistit, quod clerici, siue in *ciuilibus*, siue in *criminalibus* causis contra eos agatur, iudici ecclesiastico tantum subiecti, magistratusque ciuilis potestate adeo exemti sint, vt nullo pacto fauori huic renuntiare possint (*c*).

(*a*) L. 33. cum *Auth.* Cod. *de episcop. et cler.* L. 29. Cod. *de episcop. aud.* Principum ea de re leges laudat *Gratian.* can. 5. 35. 37. 45. XI. q. I. (*b*) Haud secus, ac si ecclesiasticis sanctionibus, quin *et iure diuino* (§. 149.) constitutum esset. Can. 6. 15. 38. 39. 42. XI. q. I. Cap. 10. *de constit.* Cap. 4. 8. 10. *de Iudic.* Cap. 4. *de cens.* in VI. Conc. Trid. XXV. cap. 20. (*c*) Renuntiandi facultatem concedit L. 51. Cod. *de Episcop. et cler.* contra vero INNOCENTIVS III. in cap. 12. *de for. comp.* statuit.

§. 421. Eius circumscriptio.

Ex ipso autem *iure communi* eiusque ratio-

nibus consequi videbatur, priuilegium hoc in causis *ciuilibus* cessare, 1. si clericus in causa *feudali* (*a*), vel *aliena*, quam vt heres, aut procurator suscepit, vel *connexa*, quam cum laico indiuidue contraxit, in ius vocandus esset; 2. si is per *reconuentionem* laici reus fieret (*b*); 3. si contra eum actione *reali*, aut *in rem scripta* ageretur (*c*).

(*a*) Cap. 6. 7. *de for. compet.* (*b*) L. 22. *de Iudic.* L. 14. Cod. *de Sentent. et interl.* Cap. 3. *de Rescript.* in VI. (*c*) L. 3. Cod. *vbi in rem act.* In terris nostris priuilegium fori clericalis pridem temperatum erat, eo fere modo, quem *Ephemerid. Supremi regim. Bad.* an. 1807. pag. 87. referunt; nouissima autem lege illud penitus exstinctum videtur; *Ephemer.* cit. an. 1809. pag. 396. §. 4. pag. 426. §. 10—15. an. 1810. pag. 193., posthac forte quodammodo resuscitandum. Caeterum magistratus ciuilis clericos, ministerium eccles. obeuntes, vbi res moram fert; nec, vt coram se sistant, euocare, nec in custodiam dare, nec bona eorum, quae in aedibus suis habent, vel de vita decedentes relinquunt, consignare, nec iudiciali retentioni aut pignerationi subiicere potest, nisi illius ex parte ecclesiastica interuentu, cuius curae in rebus sacris clericus, de quo agitur, *immediate* commissus est; ille autem caueat, ne vel dignitas clericalis, vel res ecclesiae detrimentum patiatur. *Edict. constitut. I.* §. 14. Quare antehac quoque cautum erat, vt clerici, ob delictum in custodiam tradendi, vel clauso curru, sellaue gestatoria, vel nocte inuehantur, et non in carcere communi, sed honesto cubiculo detineantur. *Constitut.* 473. 479. in *Collect.* cit.

§. 422. Priuilegium canonis.

Priuilegium canonis clericos ab iniuriis ita de-

fendit, vt in excommunicationem latae sententiae, papae reseruatam, incidat, quicunque illis *violentas manus*, hoc est, grauem iniuriam *realem* malitiose intulit, aut, vt inferatur, iussu, consilio, vel approbatione causam dedit (*b*).

(*a*) Can. 29. XVII. q. IV. Cap. 5. 14. *de Sent. excom.* (*b*) Cap. 6. 47. *eod.* Cap. 33. *eod.* in VI. In terris nostris neque haec, neque alia excommunicatio *latae sententiae* locum habet. Ex lege enim patria causa excommunicationis a quaesitoribus ecclesiasticis et ciuilibus cognoscenda, sententia dein, ab episcopo lata, placito regio confirmanda est. *Constitut.* 464. 466. 471. in *Collect.* cit.

§. 423. Iurium istorum ammissio.

Hisce priuilegiis omnes clerici, et illi quidem, qui maiorum ordinum sunt, simpliciter, qui minorum, sub certis conditionibus (*a*) gaudent, etiamsi forte *suspensi* sint, aut *depositi*, donec vel per *degradationem* ad laicorum conditionem redacti, vel alio modo fauoribus hisce exuti fuerint, quod illis accidit 1. qui *enormitatibus*, hoc est, atrocissimis criminibus se astrinxerunt (*b*), 2. qui vitae rationem a statu clericali prorsus alienam sequuntur, et ab episcopo ter moniti non resipiscunt (*c*).

(*a*) Si nempe vel beneficium ecclesiasticum habent, vel habitum et tonsuram gestantes alicui ecclesiae ex mandato episcopi inseruiunt, vel in seminario clericorum, aut in schola publica, quasi in via ad maiores ordines versantur. Cap. vn. *de cler. coniug.* in VI. Conc. Trid. XXIII. cap. 6. (*b*) Cap. 14. 23. *de Sent. excom.* (*c*) Cap. 25. 45. *eod.*

SECTIO II.
DE STATV RELIGIOSO.

CAPVT I.
DE ORIGINE ET VARIETATE RELIGIOSORVM.

III. 31. De Regularibus et transeuntibus ad religionem.
— 32. De Conuersione coniugatorum.
— 35. De Statu monachorum et canonicorum regularium

§. 424. Status religiosus: Regulares. Seculares.

Status religiosus a singulari religionis studio appellatur, ab eoque *Religiosi* seu *Regulares* dicuntur, qui vitae sanctioris in communi agendae regulam, castitatis, paupertatis et obedientiae votis munitam, atque a summo pontifice probatam, susceperunt. Alii omnes *Seculares* audiunt.

§. 425. Trium votorum ad hunc statum ratio

Vitae scilicet sanctioris in *communi* agendae ratio sodales caelibes (*castitatem*), bonorum inter eos communionem (*paupertatem*), et sub praefecti imperium subiectionem (*obedientiam*) postulare videbatur. Inde colligebant, eos, qui talem vitae rationem inierunt, hoc ipso *tria*

illa seruandi sponsionem fecisse, *hanc* autem, quod religionis causa facta sit, *triplicis voti* vim habere; in eo igitur status religiosi naturam consistere. Hinc *quasi regulares* dicuntur, qui, etsi in *communi* viuant (*a*), quin et *castimoniae* et *obedientiae* votis se obligauerint (*b*), bonorum tamen proprietatem non abdicarunt (*c*).

(*a*) Veluti *canonissae seculares*, quae cap. 43. §. 5. de Elect. in VI. et cap. 2. *de stat. monach.* in Clem. laudantur. (*b*) Tales erant *Beguinae*, de quibus in cap. 1. *de relig. dom.* in Clem., et cap. vn. *eod.* Extrau. com. sermo est. (*c*) *Quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis adeo est annexa regulae monachali, vt contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.* Cap. 6. in fin. *de stat. monach*

§. 426. Eius conditores Basilius et Benedictus.

Statum hunc religiosum seculo IV. in ecclesia Graeca *PACHOMIVS* et *BASILIVS* condere coeperunt. *Ille* enim *eremitas* seu *monachos*, deserta Aegypti loca disperse incolentes, vitam communem in vna domo (*coenobio*), et sub vnius (*abbatis*) imperio viuere docuit; *hic* vero e solitudine in vicos et vrbes eos traduxit. Idem institutum seculo VI. in ecclesia Latina *BENEDICTVS Nursinus* quam maxime stabiliuit. Regula nempe, quam is monachis praescripsit, tam aequa et accommodata videbatur, vt a plerisque coenobiis mox recepta, conciliorum dein atque pontificum decretis summopere comprobata fuerit

§. 427 Monachi initio vnius generis, et laici.

Erant autem *monachi* initio ita *vnius* eius-

demque *generis* omnes, vt facilis et promiscua fuerit ex vno monasterio ad aliud transitio. Erant porro omnes fere *laici*, haud sane clericorum functionibus, sed precibus piisque meditationibus, et manuum laboribus occupati (*a*). Id tamen non obstabat, quo minus inter eos et *clerici* essent (*b*), qui dein ad sacra cum in oratoriis suis, tum ecclesiis publicis ministranda adhibiti, immo ad summos persaepe sacerdotii gradus euecti sunt (*c*).

(*a*) Can. 1. 4. 6. 36. XVI. q. 1. L. 52. Cod. *de Episcop. et cler.* (*b*) *Neque enim beatus Benedictus, monachorum praeceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor.* Can. 25. XVI. q. 1. (*c*) Can. 3. 21. 23. 24. 26—29. 32. ibid.

§. 428. Tum clerici, et in diuersas species diducti.

Cum vero inde a seculo X. plures identidem *monachi* ad sacros ordines aspirarent, et plerique omnes tandem *clerici* et *sacerdotes* essent, horarum canonicarum cantui, curae animarum litterarumque studiis vacantes, retentis modo quibusdam fratribus laicis, seu, vt vocant, *conuersis*, queis tanquam operariis et famulis domesticis vterentur; tum quoque vnum ac simplex ad id vsque tempus monachorum genus in plures, easque regulis et statutis, actibus et occupationibus, victu et vestitu, aliisque viuendi rationibus, mirum quantum, diuersas species, totidemque diuersos religiosos ordines diductum est.

§. 429. Species eorum praecipuae.

Ex eo enim tempore alii, vt vitam mona-

chicam ad clericatum aptarent, *Benedicti regulam* nouis identidem *statutis* et *ritibus* cumularunt (*a*), immutaruntue (*b*); alii, vt clericatum monachica disciplina exornarent, clericos, *canonicorum* nomine insignitos, ad eam suscipiendam perduxerunt (*c*). Alii porro *monachos*, pauperum et aegrotorum curae dicatos, mira conuersione in *milites*, bello armisque addictos, transformarunt (*d*). Quibus omnibus seculo XIII. varii atque numerosi *fratrum mendicantium* ordines superadditi sunt (*e*).

(*a*) Inter hos eminent ODO et ROBERTVS, abbates. Ille seculo X. monachos *Cluniacenses*, *nigros*, hic seculo XI. *Cistercienses*, *albos* cap. 10. *de Decim.* instituit. Hos seculo XII. BERNARDVS, abbas Clarauallensis ita illustrauit, vt ab eo *Bernardini* dicerentur. Alias bene multas, quae Benedicti regula nituntur, monachorum familias silentio praeterimus. (*b*) Veluti BRVNO, canonicus Rhemensis, seculo XI. austeri *Carthusianorum* ordinis auctor, cuius disciplina mendicantium duritatem superare censetur. Cap. 1. *de Regular.* Extrau. comm. (*c*) Ita seculo XI. auctoritate NICOLAI II. et ALEXANDRI II. PP. congregati sunt clerici, vt ex *regula*, quae AVGVSTINI dicitur, monachicam disciplinam seruarent, *canonici regulares S. Augustini* propterea appellati, *qui, etsi a sanctorum monachorum consortio non putentur seiuncti, regulae tamen inseruiunt laxiori.* Cap. 5. *de stat monach.* Ad hos seculo XII. NORBERTVS canonicos *Praemonstratenses*, monachicae seueritatis aemulos, addidit. Can. 1. 2. 3. XIX. q. III. (*d*) De quibus infra speciatim disseremus. (*e*) Horum inuentor erat FRANCISCVS *Assisiensis* Is nempe sectatoribus suis, quos *fratres minores* appellauit, eam vitae regulam, ab INNOCENTIO III. probatam, dedit, vt ne in communi quidem bona possiderent;

necessaria igitur vitae subsidia ostiatim mendicando quaererent. Ad hoc exemplum paullo post DOMINICVS, canonicus regularis, sodales suos, *fratrum praedicatorum* nomine insignitos, annuente HONORIO III. permouit, vt cum *regula Augustini* summam *Francisci paupertatem* coniungerent. Hanc dein eiusdem pontificis auctoritate *Carmelitae*, e Palaestina aduenlantes, assumpserunt; hanc porro *Eremitae S. Augustini*, e variis eremitarum generibus ab ALEXANDRO IV. collecti, amplexi sunt. Quatuor isti *ordines mendicantes* in cap. vn. §. 2. *de Relig. dom.* in VI. speciatim laudantur. *Fratrum minorum* de regula Francisci dubitationes, et altercationes in cap. 3. de V. S. in VI. cap. 1. *eod.* in Clem. et cap. 1. 2. 3. *eod.* Extrau. Ioan. satis verbose recensentur.

§. 430. Nouis incrementis auctae.

Cum iam nimia plane regularium multitudine ac varietate ecclesia laboraret; tum quidem *INNOCENTIVS* III. interdictum edidit, ne nouae eorum formae inducerentur (*a*), *GREGORIVS* X. autem omnes, a sede apostolica non confirmatas, proscripsit (*b*), idque deinde argumento fuit, ius eiusmodi instituta approbandi summo pontifici reseruatum esse (*c*). At vero complures approbationem pontificiam obtinuerunt, qui nouas posthac cum mendicantium (*d*), tum illorum, qui *clericorum regularium* nomine veniunt (*e*), formulas excogitarunt.

(*a*) Cap. 9. *de Relig. dom.* (*b*) Cap. vn. *eod.* in VI. (*c*) Nunc igitur illa tantum professio vere regularem reddit, quae ad regulam, a sede apostolica probatam (§. 424.), facta est. (*d*) Exemplo sunt *Capucini* et *Recollecti*, seu *de strictiori obseruantia*, qui duram *Francisci* disciplinam, a primis illius discipulis, quos *Conuentuales*, seu *Minoritas* vocant,

mitigatam, seculo XVI. instaurarunt, a CLEMENTE VII. confirmati. Eodem seculo PIVS V. ordinem *fratrum hospitalitatis*, vulgo *misericordiae* approbauit. (c) Inter hos celeberrimi erant *clerici societatis Iesu*, vulgo *Iesuitae*, ab IGNATIO *Loyola* seculo XVI. instituti, a PAVLO III. approbati. Hos Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 16. *de Regular.* laudauit, CLEMENS XIV. an. 1773. abrogauit. Nouissime accesserunt *clerici piarum scholarum*, a suscepto pueros primis litterarum elementis imbuendi munere sic dicti, quos seculo XVII. GREGORIVS XV. approbauit.

§. 431. Feminae religiosae.

Vix coeperat vitae religiosae institutum inter viros, mox etiam *feminae* in coenobia coiuerunt (*a*), et, quot progressu temporis virorum, totidem fere feminarum regularium species exortae sunt. Sunt proin aliquae *monachae*, aliae *canonicae regulares*. Sunt, quae ad *mendicantium* disciplinam, quantum sexus ratio permittit, se conformarunt; aliae porro *clericos regulares* ad imitationem sibi proposuerunt (*b*). Quid, quod, introducta *fratrum clericorum* et *laicorum* distinctione, parilis personarum distinctio in religiosis feminarum congregationibus locum inuenerit.

(*a*) Vt viri religiosi *monachi*, *nonni*, ita feminae, eos imitantes, *moniales*, *sanctimoniales*, *nonnae* vocabantur. Can. 24. Dist. XXIII. Can 11. 12. 13. XX. q. 1. (*b*) Veluti *Vrsulinae*, puellis erudiendis operam nauantes, quarum institutum seculo XVII. VRBANVS VIII. ratum habuit.

CAPVT II.

DE PROFESSIONE RELIGIOSA.

§. 432. Professio religiosa.

Quoniam tria illa vota in natura status religiosi insunt (§. 425.); consequens est, nihil interesse, siue castitatem, paupertatem et obedientiam *nominatim*, siue *obedientiam secundum regulam*, aut *regulae obseruationem* quis promiserit. Eiusmodi autem promissio, ab abbate alioue, qui ius recipiendi habet, acceptata (*a*), *Professio religiosa* vocatur.

(*a*) Cap. 13. 16. *de Regular.* Cap. 6. *eod.* in VI.

§. 433. Iusta et valida.

Ad iustam et *validam* professionem requiritur, vt profitens 1. annum aetatis XVI. expleuerit (*a*), 2. annum a die, quo veste religiosa indutus est, *integrum* et *continuum* in *nouitiatu* transegerit (*b*), 3. sponte suaque voluntate eam fecerit (*c*), et 4. sine laesione tertii facere potuerit (*d*).

(*a*) Conc. Trid. XXV. cap. 15. *de Regular.* Antea pubertatem sufficere putarunt. Cap. 8. 11. *de Regular.* Sed legibus principum maturior aetas, veluti XXIV. et XXV. annorum dudum praescripta est. *Constit.* 315. 386 in collect. cit. *Edict. Bad. Organis.* IV. §. XIII. 3. (*b*) Conc. Trid. loc. cit. Tempus *nouitiatus* olim erat *triennium*. Nouell. V. cap. 2 Can. vn. Dist. LIII. Can. 3. XVII. q. II. Ex regula *Bene-*

dicti annuum receptum est; Cap. 16. *de Regular.* quod tamen apud ordines non mendicantes monasterii et nouitii consensu decurtari poterat. Cap 2. 3. *eod.* in VI. (c) Cap. 1. *de Regular.* Nulla igitur est professio vi et metu extorta. Cap. 1. *de his, quae vi met.* Nec parentum oblatio, vti olim can. 3. 4. XX. ſq. I., liberos nunc obligat, nisi legitimam aetatem adepti professione se obligauerint. Cap. 14. *de Regular.* (d) Hinc nec episcopi *confirmati*, nisi venia a pontifice impetrata cap. 18. *de Regular.*, nec matrimonii *consummati* vinculo obstricti, nisi altera pars consentiat, et simplex saltem votum continentiae faciat, can. 2. 3. 6. XXXIII. q. V. Cap. 4 8. 13. 18. *de conuers. coniug.* nec lege ciuili prohibiti, cum et in voto *ius superioris exceptum intelligatur* cap. 19. *de Iureiur.*, ad professionem religiosam apti sunt.

§. 434. Expressa vel tacita.

Caeterum ex *iure communi* professio fieri potest non solum *expresse*, verbis aut scriptura, sed etiam *tacite*, facto scilicet, mutuum professi et ordinis religiosi consensum satis indicante (*a*), dummodo aliud impedimentum non obstet.

(*a*) Cap. 22. *de Regular.* Cap. 1. 3. *eod.* in VI. Cap. 2. *eod.* in Clem.

§. 435. Ante eam liber discessus.

Ante professionem nouitii liberam cum discedendi, tum de bonis suis disponendi facultatem habent (*a*), ita tamen, vt donationes, renuntiationes aliique actus, quibus patrimonium eorum diminueretur, non aliter valeant, nisi intra duos menses proximos ante professionem cum licentia episcopi fiant, et ipsa dein

professio subsecuta sit, ne scilicet per alienationes, inconsulte factas, discedendi libertas constringatur (*b*).

(*a*) Cap. 2. 3. *de Regular.* Cap. 4. *eod.* in VI. (*b*) Conc. Trid. XXV. cap. 16. *de Regular.*

§. 436. Iura ex professione.

Valida professio religiosa 1. ius congruae ac perpetuae sustentationis (*a*), et priuilegia clericorum (§. 417.) tribuit (*b*); 2. quaeuis alia vota, prius edita, extinguit (*c*); 3. supplet defectum natalium, quatenus sacris ordinibus obstaret (*d*); 4. aufert maculam, ex vitae ante actae delictis ortam (*e*); 5. tollit ingratitudinem, exheredatione alioqui dignam (*f*); 6. dirimit sponsalia (*g*), quin et ipsum, quousque *ratum* tantum est, matrimonium (*h*). Adeo nempe sancta vitae religiosae professio videbatur.

(*a*) Conc. Trid. XXV. cap. 3. *de Regular.* (*b*) Regulares *vtriusque sexus* immunitate munerum ciuilium L. 52. Cod. *de Episcop. et cler.*, priuilegio fori *Authent.* ad L. 33. *eod.*, et canonis cap. 5. 33. *de sent. excom.* gaudent, id quod *nouitiis* quoque tributum est in cap. 21 *eod.* in VI. (*c*) Cap. 4. *de vot. et vot. redemt.* Cap. 5. *de Regular.* in VI. (*d*) Cap. 1. *de fil. presbyt.* (*e*) Nouell. V. pr. (*f*) Nouell. CXXIII. cap. 41. Can. 10. XIX. q. III. (*g*) Cap. 16, *de sponsal.* et *matrim.* (*h*) Eius scilicet consummationem vterque coniux per bimestre differre, mediisque diebus, altero etiam inuito, nouitiatum adire ita potest, vt, secuta professione, matrimonii vinculum penitus dissoluatur. Cap. 2. 7. 14. *de conuers. coniug.* Singularis haec doctrina tanti momenti videbatur, vt Conc. Trid. XXIV. can. 6. *de sacram. matrim.* anathema in contradicentes pronuntiauerit.

§. 437. Obligationes ex ea.

At vicissim professio religiosa obligationem professo imponit susceptam vitae regulam inditaque eidem vota *perpetuo* seruandi. Et quidem 1. vt milites ducibus, sic religiosi praefectis suis *obedientiam* praestent (*a*) in omnibus, quae nec regulae, nec legi sanctiori repugnant (*b*). 2. *Castitatem* non solum extra matrimonium colant, sed ab eo ineundo sub *nullitatis* et *irregularitatis* (§. 387.) poena prorsus abstineant (*c*). 3. *Paupertatem* singuli ita sectentur, vt, quae ad vitae sustentationem et vsum pertinent, *communiter* habeant (*d*), nec quidquam *proprie suum* esse putent, dum omnibus, prout cuique opus est, e communi penu et patrimonio tribuitur (*e*); secus facientes *voce actiua* et *passiua* in capitulo (*f*), quin et sepultura ecclesiastica priuentur (*g*).

(*a*) Cap. 1. §. 1. *Religio* de V. S. Extrau. Ioan. (*b*) Can. 57. II. q. VII. (*c*) L. 5. Cod. *de Episcop. et cler.* Can. 40. XXVII. q. I. can. 8. Dist. XXVII. Cap. 3. *Qui cler. vel vouent.* Cap. vn. *de vot. et vot. redemt.* in VI. Nullitatem vero a lege ciuili pendere, supra (§. 415) monuimus. (*d*) Huic quidem communioni *mendicantium* ordines renuntiauerant (§. 429.). Sed plerique sensim, vt se aliosque mendicitatis molestia quodammodo liberarent, ad eam redierunt. Tandem Conc. Trid. XXV. cap. 3. *de Regular.* omnibus fratrum mendicantium monasteriis, *Capucinorum* tantum, eorumque, qui *de obseruantia* dicuntur, domibus exceptis, bona immobilia in communi possidendi facultatem concessit. Soli igitur *Capucini* et *Recollecti* simpliciter, et *ex toto mendicantes* sunt, *quibus*, vt GREGORIVS X. in cap. vn. §. 1. *de Relig.*

dom. in VI. disserit, *ad congruam sustentationem reditus aut possessiones professio interdicit, sed per quaestum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas.* Cuius ergo sunt *aedes, fundi* et alia bona, quibus vtuntur? vid. Cap. 3. §. *ad haec cum* de V. S. in VI. (*e*) Can. 11. XII q. I. Itaque *paupertas religiosa* in sola proprietatis abdicatione, non in vitae subsidiorum ac commodorum defectu consistit, eoque respectu tam late patet, vt quis satis laute et splendide viuere, attamen pauper esse possit. Hinc paupertas haec non obstat, quo minus religiosi *peculia* habere, de iisque cum inter viuos, tum mortis causa disponendi facultatem accipere possint, modo meminerint, facultatem hanc a rectorum nutu pendere. Decretum Conc. Trid. XXV. cap. 2. *de Regular.*, quod hic opponunt, de concessione *perpetua* et *irreuocabili* intelligendum esse, alii rectius docent. (*f*) Conc. Trid. loc. cit. (*g*) Cap. 2. 6. *de stat. monach.*

§. 438. Ius acquirendi bona monasteriis fere ademtum.

Quapropter congregationes religiosae cum per se, tanquam societates iustae, tum per sodales, tanquam filiosfamilias, quouis modo legitimo bona acquirendi ius olim habuerunt (*a*). Quo factum est, vt maior in dies bonorum copia in *regularium manus* peruenerit, quae, quia semel quaesita nec alienare, nec hereditariae successioni locum facere solent, non immerito *mortuae* appellantur. Hinc principum legibus bonorum immobilium in monasteria et ordines religiosos translatio interdicta (*b*), iisque ius hereditates et legata vndelibet veniant, capiendi ademtum (*c*), quantum vero dotis nomine professi afferre queant, speciatim definitum est.

(*a*) L. 56. et *Authent. ad* L. 20. Cod. *de Episcop. et cler. Authent. ad* L. 13. Cod. *de sacros eccles.* Nouell. V. Cap. 5. Can. 9. XIX. q. III. (*b*) Si princeps interdicti gratiam facit, ea *Amortizationis* nomine appellari solet. (*c*) Leges Austriacae permittunt legata, quae, vt missae et preces anniuersariae fiant, item quae Capucinis et fratribus de obseruantia eleemosynae titulo, nec non tanquam missarum funebrium stipendia relinquuntur. Vid. *Constitut.* 252. seq. in *Collect.* cit.

§. 439. Professionis religiosae vinculum arctissimum.

Ex eo, quod professionis religiosae vinculum quasi coniugiale, adeoque perpetuum sit; consequi videbatur 1. nefas esse, ab ea, quam quis professus est, vitae regularis disciplina deflectere (*a*), 2. *ad strictiorem* quidem, vt aiunt, non autem *laxiorem* disciplinam nisi ex dispensatione transitum dari (*b*), 3. religiosos desertores ac fugitiuos capiendos et reducendos esse (*c*); 4. professionem intra quinquennium tantum, a die, quo facta est, nullitatis argui posse; eo autem elapso reclamantem non amplius audiri (*d*); 5. religiosum, ad dignitatem episcopalem promotum, regulae quidem iugo, non vero votorum religione liberari (*e*); 6. vitae religiosae vinculum non aliter, quam per dispensationem pontificiam penitus solui posse (*f*).

(*a*) Can. 1. 2. XX. q. III. Cap. 13. *de Iurei.* (*b*) Cap. 10. 18. *de Regular.* (*c*) Cap. 24. *eod.* (*d*) Conc. Trid. XXV. cap. 19. *de Regular.* (*e*) Can. vii. XVIII. q. I. (*f*) Cap. 5. *de Poenit.* Extrau. comm. Secundum leges Austriacas dispensatio ab episcopo petenda est. *Constitut.* 344. in Collect. cit.

§. 440. Singularia de feminis religiosis.

Quae de *feminis religiosis* sigillatim constituta sunt, huc fere redeunt: 1. puellas nec veste religiosa induendas, nec ad professionem admittendas esse, nisi de libera earum voluntate ab episcopo eiusue mandatario diligens exploratio facta sit (*a*); 2. eos, qui sacras monialium confessiones audiunt, ab episcopo specialim probatos esse debere (*b*); 3. monialibus professis non amplius licere e *clausura* egredi, nisi summa necessitas vrgeat (*c*). Sed rigorem hunc cum vsus et consuetudo, tum monialium, quae nunc puellis erudiendis operam dant, conditio multum temperauit (*d*).

(*a*) Conc. Trid. XXV. cap. 17. *de Regular.* (*b*) Can. 11. XVIII. q. II. Conc. Trid. *loc. cit.* cap. 10. (*c*) Cap. vn. *de stat. regul.* in VI. Conc. Trid. *loc. cit.* cap. 5. (*d*) Nouam quasi vitae regulam, et institutionem, monialibus praescriptam, exhibent. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1811. p. 111.

CAPVT III.

DE RECTORIBVS REGVLARIVM.

§. 441. Rectores monachorum et canonicorum regularium abbates.

Rectores, seu *Superiores regularium*, qui nempe *suo nomine* ac *iure* eos regendi potestatem acceperunt, pro varia ordinum religiosorum conditione varii generis sunt. *Monachi* fere omnes,

et *canonici regulares* suo *abbati*, aut abbatis instar *praeposito* parent, neque alteri sui ordinis superiori *immediate* subiecti sunt. Etsi enim plura eorum coenobia foedere quodam *pro reformatione ordinis, et obseruantia regulari* coniuncta, et sub vno *praeside* aut *visitatore*, congregata sint; singula tamen, tanquam coetus plane separati, *per abbatem loci iuxta beati Benedicti regulam, et apostolica instituta* reguntur (*a*).

(*a*) Cap. 7. et 8. *de stat. monach.*

§. 442. Mendicantium et clericorum regularium superiores triplicis generis.

Fratres contra *mendicantes*, et *clerici regulares*, quorum monasteria tanquam partes vnius corporis inter se connexa sunt, trinos superiores habent: 1. *locales*, qui singulis monasteriis praesunt, *Priores*, *Guardiani*, *Rectores* appellati, 2. *prouinciales*, qui plura sui ordinis monasteria, intra certam prouinciam sita, moderantur, 3. *generales*, qui totum ordinem per vniuersam ecclesiam gubernant, *Ministri*, *Magistri*, *Priores* a suis nominati (*a*).

(*a*) Legibus Austriacis superiorum generalium potestas episcopis delata, et prouincialium extraneorum in monasteria ditionis Austriacae auctoritas abrogata est, salua libertate intra fines imperii Austriaci congregationes et superiores prouinciales constituendi. *Constitut.* 339. Collect. cit.

§. 443. Quinam et quomodo vtrinque constituendi.

Abbates aliique regularium superiores *perpetui*, ad dies vitae nimirum constituti, a so-

dalibus suis eligendi sunt (*a*), et quidem *canonice*, hoc est, ad normam iure *communi* praescriptam (*b*), quatenus cuiusque ordinis aut monasterii ius *particulare* nihil derogat; *temporarii* autem ea ratione eliguntur vel constituuntur, quae statuto aut consuetudine definita est. Verumtamen nec minores XXV annis (*c*), nec nouitii (*d*), nec alterius ordinis professi (*e*), nec illegitime nati (*f*), nec mendicantes ad ordinem non mendicantium translati (*g*) rite eligi, aut constitui possunt.

(*a*) L. 47. *Cod. de Episcop. et cler* Can. 3. 5. 8. XVIII. q. II. (*b*) Cap. 42. *de Elect.* Cap. 43. §. 5. 6. *eod.* in VI. (*c*) Cap. 1. §. 7. *de stat. monach.* in Clem. Abbatissas aliasque monialium praefectas non solum non minores XL., aut saltem XXX. annis, sed etiam VIII. aut VI. saltem annis post expressam professionem laudabiliter vixisse oportet. Cap. 43. *de Elect.* in VI. Conc. Trid. XXV. cap. 7. *de Regular.* (*d*) Cap. 27. *de Elect.* (*e*) Cap. 1. *de Elect.* in Clem. (*f*) Cap. 1. *de fil. presbyt.* (*g*) Cap. 1. *de Regular.* in Clem. Cap. 1. *eod.* Extrau. com.

§. 444. Eorum potestas et regimen.

Superiores regulares generatim omnes ex munere, sibi demandato 1. iubent ac ordinant, quae cum ad disciplinae regularis conseruationem, tum ad bonorum administrationem pertinent (*a*); 2. adiutores et *vicarios* regiminis sui constituunt atque dimittunt (*b*); 3. male morigeros castigant et puniunt (*c*), remota, nisi modum excedant, appellatione (*d*); 4. in contumaces suspensionis, aut excommunicationis censuram ferunt (*e*), eoque respectu *ordi-*

nariam in sodales suos *iurisdictionem* habere dicuntur.

(*a*) Cap. 9. 16. XVIII. q. II. Cap. 21. *de Rescript.* Cap. 8. *de stat. monach.* (*b*) Vicarius abbatis primarius olim erat *Praepositus*, illius nempe in omnibus, et praesertim in bonorum cura et dispensatione vicem gerens. Hodie primum ab abbate locum obtinet *Decanus*, seu *Prior*, *claustralis* dictus, vt ab *obedientiario*, qui *cellulam*, *obedientiam*, hoc est, villam, monasterio subiectam, administrat, can. 13. XVIII. q. II. distinguatur. Hi, sicut alii officiales inferiores ex nutu superioris pendent. Cap. 6. *de stat. monach.* Sed *Prior*, qui, quod abbatis instar conuentui praesit, *conuentualis* vocatur, nisi ex iusta causa amoueri non potest. Cap. 2. *eod.* (*c*) Can. 11. XXVII. q. I. Cap. 8. *de stat. monach* Conc. Trid. XXV. cap. 14. *de Regular.* (*d*) Cap. 3. 26. *de Appellat.* Sed saepe nimis modum omnem excesserunt, crudeliter in miseros consulentes. Quod ne deinceps fieret, principes tandem humaniorem regulares plectendi modum praescripserunt. *Constitut.* 318. 356. 362. Collect. cit. (*e*) Cap. 3. *de off. iud. ordin.* Cap. 10. de M. et O. Cap. 33. *de Simon.* Hac potestate non gaudent Superiores laicae conditionis, veluti monialium praefectae, nisi iure singulari eam obtinuerint. Cap. 12. de M. et O.

§. 445. Consensu vel consilio capituli astrictum.

Regimen autem, quod superiores regularium tenent, ita semper temperatum est, vt in causis maioris momenti ex *consensu*, vel saltem *consilio capituli* explicandum sit (*a*). Et *consensum* quidem *ius commune* requirit, cum de alienatione rerum immobilium, et mobilium pretiosarum, aut de locatione ad longius tempus (*b*), de contrahenda ex mutuo, fideiussione simili-

que negotio obligatione (*c*), de vsu iuris ad ipsum collegium spectantis (*d*) agitur. In omnibus aliis causis, licet arduis, *consilium* tantum capituli exquirendum est. Immo hac quoque in re tanta est vis consuetudinis, vt, vbi illa obtinet, grauiores etiam causae, ex consensu capituli alioquin agendae, ne consilio quidem adhibito, expediri possint (*e*).

(*a*) *Capitulum* est conuentus regularium, ad transigenda eorum negotia celebratus, et, qui iure suffragii in eo gaudent, *capitulares* dicuntur, quales sunt omnes *professi*, modo, si ad clericatum aspirant, saltem *subdiaconi* sint Cap. 2. *de aetat. qual. et ord. praefic.* in Clem. Conc. Trid. XXII. cap. 4. nisi forte ex consuetudine sola professio sufficiat. Capitulares vero non sunt *nouitii*, et *fratres laici* vbi caeteri sodales sunt clerici. Cap. 32. §. 1. *de Elect.* in VI. Nomen *Capituli* inde tractum est, quod locus ille, in quo monachi singulis diebus ad *caput* seu *capitulum regulae* audiendum conueniebant, *capitulum* vocaretur. (*b*) Cap. 2. *de his, quae fi. a prael.* etc. Cap. 1. *de reb. eccles. non alien.* in Clem. (*c*) Cap. 4. *de fideiuss.* Cap. 2. *de Solut.* (*d*) Veluti de praesentatione ad beneficium Cap. 6. *de his quae fi. a prael.* etc. de recipiendis, aut ad professionem admittendis nouitiis. Cap. 33. *de Praebend.* in VI. Cap. 6. *de Regular.* in VI. (*e*) Cap. 6. *de his, quae fi. a prael.* etc. Cap. 3. *de Consuet.* in VI. Vt litteras, de actu capitulari confectas, singuli capitulares subscribant, necesse haud est, nisi forte alienationis causa subsit. arg. L. 3. Cod. *de vend. reb. ciuit.* Sed et hic consuetudo plurimum valet, vi cuius Decanus tantum et Senior totius capituli nomine subscribere solent.

§. 446. Iura abbatum pontificalia.

Abbates, si *presbyteri* et ab episcopo inaugu-

rati sunt (*a*), partim ex priuilegio (*b*), partim ex notissima consuetudine 1. primam tonsuram et ordines minores religiosis suis professis tribuunt (*c*); 2. iura quaedam ordini episcopali alioquin propria exercent (*d*); 3. insigniis et ornamentis pontificalibus, veluti *mitra*, *pedo* aliisque vtuntur; ideoque 4. praecipuam post episcopos dignitatem habere censentur (*e*).

(*a*) Can. 1. Dist. LXIX. Cap. 11. *de aetat. qual. et ord. praefic.* (*b*) Cap. 3. et 6. *de Priuileg.* in VI (*c*) Non aliis, nisi venia ab episcopo eorum proprio accepta. Cap. 3. cit. Conc. Trid. XXIII. cap. 10. (*d*) Ita non tantum pro suis, sed aliis etiam ecclesiis calices et patenas consecrare, ecclesias, coemeteria, paramenta et vestes, quae ad sacrificium missae adhibentur, benedicere solent. Eodem iure superiores religiosorum mendicantium ex priuilegiis pontificiis vtuntur. (*e*) Can. 12. XVI. q. VII.

§. 447. Monasteria ratione regiminis eccles. exemta et non exemta.

Haec aliaque iura et priuilegia (*a*) abbatibus et monasteriis ita concessa sunt, vt de reliquo salua maneret cuiusque episcopi in monachos suae dioecesis auctoritas, legibus ecclesiasticis et ciuilibus dudum firmata (*b*). Verum inde a seculo XI. pontifices Romani non solum monasteria quaedam sigillatim, sed integros regularium, praesertim mendicantium ordines curae ac regimini episcopali subtrahere, sibique *immediate* subiicere coeperunt. Grauissimis querelis continuisque litibus exemtiones eiusmodi causam dederunt (*c*). Tandem Concil. Tridentinum exemtos in iis saltem causis, quae maxime offensioni erant, episcopis rursus sub-

iecit, ea tamen conditione, vt hac potestate non *suo nomine*; sed tanquam *delegati sedis apostolicae* vterentur (*d*).

(*a*) Cuiusmodi sunt, quae *Gratianus* Can. 5. 6. 7. 19. XVIII. q. II. refert, et quae suis locis commemorabimus. (*b*) Can. 12. XVI. q. I. Can. 10. XVIII. q. II. L. 40. 44. Cod. *de Episc. et cler.* Nouell. XXXIII. cap. 21. (*c*) Cap. 12. *de Excess. prael.* Cap. vn. *eod.* in Clem. Cap. 3. *de Priuileg.* Cap. 1. 5. 7. *eod.* in VI. (*d*) Sess. XXV. cap. 4. 11—14. *de Regular.*, aliisque pluribus locis. Quod autem episcopi et principes Germaniae in concilio Tridentino desiderarunt, vt, sublatis exemtionibus, omnia monasteria sub ius et potestatem episcopi, in cuius dioecesi sunt, simpliciter redigerentur, id legibus Austriacis dudum constitutum est. *Constitut.* 352. Collect. cit. Idem Edicto Bad. Organis. IV. §. XIII. 5. sancitum legimus.

§. 448. Praelati Germaniae immediati quondam, vel mediati.

Habita ratione reipublicae ciuilis *Abbates* in Germania vel *immediati* erant, Imperatori et imperio proxime subiecti, omnesque fere *status imperii*, vel *mediati* sub ditione et tutela aliorum imperii statuum (*a*). Plures vtriusque generis *principum imperii* nomine et dignatione fruebantur (*b*), et inter *immediatos* in collegio principum ecclesiasticorum quidam suffragii *viritim* (c), reliqui ex duobus collegiis, *Sueuico* et *Rhenano*, *curatim* dandi iure gauisi sunt. Abbates autem *mediati* primum inter status prouinciales locum obtinuerunt (*d*).

(*a*) Eadem distinctio inter *Abbatissas* locum habuit. (*b*) Veluti *Abbates S. Emmerami* Ratisbonae *S. Blasii* in silua nigra, *Ochsenhusanus* in Sueuia.

(c) Exemplo sunt *Abbates Campidunensis* et *Stabulensis.* (d) Ita inter status prouinciales Brisgouiae claruerunt abbates *S. Blasii*, *S. Petri*, *S. Trudperti*, *Schutteranus*, *Thenenbacensis*, *Cellae S. Mariae*, abbatissae *Wonnenthalensis* et *Güntersthalensis*.

§. 449. Status religiosi fata nouissima.

Quot quantisque laudibus olim status religiosus fuit celebratus, in tot tantasque vituperationes tandem adductus est. Notae et peruulgatae sunt querelae, quae de nimia religiosorum multitudine et varietate, de dura votorum perpetuitate, coactuque inciuili, de inepta et molesta plurimorum mendicitate, aliisque multis, quae e re monachica veniant, incommodis habebantur. His quidem omnibus remedia dari facile potuissent. Sed illis, qui summam rerum tenent, aliter placuit. Sublata et extincta iam sunt vbique fere omnia monasteria (*a*), bonis eorum et possessionibus in publicum redactis.

(*a*) Exceptis his, quae hic et illic, et in Austriaco praesertim imperio conseruata sunt.

§. 450. Conditio regularium sublatis eorum monasteriis.

Vota religiosa sacrum, cui vouens se mancipat, sodalitium ponunt, eoque, tanquam fundamento et conditione, ita nituntur, vt nemo sanus illa nuncupasse censendus sit, nisi quatenus sodalitii sui iuribus frui posset. Quoniam vero omnis pactio, conditione, sub qua inita est, deficiente, dissoluitur; consequens est, regulares, sublatis eorum collegiis et mo-

nasteriis, hoc ipso votis religiosis solutos, statuique seculari redditos esse, nullaque amplius dispensatione indigere (*a*).

(*a*) Qua de re legibus patriis speciatim ita cautum est: 1. Regulares vtriusque sexus a die aboliti monasterii gaudeant iure siue successione hereditaria, siue alio quocunque modo legitimo bona acquirendi' 2. Bonis suis libere vtantur fruantur; inter viuos autem bona immobilia, et pecunias fenori datas, non alienent, 3. Mortis causa de bonis suis pro arbitrio disponendi facultatem habeant, attamen ad manus mortuas extra patriam nihil deferant 4. Si dimissi regulares decedunt, legitimae successionis ordo seruetur. *Ephemerid. regim. Bad.* an. 1807. pag. 66.

CAPVT IV.

DE RELIGIOSIS HOSPITALARIIS ET MILITARIBVS.

§. 451. Religiosi hospitalarii et militares.

Restat, vt de illis religiosis breuiter disseramus, qui praeter pauperum et aegrotorum curam, ad quam initio instituti erant, religionis quoque Christianae, vi et armis defendendae munus susceperunt (§. 429.), et propterea *hospitalarii* et *militares* dicti sunt.

(*a*) De his, vt primum in scenam prodierant, Bernardvs ita censuit: *Miro quodam ac singulari modo viuunt, adeo vt pene dubitem, quid potius censeam appellandos, monachos an milites, nisi quod vtrumque forsan congruentius dixerim.*

§. 452. Ioannitici et Teutonici.

Singulari huic religiosorum generi occasionem dederunt tum peregrinationes, tum expeditiones illae *cruciatae* in Palaestinam, vbi tres illius species eodem seculo XII. exortae sunt. Et primo quidem *Hugo de Paganis* cum suis sociis *fratres*, seu *milites templi*, vulgo *Templarios*, a templo Hierosolymitano, iuxta quod sedem fixerant, ita dictos, instituit. Dein *Raymundus de Podio* fratres hospitalis Hierosolymitani, S. Ioanni dicati, ad arma contra Saracenos capessenda animauit. Eodem postea modo *Henricus Walpot de Passenheim* xenodochii in honorem B. V. Mariae pro natione Germanica Hierosolymis exstructi fratres, qui *Mariani* et *Teutonici* appellati sunt, in aciem eduxit (*a*). *Templarios* quidem *CLEMENS V.* in concilio Viennensi funditus deleuit; *Ioannitici* autem et *Teutonici* ad nostra vsque tempora floruerunt.

(*a*) Horum ordinum fit mentio in cap. 10. *de Decim.* Cap. 18. *de Regular.* Cap. 3. seqq. *de Priuileg.* Cap. 2. §. 2. *de dom. relig.* in Clem.

§. 453. Communia vtriusque ordinis.

Communia vtriusque sunt haec: 1. Sicut horum, ita et illorum ordini praeest *Magnus Magister*, tanquam *superior generalis*, et vbi is residet, ibi totius ordinis domicilium, *Conuentus*, et vnicum quasi monasterium est (*a*). 2. Vtriusque ordinis sodales maximam potioremque partem *equites* et *laici*, partim vero etiam *clerici* sunt, quos illi ad sacra in ecclesiis suis

facienda in societatem assumpserunt. 3. Cum hi, tum illi, peracto nouitiatus anno, vota religiosa diserte nuncupant. 4. Bona et praedia, quae vterque ordo passim, eoque modo possidet, quo monachi *cellulas*, seu *obedientias* habent, *commendae* vocantur. 5. Has fratres, *commendatarii*, ita administrant, vt, certa prouentuum parte ordini persoluta, de reliqua inter viuos libere, mortis autem causa non, nisi venia a superiore impetrata, disponere possint. 6. Vitae communis disciplina soluti, quo lubet, facta professione discedunt, eaque libertate, obtenta etiam commenda, vtuntur. 7. Vterque insuper ordo, episcoporum potestate exemtus, summo pontifici immediate subiectus est.

(*a*) Euerso Christianorum regno Hierosolymitano Ioannitici in insula Rhodo, eaque amissa in insula Melita Caroli V. Imp. beneficio domicilium et conuentum suum collocarunt, vnde *Rhodii*, tum *Melitenses* dicti sunt. *Teutonici*, Prussia fidei christianae suaeque ditioni subiecta, *Marienburgi*, inde autem pulsi *Mergenthemii* in Franconia sedem principalem posuerunt. Nunc vtrique certo ac communi domicilio carent.

§. 454. Ordinis Ioannitici in linguas diuisio.

Ordo Ioanniticus, per omnes Europae partes quondam diffusus, ex octo *Linguis*, ceu partibus, constabat (*a*). Linguae in *Prioratus*, e pluribus *commendis*, intra certam prouinciam sitis, compositos, abeunt. Fratres laici et clerici, in prioratum recepti, *Capitulum prouinciale* consti-

tuunt, cui *Prior* abbatis instar praeest, *magno* vtique totius ordinis *Magistro* obnoxius.

(*a*) Inter has erant *Gallicae* tres, *Hispanicae* duae, *Italica*, *Anglica* eiusque loco aliquamdiu *Bauarica* et *Alemannica*. Nunc omnes penitus fere euanuerunt.

§. 455. Linguae Alemannicae prioratus duo.

Linguae Alemannicae duo adhuc *Prioratus*, *Germanicus* et *Bohemicus*, aliis, *Daniae* scilicet, et *Hungariae* pridem extinctis, supererant. *Illius*, nunc pariter sublati, sedes Heitershemii in Brisgouia nostra fuerat, eumque *supremus per Germaniam ordinis Magister* regebat, princeps quondam imperii, sede et iure suffragii in comitiis praeditus (*a*). Ad hunc prioratum non nisi Germano, et ad equitis gradum non nisi nobilitate Germanica auita illustri aditus patebat.

(*a*) Prioratus Germanici appendix erat *Balliuia Brandenburgica*, seu *magnum magisterium Domini*, tanquam peculiare sodalitium, religioni Lutheranae addictum, cuius caput *Magnus Dominorum Magister* audit. Eius membra seruant quodammodo ordinis instituta, votis autem religiosis se non obstringunt.

§. 456. Ordinis Teutonici constitutio.

Ordo Teutonicus, Germaniae proprius, in *Balliuias* distinguebatur (*a*), quarum praesides non Priores, sed *Commendatores prouinciales* vocabantur. Totius ordinis rector, *Magnus Teutonicorum Magister*, inter principes imperii primum post archiepiscopos locum in comitiis tenuerat. Sodales omnes Germanici, et equi-

tes quidem auita nobilitate clari sint, necesse est (*b*).

(*a*) Earum duodecim numerabantur, e quibus sola Austriaca adhuc subsistit. (*b*) In eorum numerum Protestantes quoque recepti sunt, sicubi die et anno normali in possessione bonorum ordinis fuerunt, iique et vota religiosa nuncupare tenebantur. Instr. Pac. Osnab. Art. V. §. 14. 16. 25.

SECTIO III.

DE STATV ECCLESIASTICO SPECIATIM SIC DICTO, SEV DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

CAPVT I.

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS GENERATIM.

I. 33. *De Maioritate et Obedientia.*

§. 457. Status eccles. speciatim: Officium eccles.

Status *ecclesiasticus*, *speciatim* sic dictus, ab *officio* pendet, quod quis in ecclesia gerit. *Officii* autem *ecclesiastici* nomine veniunt certa ecclesiae negotia, vi potestatis ecclesiasticae eum in finem definita, vt ab idoneo ministro procurentur. Eodem nomine etiam venit obligatio et ius eiusmodi negotia obeundi. Potestatis nempe ecclesiasticae est ius curandi, vt

negotia ecclesiae recte atque ordine, et e communi bono administrentur (§. 34.); id autem in tanta illorum multitudine et grauitate fieri non potest, nisi certa quaedam negotia, certis personis committenda, hoc est, *officia ecclesiastica* constituantur. Et hoc iure *episcoporum* et *presbyterorum* munia definita (§. 51.), illis *dioeceses*, his *parochiae* assignatae (§. 54.); varii cum *clericorum* (§. 56.), tum *episcoporum* (§. 57.) *ordines* et *gradus* stabiliti sunt, atque vniuersa *hierarchia* (§. 66.) ordinata est.

§. 458. Eius species praecipuae.

Officia igitur *ecclesiastica* ratione *negotiorum* 1. vel *sacra* sunt, quae in actibus ordinis versantur, vel *dignitates*, seu *praelaturae*, quae iurisdictionem, quam *propriam* vocant, suo scilicet nomine ac iure exercendam tribuunt (*a*), vel *officia*, simpliciter sic dicta, quae nec sacra, nec dignitates sunt. Nudum honoris nomen, praerogatiuam quamdam afferens, *personatus* vocatur (*b*). Ratione *stabilitatis* officia ecclesiastica 2. in *perpetua* et *temporaria* distinguimus, quatenus, vt semper durent, et perpetuo administrentur, instituta, vel ad tempus duntaxat comparata sunt.

(*a*) Alia *dignitatis* est notio in capitulis ecclesiarum cathedralium, vbi *dignitas*, scilicet *ventosa*, est quoduis officium, quiuis personatus, cui vsus et consuetudo nomen dignitatis attribuit. Cap. 6. *de Consuetud.* (*b*) *Dignitates*, *officia* et *personatus* ius nostrum satis clare distinguit Cap. 8. *de Constit.* Cap. 8. *de Rescript.* Cap. 28. *de Praebend.* Cap. 15. *eod.*

in VI.; quae autem notiones vocibus hisce respondeant, interpretum iudicio relinquit.

§. 459. Officii sacri partes.

Officium sacrum, quod minores tantum ordines exequitur, *commune* (*a*), quod *sacrorum* ordinum functiones exposcit, *sacrum speciatim* appellamus, idque rursus, prout *curam animarum* (§. 383.) iniungit, vel ab ea liberum est, in *curatum* (*b*), et *non curatum* (*c*) diuiditur.

(*a*) Tale officium gerunt *canonici*, *vt tales*, decantandis in templo horis canonicis destinati Can. 24. Dist. V. *de Consecr.* Cap. 1. *de Celebrat. miss.* in Clem., iis scilicet similes, qui *psalmistae*, seu *cantores*, (§. 381.) vocantur. Tale quoque officium esset clericorum minorum ordinum, ecclesiae cuidam ex mandato episcopi inseruientium. Conc. Trid. XXIII. Cap. 6. 17. (*b*) Cap 14. *de aetat. qual* etc. Conc. Trid. Sess cit. Cap. 1. Qui inepta distinctione *iurisdictionis* in *internam* et *externam* (§. 47.) vtuntur, *curam* quoque *animarum* in eam, quae vel *interni*, vel *externi fori* est, diuidunt, itaque officia iuridicialia curatis accensent; monent tamen, ea *improprie curata* appellari. (*c*) Huc pertinent *Capellani* seu *Sacellani*, quibus missas certo loco aut tempore faciendi munus obtigit. Cap. 11. *de Praebend.*

§. 460. Praelati primigenii.

Praelati primigenii et *principales* sunt *Episcopi*, hoc ordine se excipientes, et inter se coniuncti, 1. *Episcopi dioecesani* (§. 54.), qui clerum et populum suae dioecesis regunt, 2. *Metropolitani*, nunc *Archiepiscopi* (§. 59.), qui episcopis, in sua prouincia positis, praesunt, 3. *Patriarchae* (§. 60.), qui metropolitanis et caeteris episcopis praesident, 4. *Summus Episcopus* (§. 62.)

qui *primatum* inter omnes summamque per totam ecclesiam auctoritatem obtinet (*a*).

(*a*) Can. 1. §. 1—8. Dist. XXI. *Primates* et *Patriarchae minores* (§. 61.), ad archiepiscoporum ordinem pertinent.

§. 461. Praelati secundarii.

Hos sequuntur *Praelati secundarii* et *asciti*, qui, etsi episcopi non sint, iurisdictionis tamen ecclesiasticae partes siue ex *iure communi*, siue ex *priuilegio*, aut *consuetudine* et *praescriptione* adepti sunt, veluti 1. *Cardinales* presbyteri et diaconi, 2. *Legati* pontificii seu *Nuntii* apostolici, 3. *Archidiaconi*, quales quondam fuerunt, 4. *Abbates monachorum* et *Praepositi*, qui abbatum instar collegia *canonicorum* regunt, 5. *Rectores* aliorum *religiosorum*, variis nominibus (§. 442.) insigniti.

§. 462. Exemti eorumque species.

Inter *Abbates* aliosque collegiorum eccles. rectores alii erant *exemti*, alii, prout par est, regimini episcopali proxime subiecti (§. 447.). *Illorum* tres in iure nostro occurrunt species: 1. *Exemti simpliciter*, qui in collegii sui sodales tantum episcopi vice iurisdictionem habent (*a*); 2. *Praelati cum iurisdictione quasi episcopali*, qui clerum et populum per certum dioecesis tractum regunt (*b*); 3. *Praelati nullius dioeceseos*, qui territorium, ab omni dioecesi plane auulsum, quasi propriam dioecesin gubernant (*c*).

(*a*) Cap. 7. *de Consuetud.* Cap. 13. *de off. iud. ord.* Cap. 4. *de confir. vtil.* (*b*) Cap. 3. *de in integ. rest.*

Cap. 15. 18. *de Praescript.* Conc. Trid. XXV. Cap. 11. *de Regular.* (c) Conc. Trid. V. cap. 2. XXIII. cap. 10. Sed nunc omnes illae exemtiones in terris quidem Austriacis peculiari lege, in aliis Germaniae partibus per abolitionem capitulorum et monasteriorum penitus sublatae sunt.

§. 463. Officia eccles. speciatim sic dicta.

Officia ecclesiastica, *simpliciter* sic dicta, obeunt 1. iurisdictionis episcopalis administri veluti *officiales*, seu *vicarii generales* et *foranei*, item *consiliarii* et *commissarii* episcopales. 2. Liturgiae et disciplinae curatores, videlicet *archipresbyteri*, *decani vrbani* et *rurales*, item *primicerii*, 3. bonorum ecclesiasticorum administratores, vti quondam *praepositi* aut *cellerarii* capitulorum cathedralium, hodie *oeconomi*, a capitulo, sede vacante constituendi, 4. aliorum ecclesiae negotiorum executores, vti *scholastici*, *sacristae*, *custodes*. Sed ex hisce officiis plura vel oblitterata sunt, vel in vanos *personatus* abierunt (*a*).

(*a*) Officia ecclesiastica sicut communi ecclesiae bono *immediate*, ita reipublicae ciuilis saluti *mediate* inseruiunt (§. 129.). Contra vero munia, vi imperii ciuilis constituta, et officio ecclesiastico commissa, ciuitatis causam *immediate* attingunt. Ex quo intelligitur, quatenus *ministri ecclesiastici* simul *vt ciuiles* spectandi sint.

CAPVT II.

DE SVMMO PONTIFICE.

§. 464. Summus Pontifex: Primatus.

S*ummus pontifex* est is, quem ecclesia catholi-

ea tanquam praesidem, omnium episcoporum principem, vnitatis rectique ordinis custodem ac vindicem agnoscit (§. 62.). Summam iurium, quae propterea in vniuersam ecclesiam eidem attributa sunt, *Primatum* vocamus (§. 82), eumque singulari prorsus honore ac potestate conspicuum, in *honoris* et *iurisdictionis* primatum distinguimus.

§. 465. Primatus honoris.

Et *honoris* quidem argumenta sunt 1. *tituli amplissimi*, qui, cum omnibus olim episcopis communes essent, nunc summo episcopo ita proprii sunt, vt is solus *Summus Pontifex* (*a*), *Vicarius Christi* (*b*), *Sanctissimus Pater* et *Papa* (*c*), *Seruus seruorum Dei* (*d*), eiusque sedes *Sedes apostolica* eximie appelletur; 2. clarissima *dignitatis insignia*, quo praeter ornamenta episcopalia pertinent *baculus pastoralis rectus*, cui signum crucis impositum est (*e*), et *corona aurea triplex*, quae *Regnum* vocari solet (*f*); 3. singularia *reuerentiae signa*, quorum longe praecipuum est *osculatio pedum* (*g*), qua alios quoque episcopos venerari, olim moris erat (*h*).

(*a*) Nomen *summi pontificis* episcopis tribuit concil. Agathense an. 506. ap. *Gratian.* can. 13. Dist. XVIII. (*b*) *Episcopus personam habet christi, Vicarius Domini est.* AMBROSIVS ap. *eund.* can. 19. XXXIII q. V. (*c*) HIERONIMVS epistolas suas ad AVGVSTINVM ita inscripsit: *Sancto et Beatissimo Papae, Augustino.* Sed GREGORIVS VII. in synodo Romana an. 1073. sanciuit, *vt solus deinceps Romanus pontifex Papa diceretur.* (*d*) Hac appellatione GREGORIVS M. vti coepit, vt ab arrogantia Ioannis,

patriarchae Constantinop., qui *patriarchae oecumenici* titulum sibi sumpserat, se quam maxime alienum esse, ostenderet. (e) Romanus pontifex non vtitur baculo pastorali curuo, *tum propter historiam, tum propter mysticam rationem*, vt ait INNOCENT. III. in Cap. vn. §. 9. *de sacr. vnct.* (f) *Constantinum M.* inter caetera *coronam* quoque SYLVESTRO pontifici dono dedisse, ex supposititio Can. 14. Dist. XCVI inde a seculo X. plurimis persuasum erat. Quod autem *Clodouaeus*, rex Francorum, coronam auream cum gemmis, quae *regnum* appelletur Romam S. Petro miserit, SIGEBERT. *Gemblac. Chronogr.* ad. an. 510. testatur. De BONIFACIO VIII. traditur, quod is primus *triplicem coronam* sibi imposuerit. (g) Morem honoris causa pedes osculandi, Romani Impp. ex Asia in Europam induxerunt. Id de *Diocletiano* speciatim refert POMPON. *Laetus* in *Compend. Hist. Rom.* Lib. II. (h) Id quod GREGORIVS VII. innuit, cum inter papae praerogatiuas numerauit, *quod solius papae pedes omnes principes deosculentur.*

§. 466. Primatus iurisdictionis.

Primatum iurisdictionis duplicis generis *iura* illustrant, *naturalia* scilicet, seu *primigenia*, quae ad seruandam cum fidei vnitatem, tum disciplinae ac liturgiae integritatem comparata sunt (§. 80.), et *aduentitia* seu *reseruata*, quae variis ex causis primatui accreuerunt (§. 84.). *Illa* quae sint, alio in loco (§. 83.) exposuimus; *horum* quaedam *causarum maiorum* nomine recepta, quaedam vero tum pactis et *concordatis* circumscripta, tum *toleranter* hucusque admissa, tum *legibus principum*, vt suis locis indicabimus, penitus *abrogata* sunt (*a*).

(*a*) In terris nostris *bullae*, *breuia* (§. 233.), et

quaecunque constitutiones pontificiae, veteres aeque ac nouae (§. 236.), tum demum valent, et in causis obuenientibus ius faciunt, si *placito regio* (§. 144.) approbatae fuerint. *Constitut.* 235. §. 3. Collect. cit. *Edict. Constit. Bad.* I. §. 21.

§. 467. Causae maiores.

Causarum maiorum nomine illae inprimis hic veniunt, quae episcopos et episcopatus attingunt (§§. 177. 189.). Ita summo pontifici reseruatum est 1. ius episcopos exauctorandi (*a*), ab vna sede ad aliam transferendi (*b*), eorum abdicationes seu cessiones permittendi (*c*), electos vel postulatos, siquidem sedi apostolicae *immediate* subiecti sint, confirmandi et consecrandi (*d*), impeditis porro coadiutores dandi (*e*); 2. ius nouos episcopatus instituendi (*f*), cathedras episcopales ex vno loco ad alium transferendi (*g*), plures episcopatus coniungendi (*h*), vel eum in plures diuidendi (*i*). Quibus adde 3. ius solenni *canonizationis* aut *beatificationis* ritu in sanctorum numerum eos referendi, qui, editis tantae sanctimoniae documentis, ex hac vita migrarunt (*k*), 4. ius instituta religiosa approbandi et abrogandi (*l*).

(*a*) Cap. 2. *de Translat. episcop.* Conc. Trid. XXIV. cap. 5. (*b*) Cap. 1. *de Translat. episc.* (*c*) Cap. 2. *eod.* (*d*) Ex *iure communi* suffraganeorum cum electorum confirmatio, tum postulatorum admissio, eorundemque consecratio ad metropolitanum pertinet. Cap. 44. *de Elect.* Cap. 6. 7. *de Temp. ordinat.* Sed ex *concordatis nationis germanicae* ius confirmandi electos postulatosue admittendi summo pontifici generaliter tributum erat. An metropolitani, an pontificis vi concordatorum sit ius consecrandi

suffraganeos, interpretes non consentiunt. Recentiores illud metropolitano vendicant. At vero ex vsu et consuetudine contrarium obtinuit. (e) Cap. vn. *de cler. aegrot.* in VI. Conc. Trid. XXV. cap. 7. (f) Id quod contra ius scriptum can. 50. 51. XVI. q. I. Cap. 16. de M. et O. vsu et consuetudine firmatum est. (g) Ius hoc non tam can. 21. 44. VII. q. I., quam argumento, ab episcoporum translatione et episcopatuum constitutione desumto nititur. (h) Can. 48. 49. XVI. q. I. Cap. 1. *Ne sed. vac.* Cap. 8. *de Excess. prael.* (i) Cap. 5. *de Praebend.* Extrau. Com. (k) Ex vsuali interpretatione cap. 1. *de Reliq. et vener. sanct.* (l) Cap. 9. *de Relig dom.* Cap. vn. eod. in VI.

§. 468. Iura primatus pactis circumscripta.

Pactis et *concordatis*, quibus Germania sibi prospicere nitebatur (§. 242.), cum papales *beneficiorum reseruationes*, tum *iurisdictionis episcopalis violationes* ad modum aliquem reuocatae sunt (§§. 244—246.). Et de *iudiciis* quidem in hasce regulas conuentum est: 1. Omnes causae eccles., exceptis illis, quae de iure summo pontifici reseruatae sunt, in *prima instantia* coram iudicibus *ordinariis* pertractentur, eorumque iurisdictio *mandatis* et *rescriptis* pontificiis non impediatur. 2. Nulla appellatio locum habeat, nisi a sententia *definitiua*, vel definitiuae vim habente, et cuius grauamen per definitiuam reparari haud posset. 3. Appellatio gradatim, ab iudice scilicet inferiore ad *immediate* superiorem, fiat, ideoque ad papam prouocare, omisso medio, non liceat (*a*). 4. Causae, ad summi pontificis tribunal recte atque ordine deuolutae, iudicibus in quauis dioecesi, ad id designatis, committantur (*b*).

(*a*) Contra vero curiam Romanam, pratermisso metropolitani iudicio, appellandi consuetudo (§. 245.) rursus inualuit. (*b*) Idem fere de iudiciis eccles. in Conc. Trid. XXIV. cap. 20. XXV. cap. 10. constitutum, idem legibus quoque Austriacis, *Constitut.* 463. 465. Collect. cit., et *Edicto Bad. constit.* I. §. 20. sancitum est.

§. 469. Iura eius patienter tolerata.

Ad ea, quae a Germanis ad id vsque tempus *patienter tolerata* sunt, haec potissimum (§. 189.) pertinent: 1. Inepta *iurisiurandi*, ab episcopis praestandi, formula (*a*), 2. *Facultates* plane superfluae, episcopis ad certos annos dari solitae (*b*), 3. *Reseruationes absolutionum* a peccatis et censuris, vltra omnem modum multiplicatis (c). 4. *Reseruationes dispensationum* in causis haud adeo magni momenti (*d*), 5. *Dispensationes* in causis, ac si reseruatae essent, etsi canones de earum reseruatione prorsus silent (*e*).

(*a*) Quo minus ea in reipublicae iurisue patrii damnum verti posset, *legibus Austriacis* cautum est, vt episcopi, antequam pontifici iurent, peculiari iureiurando principi ac patriae se obstringant. *Constit.* 325. Collect. cit. (*b*) Ex *lege Austriaca* (26. August. 1782.) episcopi facultates istas, siquidem iis opus esse putent, *placito regio* subiicere tenentur. (*c*) Quaestio non est de delictis *occultis*, eorumque absolutione pro *foro interno*. Nam in his, et pro hoc tantum foro absoluendi potestatem episcopis fecit Conc. Trid. XXIV. cap. 6. Eandem facultatem pontifices omnibus fere religiosorum ordinum, praesertim mendicantium presbyteris concesserunt. (*d*) Exemplo sunt *irregularitates* (§. 390.), et *vota* in Cap. 5. *de Poenit.* Extrau. com. (*e*) Huc praecipue pertinent *dispensationes in causis matrimonialibus*, quandoqui-

dem neque in corpore iuris canonici, neque in concil Trid. quidquam reperitur, quod certo esset argumento, eas solius summi pontificis iudicio vnquam reseruatas fuisse. Sed apud nos, causis matrimonialibus ad forum ciuile reuocatis, eiusmodi dispensationes ecclesiasticae, quatenus ad iustum atque legitimum matrimonium pertinent, penitus cessant.

CAPVT III.

DE CARDINALIBVS.

§. 470. Cardinales.

Primum a summo pontifice locum hodie obtinent *Cardinales*, illius scilicet administri et consiliarii secretiores (§. 222. 223.). Hos inter semper fuerunt *episcopi* dioecesium Romae vicinarum, reliqui tum *presbyteri*, ecclesiis paroecialibus, tum *diaconi*, domibus religiosis, in vrbe sitis, praefecti. Eorum *numerum*, progressu temporis auctum, *SIXTVS V.* ita definiuit, vt plures non fierent, quam sex *episcopi* vicini, *quinquaginta presbyteri*, et *quatuordecim diaconi*, non ab ordine sacro, quasi presbyteri aut diaconi tantum essent, sed a paroeciis et diaconiis, quae in vrbe sunt, vel quondam fuerunt, appellati.

§. 471. Eorum creatio.

Cardinales istos ipse summus pontifex ex suo iudicio constituit, et in consistorio (§. 225.) promulgat. Ius tamen nominandi aliquem, ad

hanc dignitatem euehendum, principes catholici sibi asserunt; vnde *cardinales coronae* vocantur (*a*).

(*a*) Solebant porro principes vnum e cardinalibus constituere quasi *Protectorem*, qui negotia eorum ecclesiastica apud summum pontificem procuraret. *Protectorem nationis Germanicae* Imperator constituebat.

§. 472. Dotes.

In creandis autem cardinalibus papa eorum omnium rationem habeat, oportet, quae de vita, aetate, doctrina aliisque dotibus episcoporum constituta sunt, eosque ex omnibus Christianis nationibus, quantum fieri commode potest, seligere studeat (*a*).

(*a*) Conc. Trid. XXIV. cap. 1. XXV. cap. 1. Ex decreto Concilii *Basileensis*, principum Germaniae *concordatis* (§. 243.) firmato, XXIV tantum Cardinales ex omnibus ecclesiae partibus per suffragia ipsorum cardinalium seligendi, eaque lege obstringendi essent, vt pontifici perpetuo assisterent, et in officio fors cessantem admonerent.

§. 473. Munia viuo pontifice.

Munus cardinalium, *viuo pontifice*, in eo potissimum consistit, vt eundem in curandis et agendis negotiis, quae e toto orbe Christiano ad sedem apostolicam deferuntur, adiuuent (*a*), siue tanquam *senatores* consistorii pontificii, siue tanquam aliorum collegiorum, quae pro certis negotiorum generibus instituta sunt, *praesides* et *consiliarii*, vti supra (§. 221. seq.) iam commemorauimus.

(*a*) Sed hoc munere non funguntur exteri episcopi et archiepiscopi, cardinalium nomine ac dignitate exornati, vtpote quos suarum ecclesiarum cura et regimen impedit. Conc. Trid. XXIII. c. 1.

§. 474. Munia eo vita functo.

Pontifice, *vita functo*, vnum fere cardinalium munus in eligendo nouo pontifice versatur. Id nempe muneris ac iuris, quod antea ecclesiae Romanae fuit, tum imperatores et reges sibi vendicarunt (*a*), *ALEXANDER III.* in Concilio Lateranensi III. omnibus ac solis cardinalibus ita attribuit, vt is summus pontifex esset, in quem duae tertiae consenserint (*b*); electionis faciendae vero tempus, locum, modumque, a cardinalibus, in conclaue inclusis, seruandum *GREGORIVS X.* in Lugdunensi II., et *CLEMENS V.* in Viennensi concilio constituerunt (*c*). Sicut autem *cardinales* nunc eligendi, ita *principes catholici* hunc illumue summo pontificatu excludendi iure vtuntur; qua ratione *hi* compromissum, vt *illi* papam eligerent, fecisse, eumque, quem non excluserint, hoc ipso agnouisse, censentur.

(*a*) Initio pontifices Romani, vt alii episcopi, *suffragante clero et populo* eligebantur; postea imperatores et reges persaepe eos nominarunt (§. 238.). Seculo XI. Nicolavs II. praecipuas quidem in electione pontificis partes cardinalibus episcopis detulit, saluo tamen aliorum, cleri et populi iure. Can. 1. Dist. XXIII. Can. 1. 9. Dist. LXXIX. (*b*) Cap. 6. *de Elect.* (*c*) Cap. 3. *eod.* in VI. Cap. 2. *eod.* in Clem. Sede pontificia *vacante*, nullam esse cardinalium auctoritatem in omnibus negotiis, quae ad pontificem, *vt talem*, pertinent, nisi summa forte necessitas vrgeat;

omnes porro magistratus, partem aliquam muneris pontificii administrantes, cessare, excepta *poenitentiaria*, modo laudatae pontificum constitutiones edocent.

§. 475. Iura cardinalium.

Inter alia *iura*, quae cardinalibus vulgo tribuuntur, id vnum certum est, quod nempe *presbyteri* et *diaconi*, qui Romae morantur, in titulis suis *iurisdictionem quasi episcopalem* (*a*), et illi quidem, vt interpretes tradunt (*b*), minores ordines suis paroecianis dispensandi facultatem habeant. Reliqua vel oblitterata, vel ratione destituta sunt. (*c*).

(*a*) Cap. 24. *de Elect.* Cap. 11. *de M. et O.* (*b*) Arg. cap. 11. *de aetat. qual. et ord. praefic.* (*c*) Veluti, quod legibus poenalibus non teneantur ex cap. 4. *de Sent. excom.* in VI., quod crimen laesae maiestatis in eos committi possit ex cap. 5. *de Poen.* in VI., quod illis fides habenda sit, etiam non exhibitis mandati litteris ex can. 3. Dist. XCVII., quod ad condemnationem eorum viginti septem, immo septuaginta testes requirantur ex can. 2. II. q. IV.

§. 476. Eorum ornamenta.

Ad illustrandam cardinalium dignitatem concessa iis sunt 1. ornamenta *pontificalia*, quae illis eo magis conuenire videbantur, quod omnes episcopos praecedendi honore gaudeant; 2. nomen *Eminentissimi*, quo praeter ecclesiasticos Romani imperii electores, et hospitalis Hierosolymitani magistrum solos cardinales appellari, *VRBANVS VIII.* iusserat; 3. vestitus, galerus, pileusque *purpureus*, quo *INNOCENTIVS IV.* eos decorauit.

CAPVT IV.

DE LEGATIS PONTIFICIIS.

I. 30. De Officio Legati.

§ 477. Legati pontificii.

Legati seu *Vicarii pontificii* hoc loco sunt praelati, a summo pontifice ad iura primatus cum naturalia, tum aduentitia in exteris ecclesiae partibus exequenda constituti (§. 86.), iique vel *nati*, vel *dati* seu *missi* vocantur (*a*), prout vel vi dignitatis, vel ex mandato *speciali* hoc munere funguntur (*b*).

(*a*) Cap. 9. *h. t.* Cap. 1. *eod.* in VI. (*b*) Ab vtroque hoc legatorum genere differunt internuntii illi, *Responsales* seu *Apocrisiarii* dicti, quos Romani pontifices apud aulam imperatorum ad curanda ecclesiae negotia habere consueuerant. Nouell. CXXIII. cap. 25. Can. 12. Dist. XVI. Cap. 4. *de Elect.*

§. 478. Nati.

Cum nempe inde a seculo IV plures, ac antea causae e longinquis regionibus ad sedem Romanam perferrentur (§. 169.); ad eas citius expediendas pontifices episcopos illarum regionum insigniores, et plerumque metropolitanos tanquam vicarios suos adhibere, idemque munus succedentibus metropolitanis deferre solebant (*a*). Tandem munus illud metropolitanis eiusmodi ecclesiis ita affixum videbatur, vt, qui metropolitani, iidem hoc ipso *sedis aposto-*

licae vicarii, et *legati*, quasi *nati* essent, *primates* quoque saepius appellati (*b*).

(*a*) Episcopus Thessalonicensis primus sedis apostolicae in illis partibus vicarius fuisse traditur, a DAMASO, *R. P.* constitutus. Sequentes pontifices eundem honorem eiusdem ecclesiae praesulibus tribuerunt, vti LEO I., cuius ad *Anastasium* Thessalonicensem, tanquam vicarium suum, epistolam refert *Gratian.* can. 8. III. q. VI. Can. 5. XXV. q. II. (*b*) Ita hac dignitate ornati erant Archiepiscopi *Rhemensis* et *Burdigalensis* in *Gallia*, de quibus cap. 13. *Qui fil. sint legit.* Cap. 17. *de M. et O.* Cap. 4. *de Dilat.*, item *Cantuariensis* et *Eboracensis* in *Anglia*, de quibus Cap. 1. *h. t.* et Cap. 1. *de Appellat.* in memo; et praeter alios in aliis regnis *Salisburgensis* quondam in Germania, *Pragensis* in Bohemia, et *Strigoniensis* in Hungaria.

§. 479. Dati seu missi.

Ad hos seculo IX. et deinceps, diuulgatis scilicet falsi Isidori epistolis (§. 172.) receptaque ex iis opinione, ac si primatus vnius dominatus esset (§. 189.), additi sunt legati, a Romanis pontificibus speciatim constituti et *missi*, initio quidem *extraordinarii* ad certas tantum causas, vt, iis confectis, ad papam redirent, tum *ordinarii* et *perpetui*, vt in provinciis, donec auocarentur, persisterent. Cum hi, tum illi, si ex ordine cardinalium sunt, *Legati a latere* (*a*), sin minus, *Nuntii apostolici*, eorumque tribunalia *Nuntiaturae* vocantur (*b*).

(*a*) Cap. 9. *h. t.* Cap. 36. *de Elect.* in VI. Alioqui omnes a summo pontifice missi *de latere* eius dicebantur Can. 36. II q. VI. (*b*) Tales *Nuntii* et *Nuntiaturae* in nostris partibus erant *Viennae* in Austria,

Coloniae Agrippinae in Germania, *Bruxellis* in Belgio, et *Lucernae* in Heluetia, et aliquamdiu *Monachii* in Bauaria.

§. 480. Natorum conditio hodierna.

Quanto ampliorem pontifices potestatem legatis *missis* concesserant (*a*), tanto magis magisque legatorum *natorum* auctoritas decreuit, adeoque tandem collapsa est, vt iam praeter honoris nomen nihil importet, nisi forte peculiaris concessio, aut vsus aliquid adiecerit (*b*).

(*a*) *Vt euellant et dissipent, aedificent et plantent instar proconsulum, caeterorumque praesidum, quibus certae sunt decretae prouinciae moderandae.* Cap. 2. *h. t.* in VI. (*b*) Haud ita faciles in dimittendo iure suo fuerunt Reges Siciliae. Hi enim *ius legati nati* ex concessione Vrbani II. cum regia dignitate perpetuo coniunctum sibi asserunt, idque per peculiare tribunal, nulli appellationi obnoxium, quod *monarchia Sicula* vocatur, adhuc exercent.

§. 481. Vti et missorum.

Sed etiam *missorum* legatorum potestas, quantacunque olim fuerit, nunc valde imminuta est. Etenim ius *procurationes*, seu sumtus itineris exigendi (*a*), beneficia conferendi (*b*) praelatorumque electiones confirmandi (*c*), in prima instantia iudicia habendi (*d*) per consuetudinem, concordata et canones (*e*) ipsis ademtum, statisque insuper notum est 1. *Legatos a latere* ad agendas causas ecclesiasticas non amplius adhiberi, sed *nuntios* tantum, addito quandoque elogio: *cum potestate legati a latere* (*f*) mitti; 2. principes nec hos, nec illos admittere,

nisi exhibita, et, si quid minus placet, emendata mandati pontificii formula, promissum fecerint, se non aliis, quam approbatis facultatibus vsuros esse (g), 3. omnem igitur eorum potestatem non ex *iure decretalium*, sed ex mandati pontificii litteris, principis placito firmatis, aestimandam esse.

(*a*) Cap. 17. 23. *de cens. exact. et procurat.* (*b*) Cap. 6. *h. t.* Cap. 1. *eod.* in VI. Cap. 31. *de Praebend.* in VI. (*c*) Cap. 36. *de Elect.* in VI. (*d*) Cap. 1. *h. t.* (*e*) Conc. Trid. XXIV cap. 20. (*f*) Quod quam vim habeat, haud operae pretium est disquirere, siquidem non a iure, sed a stilo curiae Romanae ortum habet. (*g*) Non obstante cap. vn. *de Consuetud.* Extrau. comm.

§ 482. Nuntii in Germania.

Caeterum legati seu *nuntii perpetui*, in Germaniae partibus recepti, 1. appellationes ab episcoporum iudiciis ex optione appellantis, an metropolitanum, an ipsum pontificem, aut eius nuntium appellare velit, excipere, 2. dispensationes in variis causis concedere, 3. voti aut iurisiurandi vinculum relaxare; 4. censuris constrictos absoluere, 5. delegationes pontificias suscipere, et exequi solebant. Contra vero Archiepiscopi Germaniae iterum iterumque (§. 247.) valde postularunt, vt, nuntiorum iurisdictione penitus abrogata, sola obseruandi, et ad pontificem referendi cura illa relinqueretur.

CAPVT V.
DE ARCHIEPISCOPIS.

I. 8. De auctoritate et vsu pallii.
— 18. De supplenda negligentia praelatorum.

§. 483. Archiepiscopus.

Archiepiscopus, olim *metropolitanus* dictus, est episcopus, qui caeteris alicuius prouinciae episcopis praeest, eoque nomine certas regiminis ecclesiastici partes in eos exercet (§. 79.). *Episcopi* metropolitano subiecti, *suffraganei* dicuntur (*a*), *exemti* contra, qui summo pontifici *immediate* obnoxii sunt (*b*).

(*a*) Can. 10. III. q. VI. Cap. 11. *de Elect.* (*b*) Can. 52. XVI. q. I. Cap. 13. *de M. et O.*

§. 484. Eius iura generatim.

Iura archiepiscopi alia sunt, quae, tanquam episcopus, in suam dioecesin habet, alia, quae ipsi, *vt archiepiscopo*, attributa sunt, eaque in *honoris* et *iurisdictionis* iura abeunt. Haec autem vel *communia* vel *reseruata* sunt, prout vel in concilio prouinciali tantum, vel extra illud explicari possunt.

§. 485. Iura iurisdictionis olim insignia.

Cum haec, tum illa iurisdictionis archiepiscopalis iura valde insignia olim erant (§. 58); nunc autem *communia*, cessante conciliorum prouincialium vsu (§. 95.), per se cessant, re-

liqua longe maximam partem summo pontifici (§. 467.) reseruata sunt.

§. 486. Nunc pleraque oblitterata.

Cessat igitur ius 1. concilium prouinciale cogendi, eique praesidendi (*a*), 2. suffraganeorum dioeceses *visitandi*, cuius nempe vsus ab approbatione concilii prouincialis pendet (*b*). 3. eorum causas *criminales* cognoscendi, eoquod *grauiores* pontifici, *leuiores* concilio prouinciali reseruatae sint (*c*). Frustra porro laudari hic solet 4. ius suffraganeos *consecrandi*, quod summo pontifici (§ 467.) pridem relictum est; 5. ius item subiectionis *iusiurandum* ab iis exigendi, vtpote quod ex eadem formula, moribus et temporibus nostris minus apta (§. 469.), praestandum esset (*d*).

(*a*) Conc Trid. XXIV. cap. 2. (*b*) Sess. cit. cap. 3. (*c*) Sess. cit. cap. 5. Sess. XIII. cap. 8. (*d*) Cap. 13. *de M. et O.*

§. 487. Quaedam adhuc integra.

De reliquo adhuc manet, quod archiepiscopus *iudex* sit suffraganeorum *ordinarius* (*a*). Eius ergo etiamnum est 1. actiones *non poenales*, contra suffraganeos motas, diiudicare (*b*), 2. *apellationes* ab eorum iudiciis recipere (*c*), 3. simplices quoque *querelas* et implorationes contra eorum negligentiam admittere, de iisque ius dicere (*d*), 4. *cessantes in officio* admonere, corripere, censurisque afficere (*e*), *delinquentes* porro summo pontifici denuntiare (*f*).

(*a*) Can. 6. X. q. III. Cap. 11. pr. *de off. iud. ord.*

(*b*) *Criminales* tantum causas Conc. Trid. excepit; reliquae *veterum legum constitutionumque regulis* sunt subiectae. L. 32. §. 6. Cod. *de Appellat.* (*c*) Cap. 1 *de off. ordin.* in VI. Cap. 3. *de Appellat.* in VI. (*d*) Cap. 5. *de Appellat.* Cap. 11. *eod.* in VI. Minime obstat Cap. 1. *de suppl. negl. prael.* vid. *Gratian.* ad Can 21. IX. q. III. (*e*) Cap. 1. *de off. vicar.* in VI. Cap. 1. §. 1. *de off. ordin.* in VI. (*f*) Conc. Trid. VI. cap. 1. XXIII. Cap. 18.

§. 488. Pallium.

Iura *dignitatis* archiepiscopalis in *pallii* et *crucis* praeferendae honore consistunt. Pallio, tanquam praecipuo honoris signo, imperatores olim patriarchas, hi porro ex illorum assensu metropolitanos ornare solebant (*a*). Postea Romani pontifices, pallii, in vestis sacrae formam sensim immutati (*b*), honorem suo iure primum quidem legatis et vicariis suis, tum omnibus metropolitanis deferre, quin et, sicut eius accipiendi necessitatem ipsis imponere (*c*), ita eius concedendi ius sibi solis vendicare coeperunt (*d*).

(*a*) Hac ratione Gregorivs m. ex prisca, vt ait, consuetudine pallia distribuit, vti *Gratian* Can. 2. 3. Can. 5. seq. Dist. C. refert. (*b*) *Pallium* hodie est fascia, lana alba per modum circuli humeris imponendi contexta, ex qua pendent duae similes fasciolae, altera ante pectus, altera intra humeros. Circulo quatuor, fasciolis duae cruces ex serico insertae sunt. *Pallium* a solenni ritu, quo super altare B. Petri consecratur, *a B. Petri corpore desumtum* dicitur Cap. 4. *de Elect.* (*c*) Can. 1. Dist. cit. Cap. 3. *h. t.* (*d*) Cap. 23. *de Priuileg.*

§. 489. Eius subiectum.

Itaque *ex iure communi* pallio affectae sunt

omnes sedes archiepiscopales, *ex priuilegio* quaedam episcopales (*a*). Promoti ad eiusmodi praelaturas intra tres menses a die consecrationis vel confirmationis enixis precibus, ni dignitate sua excidere velint, pallium petere (*b*), magnoque pretio redimere tenentur, cum olim gratis concederetur (*c*).

(*a*) Veluti in Germania *Bambergensis*, *Passauiensis* et *Wirceburgensis* fuerunt. (*b*) Can. 1. 2. Dist. C. (*c*) Can. 3. Dist. cit.

§. 490. Vis et effectus.

Ad hoc axiomatis loco receptum est, *per pallium pontificalis officii plenitudinem cum archiepiscopalis nominis appellatione conferri* (*a*), vnde colligunt, ecclesiae palliatae praefectum, confirmatus licet sit et consecratus, nondum obtento pallio, nec archiepiscopum se nominare, nec actus ordinis, inter missarum solennia, vel in pontificalibus ornamentis celebrari solitos, immo nec actus iurisdictionis archiepiscopo proprios exequi posse (*b*).

(*a*) Cap 3. *h. t.* (*b*) Eoquod eiusmodi actus *non tanquam simplex episcopus, sed tanquam archiepiscopus facere videatur.* Cap. 28. §. 1. *de Elect.*

§. 491. Vsus.

Vsus dein *pallii* ita circumscriptus est, 1. vt licitus non sit extra prouinciam aut dioecesin (*a*), extra dies assignatos (*b*), et functiones pontificales (*c*). 2. Translatus ab ecclesia palliata ad aliam similem nouo pallio opus habet (*d*). 3. Pallium nec commodari, nec alteri relinqui potest, sed palliatus cum eo sepeliendus est (*e*).

(*a*) Cap. 1. 5. *h. t.* (*b*) Cap. 7. *h. t.* (*c*) *Solus Romanus pontifex in missarum solenniis pallio semper vtitur, et vbique*, Cap. 4. *h. t.* (*d*) Cap. 4. in fin. *de Postul. praelat.* (*e*) Cap 2. *h. t.*

§. 492 Honor crucis praeferendae.

Crucis praeferendae honor archiepiscopis ius tribuit petendi, vt, cum publice et solenniter incedunt, vexillum crucis anteferatur (*a*). Eo tamen iure extra suam prouinciam, aut praesente *legato a latere* vti non possunt (*b*).

(*a*) Eodem honore quidam episcopi ex priuilegio gaudent, eodemque Reges Hungariae fruuntur. (*b*) Cap 1. *vt lit. pend. nil innou.* Cap. 23. *de Priuileg.* Cap. 2. *eod.* in Clem.

CAPVT VI.

DE EPISCOPIS.

I. 31. De officio iudicis ordinarii.
III. 39. De censibus, exactionibus et procurationibus.

§. 493. Episcopus.

E*piscopus* est sacerdos ad omnes regiminis ecclesiastici, cum interni tum externi, partes, intra certam regionem, seu *dioecesin*, exequendas constitutus (§. 77.), eoque respectu *Dioecesanus* (*a*), et, quod iurisdictionem vi officii sui teneat, *Ordinarius* vocatur (*b*).

(*a*) Cap. 32. §. 1. *de Praebend.* in VI. Cap. vn. *de suppl. neglig. praelat.* in Clem. (*b*) *Cum episco-*

pus in sua tota dioecesi iurisdictionem ordinariam noscatur habere. Cap. 3. 7. *de offic. ordin.* in VI.

§. 494. Ius constituendi episcopatus.

Ius episcopatus seu dioeceses instituendi, earumque fines ita designandi, vt, qui intra eos degant, ductu et auspicio episcopi ecclesiam particularem (§. 29.) faciant, ad potestatem ecclesiasticam pertinet (§. 457.), et summo pontifici reseruatum est (§. 467.). Etsi enim principis consensu opus sit (§. 143.), isque exigere possit, vt dioecesium fines ad modum reipublicae magis conuenientem reducantur (§. 145.); ipsa tamen illarum constitutio ab auctoritate ecclesiastica pendet (*a*).

(*a*) Ita quoque Protestantes, vbi de iure constituendi *superintendentes*, eorumque dioeceses sermo est, ius hoc principi, non *vt principi*, sed tanquam delegato ecclesiae rectori (§. 119.) attribuunt. Boehmer *Princip. Iur. canon.* §. 185. 186. Non obstat, quod principes aliquando episcopatus instituerint, mutauerintque, vti Novell. XI. legimus. Non enim ex facto ius (§. 150.); sed factum ex iure aestimandum est.

§. 495. Iura episcopalia.

In explicandis autem iuribus, quae in officio episcopali insunt, hac iuris nostri interpretes vti solent distinctione, quod nempe alia *iura iurisdictionis*, alia *legis dioecesanae*, alia *ordinis*, alia denique *honoris et dignitatis* sint.

§. 496. Iura iurisdictionis.

Iura iurisdictionis quae sint, ipsum nomen (§. 34.) indicat. Hoc nimirum nomine epi-

scopus 1. ex consilio presbyterii *canones* condit, et, impetrato principis placito (§. 291. 292.) promulgat. 2. leges, siue a summo pontifice (§. 83.), siue a concilio generali (§. 102.) editas, pro ratione, quam ad ecclesiae suae statum habere videntur, recipit, aut exceptionem petit; 3. *dispensationes* (§. 323.) et *priuilegia* (§. 330) etiam in his, quae *iure communi* sancita, nec speciatim papae reseruata sunt, impertit: 4. officia ecclesiastica constituit (§ 457.), personisque idoneis committit (*a*): 5. bonorum ecclesiasticorum, quae nempe cum ad ecclesias, tum ad collegia ecclesiastica aliasque *pias causas* pertinent, curam gerit, prouisionemque adhibet, vt conseruentur, et ad vsus destinatos impendantur (*b*): 6. vniuersam dioecesin quouis saltem biennio vel per se, vel per delegatos *visitandi* munus exequitur (*c*): 7. lites et controuersias de *liturgia* et *disciplina* ecclesiastica inter dioecesanos exortas, aliasque causas, ad forum ecclesiasticum forte spectantes, cognoscit, 8. canonum violatores *censuris* et *poenis* ecclesiasticis afficit (*d*): 9. voti religione obstrictos, et 10. censuris aut poenis ecclesiasticis obnoxios in causis summo pontifici *expresse* non reseruatis, absoluit atque restituit (*e*).

(*a*) Can. 11. XVI. q. VII. Cap. 3. *de Institut.* Conc. Trid. VII. cap. 13. (*b*) Can. 5. 6. X. q. I. Can. 32. 52. XII. q. II. Etsi principes hanc curam nunc susceperint; manet tamen ius ecclesiae in bona, legitime acquisita; manet igitur ius episcopi ecclesiae nomine eorum curam agendi petendique, vt, cum de patrimonio ecclesiae agitur, ipsius quoque sententia

audiatur. Id quod patriis quoque legibus constitutum est. *Constit.* 235. §. 3. et 314. Collect. cit. *Edict. Constit. Bad.* I §. 12. (c) Can 10 11. 12. X. q. I. *Episcopus ratione episcopalis iurisdictionis, quam habet, teneatur correctionis causa ecclesiam visitare.* Cap. 21. *de Censib.* Formam modumque visitationem peragendi praescribit cap. 1. *de Censib.* in VI., et nouissime Conc. Trid XXIV. cap. 3. Visitationes *generales*, quae per ipsum episcopum eiusue vicarium fiunt, huic aeque ac ecclesiis molestae, raro instituuntur; eas supplent visitationes *particulares*, quae decanis capitulorum ruralium committi solent. Principem per commissarios visitationi ecclesiarum interesse, eamue separatim instituere posse, plani iuris est, ratione eorum nempe, quae rempublicam ciuilem attingunt. Quod autem ad sacra et munia ecclesiastica attinet, ius visitandi ecclesias et personas ecclesiasticas regimini ecclesiastico proprium est, cui etiam Protestantes ius hoc ita adscribunt, vt principi diversae religionis illud plane abiudicent: Boehmer loc. cit. §. 258 (d) Cap 16. *de Offic. iud. ordin.* (e) Cap. 1. *de vot. et vot. redemt.* Cap. 29. *de sent. excomm.*

§. 497. Quatenus ab aliis haberi possint.

Quanquam nulli amplius sunt *praelati*, episcoporum iurisdictione *exemti* (§. 462.); nihil tamen obstat, quo minus iura quaedam iurisdictionis, episcopis per se propria, sicut aliis delegari (§. 47.), ita quoque tum *priuilegio*, tum *praescriptione* ab aliis acquiri possint (*a*), saluo nimirum subiectionis vinculo, quo caeteroquin dioecesani episcopo obstricti sunt. In hoc enim consistit illa *obedientia et reuerentia*, episcopo debita, cui nulla iam praescriptio opponi potest (*b*).

(*a*) Cap. 17. *de Priuileg.* Cap. 15. 18. *de Praescript.*

Non obstat Cap. 16. *eod.* Etsi enim contra visitationem episcopalem nulla valet praescriptio; ius tamen visitandi alius praeter episcopum praescriptione acquirere potest. (*b*) Cap. 12. *de Praescript.*

§. 498. Lex dioecesana.

Ex iure *legis dioecesanae* (*a*) episcopo debetur 1. *cathedraticum* seu *synodaticum*, id est, certa, prout vsus fert, pensio, ab omnibus ecclesiis et beneficio ecclesiastico praeditis in honorem cathedrae episcopalis quotannis soluenda (*b*); 2. *Subsidium charitatiuum* seu *donum gratuitum*, cum *manifesta et rationabilis causa* subest, ab omnibus clericis, supra *congruam* prouisis, accedente principis consensu, praestandum (*c*), 3. *Quarta decimarum*, ad ecclesias parochiales pertinentium (*d*). 4. *Quarta legatorum*, seu certa pars eorum, quae ecclesiis per vltimam voluntatem *indefinite* relicta sunt (*e*). 5. *Quarta mortuariorum* seu *portio canonica*, id est, certa pars bonorum, a clericis relictorum (*f*). 6. *Procuratio canonica*, seu hospitium cum honesto victu, ab iis, qui visitantur, ita suppetitandum, vt in eorum optione sit, an habitationem et victum exhibere, an certam eius loco pecuniam soluere malint (*g*); ab illis autem, qui visitationis munus obeunt, ita percipiendum, vt plus vna procuratione vno die nunquam exigant (*h*).

(*a*) Cap. 18. *de Offic. iud. ordin.* (*b*) Cap 16. *eod.* Can. 1. 8. X. q. III. Lex patria ecclesias et clericos hac pensione dudum liberauit. *Constit.* 530. Collect. cit. (*c*) Cap. 6. *de Cens.* etc. Cap. 1. *de Poenit.* in VI. (*d*) Cap. 4. *de Praescript.* Cap. 13. *de Decim.*

Sed eius rei vix vllus apud nos vnquam vsus fuit. (*e*) Cap. 15. *de Testam.* Quarta haec in terris nostris vsu contrario dudum oblitterata est. (*f*) Cap 9. *de Offic. ordin.* in VI. Sed huius portionis exactio apud nos lege interdicta est. *Constit.* 535. Collect. cit. (*g*) Immunitatem procurationum dat *paupertas*, item *consuetudo* Cap. 11. *de Rescript.* in VI. Conc. Trid. XXIV. cap. 3.; non autem *praescriptio* Cap 16. *de Praescript.* (*h*) Cap 14. 23. *de Cens. exact.* etc. Conc. Trid. *loc. cit.* Ex iure singulari omnia monasteria ab oneribus legis dioecesanae, si procurationes excipis, immunia sunt. Can. 8. X. q. III. Can. 34. XVI. q. I. Cap. 1. *de stat. monach.*

§. 499. Iura ordinis communia.

Officia, et, quae iis respondent, *iura ordinis episcopalis* sunt duplicis generis; quaedam aliis quoque sacerdotibus *communia*, quaedam episcopis *propria* et *reseruata*. Illorum summa in eo consistit, quod episcopi, tanquam pastores primarii, verbum Dei praedicare (*a*), sacramenta administrare, in obeundis cultus diuini externi partibus exemplo praeire, eaque omnia, quae ad *curam animarum* pertinent, *per se ipsos* agere teneantur (*b*), vt, quod de ipsis dicitur, re ipsa sint, *apostolorum* nempe *successores* (*c*).

(*a*) Can. 6. Dist. LXXXVIII. Cap. 15. *de off. iud. ordin.* Conc. Trid. V. cap 2. XXIV. Cap. 4. iterum edixit, *praedicationis munus esse episcoporum praecipuum, eosque teneri per se ipsos ad praedicandum Christi euangelium, si legitime impediti non fuerint.* Legitimum vero impedimentum non est *defectus scientiae*, qui, vt Cap. 15. cit. dicitur, *omnino reprobandus, nec de caetero tolerandus est.* (*b*) *Vigilent, sicut apostolus praeci-*

pit, in omnibus laborent, et ministerium suum impleant. Conc. Trid. VI. cap. 1. (c) *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Act. VI. 4.

§. 500. Iura ordinis reseruata.

Ex iure ordinis *reseruato* episcopus 1. omnium ordinum clericos creat, 2. sacramentum confirmationis administrat, 3. sacrum oleum et chrisma conficit, 4. ecclesias, aras, calices et patenas consecrat, 5. reges sacro oleo perungit, 6. abbates et abbatissas, ecclesias et coemeteria, campanas, vestes et paramenta, quae ad missae sacrificium adhibentur, benedictione afficit (*a*).

(*a*) Actus hos Leo I. ap. *Gratian* Can. 4. Dist. LXVIII. recenset, eosque *partim auctoritate veteris legis, partim nouellis et ecclesiasticis regulis* episcopis reseruatos, aliisque presbyteris interdictos esse, docet. Add. Can. 1. §. 9. Dist. XXV. Conc. Trid. XXIII. cap. 4. *de sacram. ord.*

§. 501. Aliis quoque concessa.

Plerosque ea tenet opinio, quod episcopi *benedictiones* quidem, sibi reseruatas, presbyteris committere, alios vero actus ii tantum presbyteri obire possint, qui vel a summo pontifice, vel per inueteratam consuetudinem, vti abbates et religiosorum mendicantium superiores (§. 446.), eam facultatem impetrauerint.

§. 502. Communicationi omnino apta.

Sed sicut *presbyteri* vi ordinis omnes actus, episcopis reseruatos, exequendi *habilitate* (§. 52.); ita *episcopi* ex se actus eiusmodi presbyteris delegandi *potestate* praediti sunt. Nam 1. munia

pontificalia aliis delegandi ius episcopis ademtum, et summo pontifici speciatim reseruatum esse, nusquam legimus (*a*). Ex eo certe, quod pontifices pontificalia quaedam aliis concesserint, non sequitur, episcopos eadem concedendi iure excidisse. 2. Munus verbum Dei praedicandi, et sacramenta administrandi, quod longe praecipuum est, episcopi presbyteris committere passim solent. Cur alios ordinis actus iisdem committere non possint, non apparet.

(*a*) Quod Gregorivs IX. in Cap. 9. *de consecr. eccles.* ait, *episcopum ea, quae ordinis episcopalis sunt, non posse inferioris gradus clericis demandare*, intelligendum est, quod *sine iusta causa* id facere non possit, hac autem vrgente, *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Cap. 4. de R. I. Valet hic, quod de iure dispensandi (§. 325.), et priuilegia concedendi (§. 330.) supra tradidimus.

§. 503. Iura dignitatis episcopalis.

Ad *iura dignitatis* episcopalis pertinent 1. *nomina honoris*, quibus episcopos appellare moris est, liberalius olim, ac nunc fit, in eos collata (*a*); 2. *insignia pontificalia*, videlicet *mitra*, *baculus pastoralis*, *annulus*, *crux pectoralis*, *chirothecae*, *dalmatica*, *tunicella* et *sandalia* (*b*), solis episcopis, vi dignitatis propria, ab alii priuilegii tantum, aut consuetudinis iure vsurpata (*c*).

(*a*) *Pontifex princeps sacerdotum est, quasi via sequentium. Ipse et summus sacerdos et pontifex maximus appellatur; ipse enim efficit sacerdotes et leuitas, ipse omnes ordines disponit, ipse, quod vnusquisque facere debeat, ostendit.* Can. 1. §. 8.

Dist. XXI. (*b*) Cap. vn. *de sacr. vnct.* in p. d. (*c*) Cap. 6. *de Priuileg.* in VI.

CAPVT VII.

DE VICARIIS EPISCOPORVM.

I. 23. *De Officio Archidiaconi.*
— 24. *De Officio Archipresbyteri.*
— 28. *De Officio Vicarii.*

§. 504. Vicarii episcoporum duplicis generis.

Episcoporum officia adeo multa et grauia, dioeceses plerumque adeo amplae et diffusae sunt, vt vnus omnibus negotiis, vt par est, exequendis haud sufficiat. Episcopi igitur eas muneris sui partes, quas ipsi obire nequeunt, aliis demandent, eorumque opera vicaria vtantur, necesse est. Et olim quidem ad expedienda iurisdictionis negotia *archidiaconos*, ad ordinis autem functiones *chorepiscopos* et *archipresbyteros*, tanquam *officii episcopalis vicarios*, adhibuerunt.

§. 505. Ratione iurisdictionis quondam Archidiaconi.

Archidiaconis episcopi initio in rerum ecclesiasticarum procuratione potissimum vti (*a*), dein vero *iudiciariae* potestatis partes fere omnes iis demandare adeo soliti sunt (*b*), vt ministri illi non solum *ordinariam*, sed et *propriam*, ab episcopi scilicet concessione non pendentem, iurisdictionem habere viderentur (*c*). Verum

tanta eorum auctoritas, ipsis haud raro episcopis infesta, ita sensim concisa est, vt archidiaconorum nomen et officium in multis ecclesiis penitus abolitum sit, in aliis vel solum nomen, *personatum* duntaxat afferens, vel nomen et officium quidem supersit, ab eo tamen, quod olim habuerunt, longe diuersum, non ergo ex *communi*, sed *particulari* cuiusque ecclesiae iure aestimandum.

(*a*) Nulla tunc quidem in presbyteros, iurisdictione praediti erant. Can. 24. Dist. XCIII. Can. 3. Dist. XCIV. (*b*) Can. 1. §. 11. Dist XXV. Ita vero archidiaconi, etsi aliquando ne diaconi quidem essent, et presbyteratum palam detrectarent, can. 2. 8. Dist. LXXIV.; presbyteris tamen et archipresbyteris superiores, eorumque adeo iudices facti sunt. Can. 1. §. 12. Dist. XXV. Cap. 7. §. 2. *de offic. archid.* Cap. 1. *de offic. archipresb.* Id quod praeposterum et insolens multis videbatur. (*c*) Cap. 1. 6. 7. 9. 10. *de offic. archid.* Cap. 54. §. 4. *de Elect.* Cap. 2. *de Excess. prael.* Vbi dioeceses ampliores sunt, vti in Germania, plures quoque archidiaconi constituti, certaeque singulis dioeceseos partes, quae *archidiaconatus*, *seu banna archidiaconalia* vocabantur, assignatae erant.

§. 506. Nunc Vicarii generales.

Ad deprimendam nempe archidiaconorum potestatem episcopi inde a fine seculi XII. tales pro actibus iurisdictionis vicarios sibi asciscere coeperunt, qui omnem suam auctoritatem ipsis acceptam ferrent, *mandatam* tantum, vel *delegatam* iurisdictionem habentes, eosque *officiales* seu *vicarios in spiritualibus* (*a*) appellarunt, et quidem vel *generales*, qui iurisdictionem, ab

episcopo sibi mandatam, per vniuersam dioecesin exercerent (*b*), vel *foraneos*, qui mandatam vel delegatam iurisdictionem intra certam dioeceseos partem administrarent (*c*).

(*a*) Cap. 7. *de Institut.* Cap. 2. 3. *de Offic. vicar.* in VI. Additur: *in spiritualibus*, vt ab *oeconomis*, seu *vicariis in temporalibus* distinguerentur. Conc. Trid. XXIV. cap. 16. (*b*) Cap. 3. *de Temp. ordinat.* in VI. Conc. Trid. XIII. cap. 2. Penes episcopum est, vnum, an plures, constituere; vel, si ipse negotiis expediendis par sit, omnino nullum adhibere velit. In amplis dioecesibus persaepe duo vicarii generales constituti sunt, quorum alter *Officialis*, alter *Vicarius generalis* speciatim audit, negotiis hac illaue ratione inter vtrumque diuisis. Ex lege *Austriaca* (22. Iun. 1797.) tenentur episcopi vicarios generales, a se electos, principi indicare, vt ab ipso quoque approbentur. (*c*) Cap. 2. *de Rescript.* in Clem. Ab his differunt *commissarii episcopales* et *decani rurales*, quibus causae tantum cognitio, vel actus quidam iurisdictionis, non ipsa iurisdictio demandari solet.

§. 507. Eorum dotes.

In vicario autem generali canones requirunt, vt 1. clericus, (quid ni sacerdos?) sit (*a*); 2. annum aetatis XXV. attigerit (*b*), et 3. in iure canonico doctor vel licentiatus, *vel alias, quantum fieri potest, idoneus* repertus fuerit (*c*).

(*a*) Can. 22. XVI. q. VII. Cap. 2. *de Iudic.* (*b*) Cap. 7. §. 2. *de Elect.* (*c*) Conc. Trid. XXIV. cap. 12. 16.

§. 508. Potestas cum expresse.

Iurisdictio vicarii generalis quamuis *mandata* sit, eo tamen respectu *ordinaria* simul est, quod eadem sit cum iurisdictione episcopi (*a*),

ad ea igitur omnia pertineat, quae ad ordinariam illius iurisdictionem pertinent, iis tantum exceptis, quae ex canonum praescripto mandatum *speciale* requirunt. Eius autem generis sunt 1. causae criminales grauiores (*b*), 2. collatio beneficiorum ad liberam episcopi collationem spectantium (*c*), 3. datio litterarum dimissoriarum, nisi episcopo in remotis agente (*d*), 4. dispensationes in irregularitatibus et censuris ex delicto occulto prouenientibus (*e*), 5. visitatio dioeceseos (*f*), 6. causae denique omnes, *ordinaria* episcopi iurisdictione non comprehensae, veluti quae eidem vt *delegato sedis apostolicae*, vel ex *priuilegio* commissae sunt.

(*a*) Cap. 2. *de Consuetud.* et Cap. 3. *de Appellat.* in VI. (*b*) Cap. 2. *de Offic. vicar.* in VI. (*c*) Cap. 3. *eod.* (*d*) Cap. 3. *de Temp. ordinat.* in VI. (*e*) Conc. Trid. XXIV. cap. 6. (*f*) Cap. 6. *de Offic. ordin.* in VI.

§. 509. Tum tacite circumscripta.

Ex *generali* porro *iuris regula* (*a*) colligunt, vicarium generalem *speciali* mandato opus habere in omnibus causis, quae modo memoratis vel similes sunt, vel grauiores, veluti cum de alienatione rerum eccles. maioris momenti, de vnione, diuisione aut suppressione beneficiorum, de impositione et exactione pensionum, collectarum aut subsidii charitatiui, de dispensatione haud facile concedenda, aliisque eius generis agitur. Verum hac in re plurimum refert, quid mandati episcopalis formula contineat, quid vsus et consuetudo cuiusque dioecesis ferat, quid necessitas forte postulet.

(*a*) *In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Cap. 18. de R. I. in VI.

§. 510. Eius cessatio.

Iurisdictio Vicarii generalis cessat 1. reuocatione, ab episcopo facta, et vicario legitime indicata (*a*), 2. potestate episcopi quouis modo extincta, 3. renuntiatione ipsius vicarii. Aequum nempe est, vt libere discedere possit, qui libere dimitti potest (*b*).

(*a*) Secundum ius commune reuocatio a nutu et arbitrio episcopi pendet; iure autem Austriaco (§. 506.) *non debet inconsulto principe fieri*, vti L. 6. §. 1. *de Offic. procons*, cautum est. (*b*) Argum. Cap. 1. de R. I.

§. 511. Consistorium episcopale.

Caeterum iurisdictio episcopalis, quae vni vicario seu officiali olim committebatur, in plerisque dioecesibus consiliariorum ab episcopo assumtorum collegio, seu *Consistorio episcopali* ita nunc demandata est, vt ipsa iurisdictio penes illud sit, vicarius generalis vero, aut officialis episcopi vice praesidis partes sustineat (*a*).

(*a*) Hinc nullos iam videmus *vicarios foraneos* (§. 506.), quandoquidem *commissarii episcopales*, aut *decani rurales* (§. 463.) causas ecclesiasticas, ad se delatas, excipiunt, et ad *consilium*, seu *senatum ecclesiasticum* referunt, in quo dein pertractantur et expediuntur.

§. 512. Vicarii ratione ordinis olim Chorepiscopi.

Vicarii episcoporum in actibus *ordinis* olim erant *chorepiscopi* et *archipresbyteri*. *Illi*, vt vox

graeca indicat, ruri partes ordini episcopali proprias et reseruatas (§. 498.) ex mandato episcopi ciuitatis obibant (*a*). Sed iam seculo IX. in ecclesia Latina abrogati (*b*), et ita sensim deleti sunt, vt, sicubi nomen superest, vel *personatus* tantum, vel inferius quoddam munus eo denotetur.

(*a*) Dist. LXVIII. §. 2. et can. 4. ibid. (*b*) Can. 5. Dist. cit. Cum nihil obstet, quo minus omnes actus ordinis, episcopis reseruati, presbyteris delegari possint (§. 52.); haud magni momenti videtur disputatio, an chorepiscopi veri episcopi, an presbyteri tantum fuerint.

§. 513. Item Archipresbyteri.

In illis, quae ad *communia* ordinis episcopalis iura (§. 499.) pertinent, episcoporum vicarii erant *archipresbyteri*, clericorum simul moribus praefecti, nulla tamen, vtpote qua archidiaconi pollebant, iurisdictione praediti (*a*). Initio vnus tantum in ecclesia cathedrali hoc munere fungebatur; dein vero plures in eadem dioecesi, vt archidiaconatus (§. 505.), ita quoque archipresbyteratus constituti sunt. Inde *archipresbyteri* alii *ciuitatenses* seu *vrbani*, alii *rurales* seu *plebani* vocabantur (*b*). Tandem archipresbyterorum nomen vbique fere exoleuit. Eorum quidem loca cum cathedralium (§. 523.), tum ruralium (§. 543.) capitulorum *decani* occuparunt. Sed horum munia iurisdictionis magis, quam ordinis, seu ministerii sacri rationem habent.

(*a*) Cap. 1. 2. *de Offic. archipresb.* (*b*) Cap. 3. 4. *eod.*

§. 514. Nunc episcopi titulares.

Interim inde a seculo XIII. nouum quoddam episcoporum genus prodiit, eorum nempe, qui *titulares*, seu *in partibus infidelium* dicuntur, eoquod ad solos titulos illarum dioecesium constituantur, quibus in ecclesiae Graecae partibus, vigente ibidem Latinorum imperio, Latini ritus episcopi praefuere. Hos ergo Germaniae potissimum episcopi arcessere, *vicarios in pontificalibus*, et *suffraganeos* suos appellare, iisque omnia munia, ordini episcopali propria (§. 500), demandare consueuerunt.

§. 515. A summo pontifice postulandi.

Cum vero episcopi persaepe minus idoneos eiusmodi suffraganeos asciscerent, *CLEMENS V.* in concilio Viennensi sanciuit, nullum deinceps episcopum *titularem* creandum esse sine expressa sedis apostolicae licentia (*a*). Ex iure igitur hucusque *communi* 1. summus pontifex *titulos* episcopatuum ab infidelibus, vel schismaticis occupatorum distribuit; 2. Episcopi, qui *vicario in pontificalibus* indigent, eius assumendi et consecrandi facultatem a summo pontifice expetere tenentur. 3. Vicarius eiusmodi, ad omnes actus *ordinis episcopalis* exequendos constitutus, nullam in dioecesi, pro qua assumtus est, *iurisdictionem* habet.

(*a*) Cap. 5. *de Elect.* in Clem. Conc. Trid. XIV. cap. 2.

CAPVT VIII.

DE CANONICIS ET CAPITVLIS CATHEDRALIBVS.

I. 25. De officio primicerii.
— 26. De officio sacristae.
— 27. De officio custodis.
III. 9. Ne sede vacante aliquid innouetur.
— 10. De his, quae fiunt a praelato sine consensu capituli.
— 11. De his, quae fiunt a maiori parte capituli.

§. 516. Canonicorum institutio.

Ad statas preces, et psalmorum hymnorumque cantiones cum matutinis tum vespertinis horis in ecclesia publice fundendas, aliasque cultus diuini externi partes solennius peragendas (*a*), *CHRODOGANGVS*, episcopus Metensis, an. 760. ecclesiae suae clericos, vt vitae monachorum instar in communi agendae, disciplinam susciperent, permouit, eosque a regula, quam ipsis dederat, *canonicos* appellauit. Ad hoc iam exemplum, tum maxime, cum in *concilio Aquisgranensi* an. 816. nouis constitutionibus auctum, et publica lege sancitum esset, *collegia canonicorum* in omnibus fere ecclesiis cathedralibus, et non paucis inferioribus, quas *collegiatas* dixerunt, instituta et conformata sunt, quin etiam feminae in similes congregationes *canonicarum* nomine coiuerunt.

(*a*) Can. 2. Dist. XCI. Can. 1—3. Can. 9. Dist. XCII. Cap. 1. *de Celebrat. miss.*

§. 517. Eorum quondam officia.

Sicut ergo abbates monachis, ita episcopi ecclesiarum suarum canonicis praeerant, suaque singulis officia assignabant. Hac ratione inter canonicos constituti sunt *Praepositi*, totius collegii post episcopum rectores, honorum inprimis atque prouentuum dispensatores (*a*), *Decani*, disciplinae rectique ordinis moderatores (*b*), *Primicerii*, *praecentores* seu *cantores*, psallentium choro praefecti (*c*), *Scholastici*, bonarum artium, quibus adolescentes imbuendi erant, magistri (*d*), *Sacristae* seu *thesaurarii*, totius supellectilis ecclesiasticae curatores (*e*), *Custodes*, sacristarum quasi ministri et vicarii (*f*).

(*a*) Iidem fere, qui *cellerarii* in cap. 25. *de Praebend.* dicuntur. Cum praepositi apud monachos primum ab abbate locum haberent, eundem in ecclesiis cathedralibus, in collegiatis vero primum simpliciter obtinuerunt. (*b*) Cap. 7. *de Elect.* (*c*) Can. 1. §. 15. 16. Dist. XXI. Can. 1. §. 13. Dist. XXV. Cap. vn. *de off. primic.* Cap. 6. *de Consuetud.* (*d*) Can. 12. Dist. XXXVII. Cap. 1. 4. *de Magistr.* (*e*) Can. 1. §. 14. Dist. XXV. Cap. vn. *de offic. sacrist.* (*f*) Cap. 1. 2. *de off. custod.*

§. 518. Disciplina monachica.

Sicut porro *monachi*, ita *canonici* vna domo, vno triclinio, vno dormitorio vtebantur, adeo illis similes, vt eorum aedes *monasteria* et *claustra*, conuentus autem et collegia *capitula* (§. 443.) appellarentur, in eo fere solo ab illis di-

uersi, quod, paupertate monachica haud obstricti, suorum singuli bonorum domini essent.

§. 519. Mox dissoluta.

Sed iam inde a seculo X. canonici isti vitam communem deserere, bonis atque prouentibus inter se diuisis, res suas separatim habere, et in collegia non tantum ab episcopo seiuncta, sed haud raro eius iurisdictione plane exemta abire coeperunt.

§. 520. Dein penitus collapsa.

Quo facto canonici 1. horas canonicas decantandi officio se liberarunt, constitutis nempe *vicariis*, qui ipsorum loco cantarent (*a*); 2. reliqua dein *officia* (§. 517.) obire intermiserunt, *nomina* tantum, vt eorum obtentu stipendia reciperent, studiose conseruantes (*b*); 3. a principali igitur suo instituto penitus degenerarunt.

(*a*) *Omnes*, vti Conc. Trid. XXIV. cap. 12. praecipit, *diuina per se, non per substitutos compellantur obire officia.* Sed contrarium in Germania certe obtinuit. (*b*) Quin etiam in dignitate esse censentur, qui inania eiusmodi nomina gerunt (§. 458.), *Dignitarii* propterea appellati.

§. 521. Canonici et canonicae seculares.

Frustra cum episcopi, tum pontifices ad vitae communis consuetudinem eos reuocare, vtque in illa permanerent, *regula*, quae *Augustini* dicitur, inditisque eidem votis religiosis obstringere annisi sunt. Equidem plures congregationes religiosae, ad eum modum institutae, *canonicorum*, et *canonicarum regularium* no-

mine (§. 429.) deinceps inclaruerunt; sed ecclesiarum cathedralium, *insigniorumque* collegiatarum (*a*) *canonici* et *canonicae* libertate accepta perfrui, *seculares*que esse, et dici maluerunt, ipso etiam pontifice eam canonicorum et canonicarum distinctionem approbante (*b*).

(*a*) Ecclesias collegiatas *insignes* appellant, in quibus ad subleuandos canonicos, opibus et nobilitate florentes, *Vicarii* constituti sunt. (*b*) Cap. 43. §. 5. *de Elect.* in VI.

§. 522. Capitulum cathedrale presbyterii loco.

Omnes olim presbyteri et diaconi, siue cathedralis, siue alterius in ciuitate episcopali ecclesiae ministri essent, *senatum ecclesiasticum*, seu *presbyterium* constituebant, cuius consilio et opera episcopus in administranda dioecesi (§. 69.) vteretur (*a*). Cum vero capitula ecclesiarum cathedralium, abiecta vitae communis disciplina, opibus, auctoritate et potentia magis magisque creuissent; excluso sensim reliquo clero, sicut eligendi episcopum (§. 241), ita quoque vnum cum eo corpus, atque adeo *senatum ecclesiasticum* faciendi ius sibi solis arrogarunt, pontificum dein constitutionibus firmatum (*b*).

(*a*) Can. 6. XV. q. VII. Can. 7. XVI. q. I. (*b*) Cap. 4. 5. *de his, quae fi. a prael.*

§. 523. Capituli cathedralis duplex consideratio.

Itaque *capitulum ecclesiae cathedralis* dupliciter considerandum est; 1. tanquam *collegium ecclesiasticum*, ab episcopo *separatum*, cuius praeses *decanus*, ipse episcopus plerumque mem-

brum est (*a*): 2. tanquam *vnum cum episcopo*, ceu capite, *corpus*, quod ecclesiam repraesentet (*b*).

(*a*) Cap. 15. *de Concess. praeb.* Cap. 11. *de Appellat.* in VI. (*b*) Cap. 19. de V. S.

§. 524. Eius iura, prout est collegium ab episcopo separatum.

Priori respectu capitulum ecclesiae cum *cathedralis*, tum *collegiatae* eadem cum aliis collegiis ecclesiasticis iura habet (§. 339.), eodemque cum illis modo (§. 340.) ea exercet. Ex iure autem *singulari*, priuilegii puta, statuti aut consuetudinis, varia semper fuit capitulorum constitutio, veluti 1. quod inter canonicos essent alii *capitulares*, qui iure suffragii in conuentibus gaudent (*a*), alii *domicellares*, qui *stallum* in choro, et praebendam, at non *vocem* in capitulo habent; dein alii *in floribus* et fructibus, sat largis nempe stipendiis et prouentibus annuis donati, alii in *herbis*, qui *canoniam* tenent, praebendam adhuc exspectant (*b*); 2. quod penes capitulum eiusue decanum aliquando sit *iurisdictio ecclesiastica* in sodales et clericos suos (*c*), *ius* item cum vel sine episcopo *canonicos* in collegium *recipiendi*, aliaue *beneficia* ecclesiastica *conferendi*, vario itidem modo definitum (*d*).

(*a*) Hoc autem iure in cathedralibus et collegiatis ecclesiis non gaudent, nisi saltem subdiaconatus ordine initiati. Cap. 2. *de aetat. qual. et ord.* in Clem. (*b*) Cap. 19. *de Praebend.* (*c*) Cap. 13. *de for. compet.* (*d*) Cap. 31. *de Elect.*

§. 525. Item prout est Senatus, cui praeest episcopus.

Quatenus capitulum cathedrale *vnum cum*

episcopo corpus, eiusque interius quasi consilium constituit, eatenus episcopi esset, in omnibus negotiis maioris momenti capitulum conuocare, illudque ea ratione in consilium adhibere (*a*), vt in causis, in quibus canones *consensum* capituli *expresse* requirunt, ex eius sententia (§. 340.), statuere teneatur (*b*); in aliis vero omnibus, an expediat sibi consilium (§. 283.), explorare possit (*c*). Et *ius commune* quidem in pluribus causis *consensum* capituli diserte exigit (*d*); vna tamen vsum ac consuetudinem hac in re appellat (*e*). Atqui ex communi *vsu et consuetudine* episcopos in omnibus fere causis non tantum *consensus*, sed etiam *consilii* capitularis exquirendi necessitate solutos esse, interpretes testantur (*f*).

(*a*) Cap. 4. 5. *de his, quae fi. a prael.* (*b*) Cap. 1. *de his, quae fi. a mai. part. cap.* (*c*) Cap. 7. *de Arbitr.* (*d*) Veluti in alienatione bonorum, ad ecclesiam et dignitatem episcopalem pertinentium, can. 52. XII. q. II. Cap. 1. 3. 8. *de his, quae fi. a prael.* Cap. 2. *de Donat.*, in causis, capituli iura attingentibus. Cap. 5. *de his, quae fi. a prael.* Cap. 33. *de Praebend.* in VI., in vnione item aut suppressione beneficiorum Cap. 2. *de reb. eccles. non alien.* in Clem. Conc. Trid. XXIV. cap. 15. (*e*) Cap. 6. *de his, quae fi. a prael.* Cap. 3. *de Consuetud.* in VI. (*f*) Ratio eius rei est, quod episcopi Germaniae alium senatum praeter capitulum instituere, magisque peritos consiliarios cooptare (§. 511.) necesse habuerint. Horum igitur potius, quam capituli consilio ecclesias suas regere solebant.

§. 526. Sedem episcopalem vacantem capitulum administrat.

Sede vacante, id est, episcopo siue morte

siue abdicatione, siue amotione sublato, vicinus olim episcopus, *intercessoris*, *interuentoris*, seu *visitatoris* nomine, a metropolitano, vel summo pontifice ad ecclesiam viduam mittebatur, qui ei interea praeesset, electionisque negotium promoueret (*a*). Vti vero episcopum eligendi, ita quoque vacantem episcopatum in *spiritualibus* et *temporalibus* administrandi ius capitula vsurparunt, canones autem ratum habuerunt (*b*).

(*a*) Can. 22. VII. q. 1. Can. 16. 19. Dist. LXI. (*b*) Cap. 11. 14. de M. et O. Cap. vn. *eod.* in VI. Cap. 3. 4. *de suppl. negl. prael.* in VI. Cap. vn. §. caeterum *de Praebend.* Extrau. Ioan.

§. 527. Eius partes cum in spiritualibus.

Hoc iure capitulum cathedrale omnes quidem iurisdictionis episcopalis partes (§. 496.) exequitur, sed 1. nec *ordinis* episcopalis iura exercere (*a*), 2. nec ea, quae ex *priuilegio*, vel *iure speciali* personae episcopi concessa sunt, peragere (*b*), 3. nec actus, qui *voluntatis* magis et *gratiae*, quam *necessitatis* ac *iustitiae* sunt, expedire (*c*); 4. nec quidquam, quo res episcopalis deterior redderetur, *innouare* (*d*); ideoque 5. nec pactiones, seu, vti vocant, *capitulationes*, quae iura praelaturae vel tollerent, vel imminuerent, facere potest (*e*).

(*a*) Cap. 42. *de Elect.* in VI. (*b*) Exempla sunt in cap. 2. *de off. iud deleg.*, et cap. 12. *de Priuileg.* in VI. Huc quoque referunt, quae episcopis, *tanquam sedis apostolicae delegatis* commissa sunt (§. 218.); quanquam hoc nomine iis non tam quid noui concessum, quam ius legitimum restitutum est. (*c*) Ita quidem capitulum praesentatos a patronis in-

stituere, et electiones praelatorum confirmare, non tamen beneficia, ad solius episcopi collationem spectantia, conferre potest. Cap. 14. de M. et O. Cap. 2. *Ne sed. vac.* Cap. 1. *de Instit.* in VI. (*d*) *Episcopali sede vacante non debet aliquid innouari, cum non sit, qui episcopale ius tueatur, ecclesia scilicet carente legitimo defensore.* Cap. 1. 3. *Ne sed. vac.* etc. (*e*) Cap. 27. *de Iurei.* Cap. 1. *eod.* in VI. Nihilominus eiusmodi pactiones facere, earumque confirmationem impetrare (§. 342.) capitula Germaniae consueuerant.

§. 528. Tum in temporalibus.

Quod ad *bona* et emolumenta *episcopalia* attinet, capitulum, tanquam *curator*, ea diligentissime custodire, omnesque prouentus, alioqui ad episcopum pertinentes, vel in vtilitatem ecclesiae expendere, vel episcopo successori asseruare tenetur (*a*). Ergo capitulum eiusmodi bona nec alienare, nec in vsus suos conuertere (*b*), nec litem de iis instituere, nec antea forte institutam prosequi (*c*) potest.

(*a*) Can. 38. 43. XII. q. II. Cap. 40. *de Elect.* in VI. Cap. 7. *eod.* in Clem. Leges *Austriacae* fructus quorumcunque beneficiorum, atque adeo episcopatuum quoque vacantium *fundo religionis* attribuunt. *Constit.* 270. in Collect. cit. Et quamuis in Hungaria fisco debentur, regia tamen beneficentia eidem fundo relinquuntur. (*b*) Can. 42. 44. loc. cit. (*c*) Cap. 3. *Ne sed. vac.*

§. 529. Per Vicarium et Oeconomum exequendae.

Ita sedem *vacantem* capitulum *olim* per se, seu *communiter* administrabat, nisi forte ipse summus pontifex, a cuius concessione ius capituli pendere videbatur, *visitatorem*, seu admi-

nistratorem misisset (*a*). Iure autem *nouo* 1. capitulum intra octo dies cum *vicarium* ad exercendam iurisdictionem episcopalem, tum *oeconomum* ad bonorum et prouentuum curam eligere et adhibere debet: 2. capitulo id facere negligente, metropolitanus, et, si ipsa ecclesia metropolitana fuerit, aut exemta, antiquior suffraganeus, aut vicinior episcopus vtrumque constituit; 3. Vterque et alii omnes, qui administrationem gesserunt, episcopo, ad sedem vacantem promoto, rationes reddere tenentur, etsi forte iis reddendis a capitulo liberati essent (*b*).

(*a*) Cap. 42. *de Elect.* et Cap. 4. *de suppl. negl. praelat.* in VI. (*b*) Conc. Trid. XXIV. cap. 16.

§. 530. Sedes impedita coadiutorem recipit.

Cum legitimus alioqui praesul in eum statum deducitur, in quo fungi suo munere amplius non potest, *sedes impedita* vocatur (*a*). Tum vero administratio praelaturae non ita, ac si prorsus vacaret, ad capitulum transit. Interest nempe, an impeditus officii sui partes nulla omnino ratione obire possit, veluti quod ab hostibus captus sit; an quodammodo saltem eas curare valeat, vti senio, aut morbo laborantibus euenit. Si prius, capitulo eatenus solum administratio concessa est, donec summus pontifex, ea de re statim consulendus, aliter statuerit (*b*); si posterius, *coadiutor* constituendus est (*c*), vel *temporarius*, quamdiu nempe impedimentum durat (*d*), vel *perpetuus*, *et cum iure succedendi*, cum primum adiutus decesserit (*e*).

(*a*) Cap. 2. §. 1. *de Translat. episcop.* (*b*) Cap. 3. *de suppl. negl. prael.* et Cap. 3 *de temp. ord.* in VI. Idem obtinet, si episcopus in *suspensionis* aut *excommunicationis* censuram forte incidisset, *cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat.* Can. 37. XXIV. q. III. Cap. 1. *de Sent. excom.* in VI. (*c*) Cap. 5. *de cler. aegrot.* (*d*) Can. 1. 4. VII. q. I. (*e*) Quod etsi praeter regulam est Can 3. 4 5 VIII. q. I.; publicae tamen vtilitatis causa prioribus quoque ecclesiae seculis saepe factum est. Can 12. 13. 14. VII. q. I.

§. 531. Eius constituendi ius papae reseruatum.

Ius constituendi coadiutorem, quod antea penes metropolitanum et synodum prouincialem erat, *BONIFACIVS VIII.*, obtentu *causae maioris* (§. 467.), sedi apostolicae reseruauit, ea tamen moderatione, vt in *partibus remotis*, ideoque in Germania, episcopus cum consensu capituli, vel, si episcopus animi impos sit, capitulum coadiutorem assumere possit, et tum demum res ad pontificem referenda sit, si episcopus adiutorem sibi necessarium obstinate respueret (*a*). De coadiutore autem cum futura successione iure nouo speciatim cautum est, talem ab iis quidem, ad quos eligendi vel nominandi ius pertinet, designari posse, aliter vero constitui non posse, nisi causa a summo pontifice cognita, et concurrentibus in illo dotibus, quas canones in episcopo requirunt; alioqui concessio eiusmodi subreptitia censeatur (*b*).

(*a*) Cap. vn. *de cler. aegrot. vel debil.* in VI. (*b*) Conc. Trid. XXV. cap. 7. vbi quoque sancitum est, coadiutores *perpetuos cum iure succedendi* episco-

pis tantum et abbatibus dari posse, in omnibus aliis officiis ecclesiasticis non nisi *temporarios* admittendos esse. Secundum legem *Austriacam* nec episcopis, nec capitulis sine consensu principis coadiutorem assumere licet. *Constit.* 120. Collect. cit.

§. 532. Munia veri coadiutoris.

Veri *coadiutoris munus* ac *potestas* a diuersa praelati adiuuandi conditione, eorumque, a quibus constitutus est, mandato pendet. Generatim 1. coadiutoris est, ea munia curare et explere, a quibus infirmitas adiutum excusat; 2. in iis obeundis adiutor eandem cum adiuto potestatem habet, nisi speciatim circumscripta sit; 3. ea negotia, quae adiutus ipse vult peragere, adiutor non attingat; 4. adiutus autem illa, quibus expediendis impar est, alteri, quam adiutori, non deleget; 5. adiutori inter eos, qui adiuto subiecti sunt, primus ab hoc locus, 6. congrua item ex bonis praelaturae, aut ecclesiae adiutae sustentatio debetur; 7. ipse autem adiuto, vel, si is mente non valet, capitulo, aut successori adiuti administrationis gestae rationes reddere debet (*a*).

(*a*) Cap. 3. *de cler. aegrot. vel debil.* Cap. VII. *eod.* in VI.

§. 533. Coadiutor solius successionis causa.

Alia longe illorum coadiutorum est ratio, qui praelatis, minime impeditis, non ergo ad eos subleuandos, sed *solius successionis* causa, vt nempe, si sedes vacauerit, certus extemplo successor habeatur, dari solent. Hi pariter quidem summo pontifici proponendi, ab eoque appro-

bandi sunt; sed 1. neque in *spiritualibus*, neque in *temporalibus* vllam administrationem habent, iisque adeo 2. nec alimenta aut stipendia debentur; vnde 3. etiam non impetrato consensu illius, cuius adiutores dicuntur, constitui possunt.

CAPVT IX.

DE PAROCHIS, EORVMQVE VICARIIS ET CAPITVLIS RVRALIBVS.

III. 6. De Clerico aegrotante vel debilitato.
— 29. De Parochiis et alienis parochianis.

§. 534. Parochia, Parochus, Parochiani.

P*arochiae* nomine intelligimus coetum fidelium, et, quem hi incolunt, terrae tractum, cui presbyter ad curam animarum, auspicio episcopi agendam, est praepositus, qui proin *Parochus* vocatur (*a*), sicut *parochiani* audiunt, qui intra limites parochiae *verum*, vel *quasi domicilium* habent (*b*).

(*a*) *Parochia* seu *paroecia* olim idem, quod hodie dioecesis, designabat. Can. 5. 6. Dist. XCII. *Parochus* autem in iure nostro *rector ecclesiae*, *sacerdos*, *qui in paroeciali ecclesia praelationis officio fungitur* Cap. 3. 4. *de cler. aegrot.*, et modo *plebanus* Cap. 3. *de off. iud. ordin.* modo *parochialis ecclesiae curatus* Cap. 2. *de sepult.* in Clem., item *presbyter* simpliciter appellatur. Can. 1. 2. seq. XXVI. q. VI. Cap. 2. *de Paroch.* (*b*) Cap. 5. *eod.* Qui in duabus parochiis domicilium habet, vtriusque parochianus est. Cap. 2. 3. *de sepult.* in VI. et

vxor et liberi eiusdem parochiae sunt, cuius est maritus. Cap. 7. *de sepult.* Cap. 3. *eod.* in VI.

§. 535. Ius instituendi parochias.

Sicut dioeceses, ita et parochias constituendi ius ad potestatem ecclesiasticam pertinet, ex principis scilicet consensu exercendam (§. 494.). Et hac potestate ratione parochiarum in sua quisque episcopus dioecesi praeditus est (*a*). Princeps quidem parochiae constitutionem, ab episcopo postulatam, concedere vel impedire, immo, etsi postulata non sit, exigere suo iure potest; ipsa tamen constitutio non efficitur, nisi episcopus limites designauerit, intra quos qui degunt, vna cum presbytero, ipsis praeposito, peculiarem ecclesiam, hoc est, *parochiam*, faciant (*b*).

(*a*) Can. 11. XVI. q. VII. Concil. Trid. XXIV. cap. 13.
(*b*) G. L. Boehmer *Princip. iur. canon.* §. 143. 191.

§. 536. Regulae in eius vsu seruandae.

Ea de re canones sic statuunt: 1. Parochia tot et tales domus complectatur, vt parochiani ad sacra peragenda conuenire, eaque omnibus ministrari queant (*a*). 2. Vbi tantus est parochianorum numerus, vel domus ita sunt disiunctae, vt vel sacra participare, vel ad ecclesiam accedere sine magna difficultate non possint, nouam parochiam episcopus instituat, eique prouentuum, inuito licet ecclesiae antiquae rectore, partem assignet (*b*). 3. Nunquam episcopus parochiae constitutionem decernat, nisi habita dote, qua res parochialis sustentari que-

at (c), et auditis illis, quorum interesse potest, ne constituatur (d). 4 Cum dioecesium, tum parochiarum limites, semel definiti, iuris publici esse censentur, praescriptioni haud obnoxii, si de illis certo constat (e); sin minus, quadragenaria praescriptio locum habet (f).

(a) Quod Can. 3. §. 1. X. q. III. dicitur, decem saltem domus seu familias ad parochiam requiri, exempli gratia dictum videtur. (b) Cap. 3. *de Eccles. aedif.* Conc. Trid. XXI. cap. 4. (c) Can 9. Dist. 1. *de Consecr.* Cap. 8. *de Consecr. eccles.* (d) Can. 43 44 XVI. q. I. (e) Can. 5. 6 XVI. q. III. Cap. 4. *de Paroch.* (f) Cap. 9. *de Praescript.*

§. 537. Officia parochorum.

Officia parochorum haec sunt praecipue: 1. Oues sibi concreditas bene noscant; 2. verbum Dei saltem omnibus diebus dominicis, et festis breuiter atque perspicue populo exponant (a); 3. iisdem saltem diebus iuuentutem fidei ac doctrinae catholicae rudimentis imbuant (b); 4. iisdem certe diebus, et praeter hos tam frequenter missas celebrent, vt muneri suo satisfaciant (c); 5. sacramenta et alia sacra parochianis suis cum debita grauitate et reuerentia, et ex ritu praescripto ministrent (d); 6. pauperum aliarumque personarum miserabilium curam paternam gerant (e); 7. bonorum ad ecclesias suas (*fabricas*) pertinentium administrationi inuigilent, et rationes, ab eorum curatore singulis annis reddendas, accipiant et dispungant (f).

(a) Can. 1. Dist. XLIII. Conc. Trid. V. cap. 2. (b) Idem XXIV. cap. 4. Ex legibus patriis parochi scholis parochialibus, earumque magistris praesunt, cu-

rantque, vt iuuentus, prout *lex scholastica* praecipit, bene erudiantur. *Constitut.* 205. in Collect. cit. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1805. pag. 116. (c) Conc. Trid. XXII. cap. 8. *de sacrif. miss.* XXIII. cap. 14. (d) Can. 2. Dist. XXXVIII. Cap. 2. §. verum *de sepult.* in Clem. Conc. Trid. XXIV. cap. 7. (e) Idem XXIII. cap. 1. Merito igitur parochi vna cum locorum praefectis publicam pauperum curam moderantur. (f) Hanc curam Conc. Trid. XXII. cap. 9. episcopis iniunxit, per parochos nempe agendam. Leges patriae eam parochis et locorum praefectis demandarunt. *Constitut.* 283. 309. Collect. cit. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1810. pag. 40.

§. 538. Et parochianorum.

Vicissim parochiani omnia sacra, quorum cura et ministratio parocho iniuncta est, a suo singuli parocho suscipere, et in sua ecclesia parochiali obire tenentur (*a*), nisi quod ex vsu et consuetudine, ad quam priuilegia, regularibus eorumque ecclesiis concessa, ansam dederunt, in aliis quoque ecclesiis cum sacram concionem et missam diebus festis audire, tum sacramentum poenitentiae, et extra pascha eucharistiae participare cuiuis liceat.

(*a*) Cap. 2. *de Paroch.* Cap. 1. pr. *de Priuileg.* in Clem. Cap. 2. *de Treug. et pac.* Extrau. com. Conc. Trid. XXIV. cap. 4.

§. 539. Iura parochialia.

De reliquo solus parochus *suo iure* 1. parochianos sacro baptismate abluit; 2. tempore paschali sacram communionem illis praebet; 3. matrimonia eorum legitima et rata facit; 4. moribundis sacrum viaticum, et extremam vnc-

tionem dispensat, 5. statas et solennes sacrorum ceremonias peragit, nominatim fontem baptismalem, cineres, herbas, aliasque res, prout sacrorum rituum liber praescribit, benedictione afficit, 6. matrimonia contrahenda, dies festos aliaque, ad rem diuinam pertinentia, populo suo annuntiat, 7. sepulturam sacram funerumque exequias curat (*a*); 8. libros parochiales, baptizatorum scilicet, matrimonio iunctorum, et mortuorum ad normam praescriptam conficit, ex iisque testimonia, quae fidem publicam faciant, impertitur (*b*), 9. *iura stolae*, seu honoraria, ob functiones parochiales, siue consuetudine, siue lege definita, percipit (*c*).

(*a*) Cap. 10. 18. *de Praescript.* Cap. 1. *de Priuileg.* in Clem. (*b*) Qua ratione et forma *libri parochiales* conscribendi et conficiendi sint, vid. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1809 pag. 220. 504. an. 1810. pag. 81. 104. (*c*) Cap. 42. *de Simon.* Immunia ab hisce iuribus parochialibus sunt omnia *monasteria*, in quibus vel superior religiosus ipse, vel alius sacerdos quasi parochus est, qui intra monasterii septa omnia sacra ministrat, quae alioquin a parocho praestanda essent. Cap. 2. *de Capell. monach.* Cap. 16. *de Excess. praelat.* Cap. 1. § 2. *de Priuileg.* in Clem. Quanquam vero immunes etiam sunt *peregrini*, et *diuersae religioni addicti*, intra parochiam habitantes, illorum tamen actuum ratione, quorum executio *speciali* lege parocho demandata est, iuribus parochialibus obnoxii sunt. Eiusmodi autem actus ex lege patria sunt administratio baptismi et recepti professionis fidei a proselyto, denuntiatio et copulatio matrimoniorum, atque sepultura. *Edict. Constit.* I. §. 22.

§. 540. Iuris parochialis limites.

Sicut intra fines parochiae aliis sacerdotibus munia parochialia sine ipsius parochi licentia exequi non licet (*a*); ita parochis fas non est, sacra parochialia vel alienis parochianis in sua, vel suis in aliena parochia, inuito illorum parocho, *solenniter* et *publice* ministrare, eodem plane modo, quo episcopos suis tantum dioecesanis praeesse, et intra suas tantum dioeceses iura episcopalia explicare oportet (*b*).

(*a*) Can. 6. Dist. LXXI. Can. 1. XIII q. I. Clericis peregrinis parochus nequaquam permittat, vt sacra, quaecunque sint, munia publice obeant, nisi de statu suo per litteras, vel testes fidem fecerint. Cap. 1. 2. 3. *de cler. peregr.* Conc. Trid XXIII. cap. 16. (*b*) Cap. 7. *de Offic. ordin.* in VI. Cap. 1. *de for. compet.* in Clem.

§. 541. Vicarius parochi ficti verus parochus.

Collegium vel officium ecclesiasticum, cui parochia attributa, et, vt aiunt, *incorporata* est, *parochus principalis*, seu *habitualis* appellari solet, qui, cum muneri obeundo plane impar, et nomine autem parochus sit, vicarium, ab episcopo probandum, constituere debet. Eiusmodi vicarius vel *temporarius* dicitur, vel *perpetuus*, prouti vel ex quauis fere, vel ex legitima tantum causa loco moueri potest. Vterque in his, quae ad curam animarum ipsumque sacrum officium pertinent, non parocho illi *habituali*, et *ficto*, sed episcopo aliorum parochorum instar obnoxius, verusque adeo parochus est (*a*).

(*a*) Conc. Trid. VII. cap. 7.

§. 542. Vicarii et cooperatores parochorum.

Parochus, qui ad exequendas officii sui partes ob aetatem, morbum, vel absentiam plane ineptus est, *vicarium* (*a*), qui ob parochiae vel amplitudinem, vel parochianorum frequentiam solus non sufficit, *cooperatorem* (*b*) assumere, vel ab episcopo missum accipere tenetur (*c*). Vterque *temporarius* est, et quasi a nutu constituentis pendet; inter vtrumque tamen hoc interest, quod vicarius plenam animarum curam habeat, omniaque munia parochialia, inconsulto parocho, recte exequatur, cooperator autem in partem tantum curae pastoralis vocatus sit, eaque tantum rite peragere possit, quae parochus ipsi demandare voluerit.

(*a*) Cap. 3. 4. *de cler. aegrot.* Conc Trid. XXI. cap. 6. Huc quoque pertinet vicarius, vacanti officio curato ab episcopo praeficiendus. Conc. Trid. XXIV. cap. 18. (*b*) Conc. Trid. Sess. cit. Cap. 4. Leges *Austriacae* (24. Octob. 1783. et 9. Febr. 1784.) Capellanis (§. 459.), animarum cura alioquin vacuis, iniungunt, vt, tanquam *cooperatores*, parochis assistant, eosque in cura animarum subleuent. (*c*) Presbyteri, qui *capellae*, seu *ecclesiae filiae*, ad parochialem scilicet pertinenti, sed ab eadem, ceu *matre*, nimis remotae praesunt, prout ad curam animarum, in ea agendam, vel *simpliciter*, vel cum *restrictione* constituti sunt, vel *vicariorum* proprie talium, vel *cooperatorum* locum obtinent.

§. 543. Capitulorum et Decanorum ruralium constitutio.

Inde a seculo IX. parochi, intra fines archipresbyteratuum (§. 513.) constituti, peculiares societates inter se facere, suosque conuen-

tus ad exemplum canonicorum (§. 518.) *capitula ruralia*, eorumque praesides *decanos rurales* appellare coeperunt. Ita sensim archipresbyteri et archipresbyteratus in *decanos* et *decanias rurales*, seu *capitula ruralia* abierunt (*a*), aliis postea administris, ad res suas melius procurandas, quos *camerarios*, *deputatos* et *secretarios* vocant, aucta. Ex iure communi episcopus capitulis hisce decanos praeficit (*b*), ex vsu autem et consuetudine *capitulares*, seu *confratres*, canonice instituti, decanum suum eligunt, ab episcopo confirmandum.

(*a*) Cap. 7. §. 2. 6. *de offic. archipresb.* (*b*) Cap. 7. §. 6. cit.

§. 544. Munia decani ruralis.

Decanus ruralis partim ex iure, partim ex vsu communi 1. curam gerit clericorum sui capituli, vt diuina officia rite obeant, et vitae morumque honestatem seruent; 2. iussa et decreta episcopalia promulgat et exequitur; 3. capitulum congregat, eique praeest; 4. querelas et lites, ad se delatas, componere studet; 5. causas, quae cognitionem et decisionem iudicialem postulant, ad episcopum refert; 6. parochos, recens constitutos, introducit populoque proponit; 7. capitularium suorum funera curat (*a*). Caeterum, quae passim officia ac iura capitulorum decanorumque ruralium sint, ex constitutionibus cuiusque dioecesis, et mandati episcopalis formula discendum est.

(*a*) Cap. 4 *de offic. archipresb.* Leges *Austriacae* decanis praefecturam scholarum parochialium de-

ferunt, et propterea decanos artis catecheticae et paedagogicae bene peritos requirunt, a regimine prouinciali confirmandos. Ex lege *Badensi* non solum scholarum parochialium, sed etiam rerum ecclesiasticarum cura parochis, a principe selectis, *et decanorum* nomine insignitis, demandata est. *Ephemer. regim Bad.* an. 1809. pag. 438. an. 1810. pag. 361. Vnde iam duplicis generis *decanos* et *decanias*, *episcopales* scilicet et *territoriales* habemus.

SECTIO IV.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

CAPVT I.

DE BENEFICIIS ECCLES. GENERATIM.

III. 5. De Praebendis et dignitatibus.
— 37. De Capellis monachorum et aliorum religiosorum.

§. 545. Praebendae clericorum primitiuae.

Iis, qui officia ecclesiastica, qua par est, cura et diligentia obeunt, congrua vitae subsidia deberi, res ipsa loquitur (*a*). Et initio quidem episcopi, omnia bona eccles. summa quasi auctoritate administrantes, singulis ecclesiarum ministris pro cuiusque meritis vel *diurna*, vel *menstrua stipendia*, quae *praebendae* dicebantur (*b*), persoluerunt (*c*), repetita dein lege moniti, vt ne in hac dispensatione sibi tantum et *clericis*

consulerent, sed partem aliquam prouentuum in *pauperes* erogarent, partem in *aedium ecclesiasticarum conseruationem* impenderent (*d*).

(*a*) *Ita et Dominus ordinauit iis, qui euangelium annuntiant, de euangelio viuere.* 1. Cor. IX. 14. *Dignus est enim operarius mercede sua* Luc. X 7. (*b*) Sicut nempe Romani annonas et alimenta, quae in dies vel menses militibus pendebantur, *praebenda* appellarunt. L. 19. *de Testib.* (*c*) Can. Apost. 40. Can. 22. 23. XII. q. I. (*d*) Can. 23. 25 – 31. XII. q. II. Inde celebris illa prouentuum ecclesiasticorum in quatuor partes diuisio.

§ 546. Beneficiorum origo.

Seculo autem VI. episcopi illis praesertim clericis, qui *ruri* bene merebant, bonorum ecclesiasticorum, ibidem sitorum, administrationem vsumque stipendii loco concedere coeperunt (*a*). Precariae quidem hae concessiones erant (*b*); cum tamen passim fierent, in communem tandem inde a seculo IX. consuetudinem abiit, vt *clericus*, qui officio *perpetuo* in certa ecclesia praeesset, hoc ipso bonis, eidem assignari solitis, vtendi fruendi ius *perpetuum* (*c*), itaque, vt nunc dicitur, *beneficium* haberet (*d*).

(*a*) Can. 32. 35. 36. XII. q. II. (*b*) Can. 61. XVI. q. I. (*c*) Ex eo tempore bonorum eccles., quae praeter bona episcopis et officiis ecclesiasticis perpetuis, seu *titulis*, assignata, supererant, pars aliqua *fabricis*, seu ecclesiis aedibusque, ad eas pertinentibus, vt sartae tectae praestentur, relicta, pars alia in xenodochia, nosocomia et monasteria translata, sicque totum ecclesiae patrimonium ad eam, quam nunc videmus, conditionem redactum est. (*d*) Sumta est beneficii appellatio ex vsu *feudorum*, quae

olim *beneficia* dicebantur in eo a *praebendis* diuersa, quod hae in certis, siue menstruis siue annuis stipendiis, illa in fundis ac rebus consisterent. Caeterum in iure nostro *praebenda*, seu ius in certam prouentuum eccles partem perinde habetur, ac *beneficium*, seu ius in certos fundos eorumque fructus simpliciter concessum. Can. 2. 9. §. 3. I. q. III. Cap. 17. 27. *de Praebend.* Cap. 32. de V. S.

§. 547. Notio beneficii.

Beneficium ergo *ecclesiasticum*, seu *Praebenda*, est ius vtendi fruendi bonis ecclesiasticis, ob officium ecclesiasticum perpetuum clerico, quoad vixerit, attributum (*a*). Inde colligimus 1. nec *pensiones*, quas *clerici* vndelibet, sed non ob officium ecclesiasticum, vel *laici*, etsi ob officium eccles. accipiunt, 2. nec stipendia, quae clericis ob officium eccles. *temporarium*, et tanquam *vicariis temporariis* persoluuntur (*b*), 3. nec vitae subsidia, quae regularibus vi professionis religiosae e communi penu dispensantur, in beneficiorum eccles. numero habenda esse.

(*a*) Bona eccles., laicis iure *feudi* concessa, latiori quodam sensu beneficia vocantur. Cap. 1. *de eccles. aedific.* Cap. 15. *de Rescript.* in VI. (*b*) Istud quidem munus, quo *vicarius temporarius* ecclesiae vel *incorporatae* (§. 541.), vel *filiae* (§. 542.) fruitur, *beneficium manuale* vocant; sed beneficium proprie non est, nisi *titulare*, hoc est, ita perpetuum sit, vt inuito nisi ex causa legitima auferri non possit. Hinc *vicarii perpetui* tantum beneficia, proprie sic dicta, habent. Cap. 27. *de Rescript.* Cap. 3. *de Offic. vicar.* Cap. vn. *eod.* in Clem. (*c*) Abbates, priores aliique regularium superiores officia habent; beneficia non habent, secus dicendum foret, fratres laicos et moniales quoque beneficia habere.

§. 548. Eius Spiritualia et Temporalia.

Beneficium datur propter officium (*a*). Quae in beneficio ad ipsum officium pertinent, *spiritualia*, quae in bonis sunt, et fructus ferunt, *temporalia* vocantur (*b*). Inde porro colligimus 1. nullum dari beneficium sine officio, etsi non omni officio eccles. beneficium respondeat, 2. officium esse beneficii fundamentum et *principale*, ius fructus percipiendi illius *accessorium*, et consectarium, 3. naturam beneficii non a bonis temporalibus, sed ab officio, seu *spirituali*, pendere, 4. non illum, qui personam beneficio praeficiendam nominat, aut possessionem temporalium permittit, sed eum, qui officium et spiritualia tribuit verum beneficii largitorem, seu *collatorem* esse.

(*a*) Cap. 15. *de Rescript.* in VI. (*b*) Cap. 25 *de Praebend.* Illa quondam *altaris*, haec *ecclesiae* nomine veniebant.

§. 549. Beneficium maius et minus.

Summa igitur et generalis beneficiorum diuisio ab officiorum ratione pendet. Hoc autem respectu *beneficium maius* dicitur, quod praelatura seu dignitate, proprie sic dicta (§. 458.), fulget, vel *minus*, a quo auctoritas illa abest (*a*). *Beneficium minus* vel *simplex* est, quod officium sacrum, non curatum ponit, vel *curatum* (§. 459.), idque, quod cura animarum sine parochia haberi possit (§. 542.), in *parochiali* et *curatum simpliciter* distinguitur (*b*).

(*a*) Cap. 7. §. 2. *de Elect.* Cap. 8. *de Praebend.*

Summum quoque pontificatum in numero beneficiorum esse, ex Cap. 1 *de Maled.* discimus. (*b*) *Lex Badensis* beneficia ratione *temporalium* in quatuor classes distribuit, quatenus nempe prouentus annui summam 450., vel 750., vel 1000. flor. non superant, vel plus quam 1000. flor. afferunt. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1808. pag. 101. seq. §. 21.

§. 550. Seculare et regulare.

Sicut religiosi, *vt clerici*, officia sacra obeundi (*a*), ita et beneficia, iis annexa, capiendi ius tandem obtinuerunt (*b*). Vnde beneficia vel *secularia* vel *regularia* appellantur, prout vel seculares vel regulares clerici illis praeficiendi sunt. Cum vero beneficia habendi facultas regularibus extra ordinem obtigerit (*c*); recte asseritur, omnia beneficia per se secularia esse, donec vel ex addictione, monasterio facta, vel ex fundatione, vel ex praescriptione conditio regularis appareat. Hac non probata, beneficium seculare est, et *secularibus tantum clericis deferri potest* (*d*).

(*a*) Can. 21. 25. XVI. q. I. (*b*) Cap. 2. 5. *de Stat. monach.* Ecclesiae et praebendae, regularibus addictae, in iure nostro *capellae monachorum et aliorum religiosorum* audiunt. (*c*) Can. 1. 6. 8. 11. 12. XVI q. I Cap. 1. *de Capell. monach.* (*d*) Cap. 5. *de Praebend.* in VI. Cap. vn. *de suppl. neglig.* in Clem. Excipe *episcopatum*, qui clerico regulari aeque ac seculari deferri potest. Cap. 28. 36. *de Elect.* in VI. Cap. 1. *eod* in Clem.

CAPVT II.

DE CONSTITVTIONE ET IMMVTATIONE BENEFICIORVM.

III. 12. Vt beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur.
— 39. De Censibus, Exactionibus et Procurationibus.

551. Constitutio beneficii.

C*onstitutio beneficii ecclesiastici* est actus, quo officium ecclesiasticum perpetuum instituitur, cum eoque bona et prouentus certi ita connectuntur, vt, qui illud tenet, his stipendii loco vtendi fruendi iure praeditus sit (§. 547.). Qui bona et prouentus suppeditat, *fundator*, qui ex fundatoris sententia officium creat, *constitutor beneficii* appellatur.

§. 552. Ius constituendi beneficia.

Hinc 1. sicut officia ecclesiastica (§. 457.), et speciatim episcopatus (§. 494.), atque parochias (§. 535.), ita quaeuis alia beneficia constituendi ius ad potestatem ecclesiasticam pertinet. 2. Ius hoc, si de beneficio minori (§. 549.) agitur, episcopo cuiusque dioeceseos proprium est (*a*). 3. Eius nempe est, non tantum officium, quod obeundum sit, definire ratumque habere, sed etiam dispicere, an dos ad illud sustentandum sufficiens adsit (*b*). 4. Is por-

ro, antequam decretum faciat, alios, quorum ex quauis causa interesse potest, audire (*c*), inprimis vero principis consensum exquirere tenetur.

(*a*) Can. 11. XVI. q. VII. Concil. Trid. XXIV. cap. 13. (*b*) Cap. 8. *de Consecr. eccles.* (*c*) Cap. 36. *de Praebend.*

§ 553. Modi, quibus beneficia immutantur.

Ecclesiae et ciuitatis plurimum interest, vt beneficia, semel rite constituta, in integro seruentur, nisi forte commune bonum *immutationem* exposcat. Ea autem cum vel *spiritualia*, vel *temporalia*, vel vtraque simul afficere possit; facile apparet, varias eius species dari, quas inter praecipue sunt. 1. *Diuisio*, seu *sectio*, qua vnum beneficium in plura scinditur (*a*), 2. *Dismembratio*, qua pars certa temporalium alteri beneficio, aut causae piae tribuitur (*b*), 3. *Retentio*, cum vacantis beneficii collatio ad certum tempus differtur, vt prouentus in alios ecclesiae vsus impendi possint (*c*); 4. *Vnio*, qua plura beneficia in perpetuum coniunguntur (*d*); 5. *Incorporatio*, cum vel temporalia, vel etiam spiritualia beneficii collegio cuidam, aut officio eccles generaliter addicuntur; 6. *Diminutio* nouique oneris impositio, denique; 7. *Suppressio*, cum beneficium penitus extinguitur (*e*).

(*a*) Ita nempe, vt spiritualia et temporalia diuidantur. Cap. 26. *de Praebend.* Parochia hac ratione diuisa, rector antiquae ius patronatus in nouam acquirit Cap. 3. *de Eccles. aedif.* Conc. Trid. XXI. cap. 4. In terris nostris diuisiones parochiarum ita

institutae sunt, vt antiquis nihil de bonis ademtum nihil contra iuris in nouas tributum fuerit. Lex Badens. cit. § 28. diuisi beneficii patronum iuris praesentandi ad nouum beneficium participem reddit. (*b*) Cap 33 *de Praebend.* (*c*) Cap. vn. §. Si vero *vt eccles. benef. sine dimin.* Cap. 32. de V. S. (*d*) Vnio *temporalis*, quae in fauorem personae ita fit, vt eius morte tollatur, merito proscripta est. Conc. Trid. VII. cap. 4 XXIV. cap. 17. Lex Badensis cit. §. 28. patrono beneficii cum altero coniuncti ius praesentandi pro rata prouentuum vtriusque beneficii tribuit. (*e*) Cap. 12. *de Constitut.* Concil. Trid. XXIV. cap. 15.

§. 554. Vnio beneficiorum.

Vnio beneficiorum triplici modo fieri potest: 1. *per aequalitatem*, vt vtriusque beneficii status saluus ac integer permaneat; 2. *per subiectionem*, vt alterum alteri, tanquam *accessorium principali* accrescat, eiusque conditionem sequatur; 3. *per confusionem*, vt ex duobus quasi extinctis nouum quoddam exsurgat. Quocunque autem modo fiat vnio, eo semper tendit, vt beneficia vnita vnus teneat, omnesque eorum fructus capiat (*a*). Caeterum, qualis vnio facta sit, ex litteris, eam probantibus, et modo hucusque seruato desumendum est.

(*a*) Can. 3. §. 1. X. q. III. Can. 48. 49. XVI. q. I. Cap. 8. *de Excess. prael.*

§. 555. Incorporatio.

Incorporatio triplici pariter modo fieri potest: 1. *quoad temporalia* tantum, addito fors patronatus iure (*a*); 2. *quoad temporalia et spiritualia simul*, quasi ipsum officium eccles. delatum, et incorporatum esset (*b*); 3. *pleno iure*, cum prae-

terea iurisdictio quasi episcopalis (§. 462.) concessa est (*c*). Cuiusque modi consequens est, vt, qui *temporalia* beneficii occupauit, ei, qui *spiritualia* administrat, tantum relinquere teneatur, quantum ad congruam sustentationem, episcopi iudicio dimetiendam, requiritur (*d*).

(*a*) Can. 6. XVI. q. II. Cap. 7. *de Donat.* (*b*) Cap. 3. §. 2. *de Priuileg.* (*c*) Cap. 21. *de Priuileg.* (*d*) Cap. 12. *de Praebend.* Cap. 1. *eod.* in VI. Cap. 1. *de Iur. patron.* in Clem. Conc. Trid. VII. cap. 7. XXV. cap. 16.

§. 556. Differentiae inter vtramque.

Vnionis atque *incorporationis* notionibus inter se collatis (*a*), hasce differentias obseruamus: 1. *Vniri* dicuntur beneficia, *incorporari* quaeuis alia iura et bona ecclesiastica possunt (*b*); 2. *Vnio* vnum vtriusque beneficii cum temporalium, tum spiritualium rectorem ponit; *incorporatio* spiritualium curam vel plane non attingit (*c*), vel vicario eam relinquendi necessitatem inducit (*d*); 3. beneficia *vnita*, decedente eorum possessore, vacant; *incorporata quoad temporalia et spiritualia*, superstite collegio vel officio, cui tributa sunt, nunquam vacant (*e*).

(*a*) Vox: *incorporatio* in iure nostro non reperitur, vtpote quod de *vnione* tantum loquitur, eoque nomine modo vnionem proprie, modo incorporationem denotat. Interpretes *illam* quidem ab *hac* distinguunt; sed in vtraque explicanda notiones et nomina confundunt, loca porro, quae incorporationem indigitant, probandae vnionis, et, quae ad hanc spectant, probandae incorporationis causa appellant. (*b*) Abbatiae et monasteria non sunt beneficia (§. 547.).

Cum ergo inter se vel coniunguntur, vti cap. 3. *de Stat. monach.* Cap. 2. *de Relig. dom.* Cap. 8. *de Excess. prael.*, vel episcopatui addicuntur, vti in cap. 1. *Ne sed. vac.*, eorum quidem, at non beneficiorum vnio vel incorporatio habetur. (*c*) Incorporatio quoad temporalia tantum *dismembrationis* potius, quam vnionis vel incorporationis rationem habet. (*d*) Et quidem *perpetuo* cap. 30. 33. *de Praebend.* Cap. 6. *eod.* in VI. Conc. Trid. VII. cap. 7.; nisi *temporalem* adhibendi ius ex pacto incorporationis alioue titulo probari possit. (*e*) Cap. vn. §. Quidam etiam *de Excess. prael.* in Clem.

§. 557. Oneris impositio.

Onus, quod beneficio additur, vel *personale* est, vel *reale*, prout vel spiritualia, vel temporalia afficit. Onus reale, quod semel, aut aliquoties tantum imponitur, *exactio*, quod singulis annis recurrit, siquidem ad tempus tantum incumbit, *pensio* (*a*), si in perpetuum constitutum est, *census*, vocatur (*b*), isque *antiquus* audit, qui vel ipso iure, vel ex donationis lege debetur, *nouus* autem, quem quis nuper stipulatus est.

(*a*) Interpretes *pensionem*, quae cum clericis, tum laicis ob munia profana ex bonis ecclesiae soluitur, *laicalem*, quae vicariis, cooperatoribus et coadiutoribus penditur, *clericalem*, quae clericis vel ob inopiam, vel ob beneficii cessionem conceditur, *mixtam* appellare solent. Sed prior illa, cum ecclesiae, non beneficio oneri sit, huc non pertinet. (*b*) Voces: *census* et *pensio* in iure nostro promiscue vsurpantur Cap. 6. *de Relig. dom.*; nos perspicuitatis causa eas distinguimus.

§. 558. Quatenus diminutionem inferat.

Qua de re notandum est; 1. Onus *personale*

haud aegre ferendum est, nec facile detrectari potest (*a*); 2. Nec *exactiones*, lege aut consuetudine nixae (*b*), nec *census antiqui* (c), diminutionis nomine intelliguntur; 3. *Pensiones*, *clericales* dictae, omnino iustae atque legitimae sunt; 4. *Exactiones arbitrariae* (*d*), *pensiones mixtae* (*e*) et *census noui* (*f*) veram beneficiorum diminutionem inferunt.

(*a*) Cap. 11. *de Praebend.* Ita capellanis merito iniunctum est (§. 542.), vt parochos in cura animarum adiuuarent. (*b*) Veluti sunt *procurationes* et *subsidium charitatiuum* (§. 498.), nec non pecuniae, quas patroni ex lege aut consuetudine a nominatis ad beneficia aliquando exigere solent. (*c*) Huiusmodi praeter *cathedraticum* sunt, quos ob tutelam, exemtionem aliamue concessionem pontifices et episcopi, cum illam facerent, Cap. 8. *de Priuileg.* Cap. 10. *eod.* in VI. Cap. 21. *de Cens.*; patroni, cum beneficium fundarent, Cap. 23. *de Iur. patron.* sibi constituerunt. (*d*) Cap. 6. §. Prohibemus *de cens. exact.* (*e*) Cap. vn. §. Omnibus *vt eccles. benef. sine diminut.* (*f*) Cap. 7. 13. *de cens. exact.*

§. 559. Iusta immutatio qua ratione fiat.

Qualiscunque autem immutatio beneficiorum fiat, eadem, vt recte et ordine fiat, requiruntur, quae ad illorum constitutionem necessaria sunt (*a*), videlicet 1. iusta, et vrgens causa, ex qua appareat, immutationem e communi ecclesiae bono fore; 2. Auctoritas ecclesiastica, quae causam diligentius cognoscat, 3. eorum omnium, quorum interest, suffragium et sententia (*b*), 4. principis nominatim consensus et approbatio. Sicut in constitutione, ita et immutatione episcopatuum, summi pontificis

est, auctoritatem interponere (§. 467.); de reliquis beneficiis episcopus ius dicit, adhibito tamen, prout res est, capituli cathedralis (§. 525.) consensu vel consilio (*c*).

(*a*) Cap. 1. de R. I. (*b*) Ex lege *Badensi* cit. §. 27. patronus, vbi de diuisione aut vnione agitur, omnino audiendus est; eo autem licet dissentiente, alterutra, prout boni communis ratio exigit, decerni potest. (*c*) Cap. 2. *de Reb. eccles. alien.* in Clem. Conc. Trid. VII. cap. 6. XXI. cap. 5. XXIV. cap. 15.

§. 560. Secularisatio.

Singularis beneficiorum immutatio est, quae *secularisationis* nomine innotuit, cum nempe illorum temporalia vi imperii ciuilis in publicum rediguntur. Ita nempe hac nostra aetate episcopatuum, capitulorum cathedralium et collegiatorum, aliorumque beneficiorum, quae monasteriis ordinibusque religiosis incorporata erant, bona aerariis principum addicta sunt (*a*).

(*a*) Vid. *Edict. Bad. Organis* III. §. 21. *Constitut.* §. I. 9.

CAPVT III.

DE MODIS CONSEQVENDI BENEFICIA GENERATIM.

I. 14. *De aetate, et qualitate et ordine praeficiendorum.*

III. 8. *De concessione praebendae et ecclesiae non vacantis.*

§. 561. Prouisio plena, minus plena.

Quiuis modus, quo quis ex canonum prae-

scripto ad beneficium eccles. perducitur, *prouisio*, seu *institutio canonica* (a) vocatur, in eaque duplicem actum discernimus, personae scilicet, beneficio praeficiendae, designationem, et ipsam beneficii donationem, seu *collationem* (b). Ex vtroque actu coniunctim *prouisio plena* atque perfecta, ex sola designatione personae *minus plena* habetur.

(*a*) *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.* Cap. 1. de R. I. in VI. (*b*) Collatio cum ordinatione olim coniuncta erat, cum nempe ordines non dabantur, nisi iis, qui vacanti aut impedito officio praeficiendi erant (§. 403.). Sed inde a seculo XI. publicae vtilitatis ratio deposcere videbatur, vt clerici non solum ad certa officia, sed vel ideo quoque ordinarentur, vt semper praesto essent, ad illa administranda idonei.

§. 562. Vtriusque species.

Prouisio minus plena vel ad officia et beneficia *maiora*, vel *ad minora* pertinet. *Prior*, si vel ab ipsa ecclesia, cui praeficiendus est praelatus, vel a collegio, eam repraesentante, fit, *electio*, si a principe suscipitur, *nominatio regia* appellatur; *posterior*, a quocunque fiat, *praesentatio* audit. Prouisio, quae electionem, vel regiam nominationem sequitur, eamque complet, *confirmatio*; quae praesentationi respondet, *institutio* speciatim dicitur.

§. 563. Ius prouidendi pars iurisdictionis eccles.

Sicut ius officia et beneficia ecclesiastica constituendi (§. 552.), ita et *ius prouidendi*, hoc est, personas idoneas deligendi, iisque benefi-

cia eccles. deferendi in natura *potestatis* (iurisdictionis) *ecclesiasticae* inest. Consequens igitur est, 1. ius prouidendi ad principem, *vt talem*, minime pertinere (*a*), 2. ius hoc in ecclesia catholica sacrorum eius praesulum (38. 48.) proprium esse, 3. illud ab his cum aliis clericis, tum laicis (§. 47.) concedi posse (*b*), 4. eo concesso, saluum manere ius concedentis prouisionem, ab alio factam, examinandi, et, vti res est, vel approbandi, vel reprobandi (*c*).

(*a*) G. L. Boehmer Princip. Iur. Can. §. 475. G. Wiese Grundsätz. des Kirchenr. §. 20. 438. I. L. Klyber Staatsr. des Rheinb. §. 402. (*b*) Sed ius commune *laicos seculares* a iure *eligendi* cap. 51. 56. *de Elect.*, item a iure *instituendi* ac *libere conferendi* penitus excludit. Can. 12. XVI. q. VII. Cap. 5. 8. *de Iur. patron.* (*c*) Cap. 3. *de Institut.*

§. 564. Prouisio extraordinaria papalis.

Prouisio, quae vel ab ipso praelato, cuius potestati beneficium *immediate* subiectum est, vel ex eius concessione ab alio fit, *ordinaria*, secus *extraordinaria* dicitur. Huius prima ac praecipua species quondam fuit *prouisio pontificia*, quae inde a seculo XII. ex opinione, ac si summus pontifex omnium beneficiorum dominus esset (§. 189.), per *mandata* primum *de prouidendo* (*a*), tum per generales atque perpetuas beneficiorum reseruationes introducta (§. 242.), denique per concordata nationis Germaniae quodammodo definita est (§. 245.). Sed cunctas ea de re quaestiones nunc missas facere licet, quandoquidem concordata vna cum

imperio Germanico exspirarunt, et plane incertum est, an et quantum Germaniae principes summo pontifici in posterum concessuri sint, cum praesertim constet, omnes generaliter papales beneficiorum reseruationes in terris Austriacis dudum sublatas fuisse (*b*).

(*a*) Cap. 30. 38. 39. 40. *de Rescript.* Cap. 6. *de Praebend.* (*b*) Vi constitut. 7. Octob. 1782.

§. 565. Item per primas preces.

Alteram prouisionis extraordinariae speciem exhibet *ius primariarum precum*, vi cuius princeps ordinario collatori mandat, vt beneficium in quodam canonicorum secularium suae ditionis capitulo vacaturum, personae, a se nominatae tribuatur. Hoc iure *ex antiqua et probata consuetudine* Germaniae Imperatores in totius imperii, et quidam principes in suorum territoriorum capitula vsi sunt, ita tamen, vt in vno capitulo semel tantum ab eodem principe exerceretur. Permultas quidem de eo quaestiones publici et canonici iuris interpretes agitarunt; sed nunc satis est, eius mentionem fecisse.

§. 566. Prouisio canonica quae sit.

Prouisio, qualiscunque sit, canonica sit, necesse est. *Canonica* autem est, quae fit, 1. vacante beneficio, 2. tempore modoque praescripto, 3. personis idoneis tantoque munere dignis, et 4. gratuito, sine mercede aut praemio.

§. 567. Beneficium vacans.

Vacare beneficium dicitur 1. *de facto tantum*,

si is, cui ex iure debetur, illud non possidet, 2. *de iure tantum*, si iure destitutus illud detinet, 3. *de iure et facto simul*, si nec ius, nec possessionem quisquam habet (*a*).

(*a*) Qui, beneficio legitime adepto, in *suspensionem* vel *excommunicationem* incidit, eodem *ipso iure* priuatus non est (§. 530.), priuandus postea, si in contumacia perstiterit. Cap. 35. §. 1. *de Appellat.* Beneficium ergo clerici suspensi aut excommunicati nec *de iure*, nec *de facto* vacuum censetur.

§. 568. Quatenus prouisionem admittat.

Beneficio prorsus vacanti canonice prouidendum esse, satis liquet. At 1. vacans *de iure tantum* alteri quidem assignari, eius tamen possessio non nisi audito possessore concedi potest (*a*), 2. si beneficium omnino non, aut *de facto tantum* vacat; quaeuis prouisio ipso iure nulla est (*b*). 3. Quin etiam promissio nondum vacantis siue certi, siue incerti beneficii irrita est (*c*). 4. *Mandata* item *de prouidendo*, et *gratiae*, quae *exspectatiuae* vocantur, penitus reprobatae sunt (*d*).

(*a*) Cap. 28. *de Praebend.* in VI. (*b*) Cap. 1. 2. *de Concess. praebend.* Cap. 4. *de Donat.* (*c*) Cap. 3. 13. 16. *de Concess praebend.* Non obstat cap. 14. *eod.*, abrogatum nempe per cap. 2. *eod.* in VI. Ex lege *Badensi* cit. §. 3. 4. promissio beneficii certi, aut proxime vacaturi irrita, incerti eatenus valida est, vt promissarius non quidem quod primo, nec quod secundo, sed quod tertio vacat, petere possit, siquidem promissio per litteras facta est, quae tamen promissoris heredes et successores non obligat. (*d*) Conc. Trid. XXIV. cap. 19., quo sanctiones cap. 9. *de Constitut.* Cap. 9. 19. *de Praebend.* Cap. 11. *eod.*

in VI. abrogatae sunt. Nihilominus canonicos *supernumerarios*, seu *in herbis* (§. 524.), iure praebendam proxime vacaturam capiendi, hoc est, *exspectatiua* praeditos habuimus.

§. 569. Tempus eius faciendae.

Ne beneficia nimis longo tempore vacua, suisque rectoribus orbata sint, certa faciendis prouisionibus tempora praestituta sunt, pro diuersa beneficiorum et prouisionum ratione, vt suis locis indicabimus, diuersa. Ex generali autem praecepto nullum beneficium vltra sex menses vacuum relinquendum esset (*a*). *Fructus beneficii vacantis* secundum *ius commune* vel successori asseruandi, vel in ecclesiae, vel beneficii vtilitatem impendendi sunt (*b*).

(*a*) Cap. 2. *de Concess praebend.* (*b*) Cap. 4. *de offic. iud. ordin.* Cap. 9. *eod.* in VI. Cap. 40. *de Elect.* in VI. Secundum leges *Austriacas* fructus vacantis beneficii a die, quo vacare coepit, vsque ad diem inuestiturae fundo religionis causae dicato cedunt. *Constit.* 268. 270. 276. Collect. cit.

§. 570. Aetas praeficiendorum.

Idoneus et *habilis* ad beneficium censetur, qui *aetate*, *ordine* aliisque *dotibus* praeditus est, quas ius siue *commune*, siue *particulare* deposcit. Ex iure *communi*, quod ad *aetatem* attinet, 1. Episcopatus XXX. annis non minores, 2. dignitates, quae iurisdictionem, omniaque beneficia, quae curam animarum important, XXIV. annis maiores (*a*), 3. dignitates et personatus in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, quibus nec iurisdictio, nec cura animarum annexa est,

XXII. annis non minores (b), 4. Canonicatus cathedrales et collegiati, omniaque beneficia simplicia XIII. annis maiores requirunt (c).

(a) Cap. 7. *de Elect.* Cap. vn. *de offic. vicar.* in Clem. Conc Trid. XXIV. cap. 12. (b) Conc. Trid. loc. cit. (c) Conc. Trid. XXIII. cap. 6. Olim impuberes beneficia obtinere poterant Cap. 32. *de Elect.* in VI., et adhuc receptum est, puberes in causis beneficialibus aliisque spiritualibus maiorum instar habendos esse. Cap. 3. *de Iudic.* in VI.

§. 571. Ordo eorum.

De *ordine* ad consequendum beneficium necessario canones sic statuunt: 1. Irrita est prouisio, nisi ei fiat, qui vere clericus, prima saltem tonsura initiatus est (*a*). 2. Episcopatus subdiaconatum, et quidem saltem sex menses antea acceptum postulat (*b*). 2. Alioquin opus non est, vt quis tempore prouisionis certum ordinem habeat, modo ita comparatus sit, vt ordinem, quem beneficii ratio exigit, intra annum (*c*), a die possessionis pacificae computandum (*d*), accipere possit, eumque hoc interim spatio accipiat. 4. Ecclesiis parochialibus praefecti, si intra annum presbyteri non sint, ipso iure iis priuati (*e*), alii vero omnes, siue dignitates, siue alia beneficia, etiam curata teneant, praeuia monitione per sententiam iudicialem iis priuandi sunt (*f*).

(a) Cap. 6. *de Transact.* Cap. 2. *de Institut.* (b) Conc. Trid. XXII. cap. 2. (c) Cap. 5. *de aetat. qual.* etc. Cap. 14. *de Elect.* in VI. Cap. 2. *de aetat. qualit.* in Clem. Conc. Trid. XXII. cap. 4. (d) Cap. 35. *de Elect.* in VI. (e) Cap. 14. 35. *de Elect.* in VI. (f)

Cap. 7. §. 2. *de Elect.* Cap. 22. *eod.* in VI. De canonicis ecclesiarum cathedralium speciatim cautum est, vt eorum pars saltem dimidia sacerdotium habeat. Conc. Trid. XXIV. cap. 12.

§. 572. Dotes aliae.

De aliis *dotibus*, queis praeditos esse oportet, qui ad beneficia adspirant, hasce regulas annotamus: 1. Qui ad sacros ordines idoneus repertus est, plerumque ad beneficia quoque idoneus censetur (*a*). 2. Praeter morum probitatem canones eam speciatim rerum scientiam exigunt, quae pro diuersa officii, a quo beneficium pendet, ratione ad illud rite obeundum sufficiat (*b*), ideoque 3. ad episcopatum euehendus theologiae, vel iuris canonici doctor sit, aut publico academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur (c). 4. Canonici ecclesiarum cathedralium ea doctrina eruditi, eaque morum honestate conspicui *sint*, *vt merito senatus ecclesiae dici possit* (*d*). 5. Beneficiis curatis praeficiendi praeuio examine scientiam sibi necessariam probare debent (*e*). 6. Quaenam praeterea dotes requirantur, ex lege fundationis, consuetudine, et statutis discendum est (*f*).

(*a*) Cap. 13 *de aetat. qual. et ord.* 1. 14. Idonei ergo non sunt *irregulares* siue ex defectu, siue ex delicto. Cap. 7. §. 2. 3. *de Elect.* Cap 15 *de Rescript.* in VI. Eadem nota *suspensi* et *excommunicati* laborant. Cap. 8. *de aetat. qual. et ord.* Cap. 7. *de cler. excom.* (*b*) Cap 7. *de Elect.* Cap. 29. *de Praebend.* Cap. 1. *de aetat. qual.* in Clem. (*c*) Conc. Trid. XXII. cap. 2. (*d*) Idem XXIV. cap. 12. Ex legibus *Austria-*

cis ad canonicatus ecclesiarum cathedralium iis tantum aditus patet, qui decem annis curam animarum strenue egerunt. *Constitut.* 125. in Collect. cit. Eodem iure praediti sunt, qui decem annis in academia aut lycaeo theologiam bene docuerunt, vel seminario episcopali cum laude praefuerunt. *Constitut.* 11. April. 1804. et 16 August. 1805. (*e*) Conc. Trid. VII. cap. 13. XXIV. cap. 18. Ad mentem huius concilii leges *Austriacae* ad beneficia quaecunque curata non admittunt, nisi eos, qui examen, quod *pro concursu* vocant, ex theologia dogmatica, morali et pastorali, ex iure canonico et paraphrasi sacrae scripturae noui testamenti, ex arte catechismum tradendi et concionandi subierunt, ex eoque primae classis elogium reportarunt, quo ornati per sexennium quidem quaecunque beneficia curata petere possunt, eo autem elapso, etsi interea curam animarum strenue egerint, nouo examine opus habent, nisi dispensationem a regimine ciuili, audito prius consistorio episcopali, impetrauerint. *Constitut.* 157. 160. 162 169. 175. in Collect. cit. Vbi eiusmodi *examina pro concursu* nondum introducta sunt, aspirantes ad beneficia fidem facere debent, quod a collegio, curandae rei catholicae causa constituto, in numerum candidatorum ecclesiasticorum recepti fuerint. *Ephem. regim. Bad.* an. 1808. pag. 106. §. 18. 19. an. 1809. pag. 475. § 20. (*f*) Leges patriae *indigenas* inprimis requirunt. *Constitut.* 144. in Collect. cit. *Ephemer.* cit. pag. 106. §. 17. Caeterum in Germania ecclesiarum cathedralium et insigniorum collegiatarum capitula statutis et pactionibus, identidem conflatis, effecerunt, non nisi auita nobilitate illustres in canonicorum numerum recipiendos esse, quibusdam tantum capitulis exceptis, in quibus theologiae aut iuris canonici doctores, inferiore genere orti, tolerabantur. Frustra Gregorivs IX. in cap. 37. *de Praebend.* constituit, *quod non generis, sed virtutum nobilitas vitaeque honestas gratum Deo faciunt seruitorem.* Neque mirum est, capitula Germaniae causam obtinuisse.

§. 573. Prouisio non gratuita nulla.

Omnis denique prouisio, quocunque modo alioqui legitimo fiat, *gratis* quoque fiat, necesse est. Omnis certe pactio onerosa, illius vel faciendae vel obtinendae causa siue ab ipso prouidendo, siue a tertio, licet ignorante illo (*a*), inita, tanquam simoniae species, cum ex se nulla est, tum ipsam prouisionem irritam reddit (*b*).

(*a*) Cap. 59. *de Elect.* Cap. 27. 33. *de Simon.* (*b*) Cap. 6. 8. *de Pact.* Cap. 7. *de Transact.* Cap. 12. 34. *de Simon.*

§. 574. Iura principis circa prouisionem.

Iura principis circa prouisionem canonicam ex iure *aduocatiae eccles.* et *inspectionis secularis* (§. 132.) desumenda sunt. Ex *illo* princeps canones de prouisione canonica legibus suis firmat, curatque, vt ad eorum mentem non nisi plane idonei beneficiis praeficiantur; ex *hoc* autem certas personas, veluti alienigenas aliasque ex rationibus politicis a beneficiis excludit; prouisiones, auctoritate eccles. factas, prout res est, approbat, concessuque *temporalium* plane perficit.

CAPVT IV.
DE ELECTIONE ET CONFIRMATIONE.

I. 5. De Postulatione Praelatorum.
— 6. De Electione et electi potestate.

§. 575. Ius eligendi capitulis datum.

Episcopi initio suffragante clero et populo,

abbates ex monachorum cuiusque coenobii consensu eligebantur. Postea principes cum hos, tum illos suo iudicio constituere coeperunt. Qua dein ratione, in Germania praesertim, ius eligendi episcopos, aliosque praelatos cum seculares, tum regulares ad ecclesiarum cathedralium, collegiatarum et regularium capitula peruenerit, supra (§. 238.) iam exposuimus.

§. 576. Electio, Postulatio.

Electio igitur ex iure, quod hucusque obtinuit, est designatio personae, ad praelaturam promouendae, per suffragia capituli illius ecclesiae facta, cui praeficiendus est praelatus. Atque haec electio vel *ordinaria est*, et *proprie* talis, vel *extraordinaria*, seu, vt vocatur, *postulatio*, prout nempe persona electa vel plane idonea est, vel impedimento aut defectu quodam laborat, ope dispensationis tollendo (*a*). Vtraque iisdem fere legibus regitur.

(*a*) Olim *electionis* et *postulationis* nomina promiscue vsurpata sunt. Can. 11. 16. Dist. LXI. Can. 27. Dist. LXIII.

§. 577. Ius suffragii penes quos sit.

In vtraque suffragio, seu *voce actiua*, ex se gaudent omnes, et soli capitulares, qui nempe *votum* et *sessionem* in capitulo habent (*a*), nisi lege speciatim sint prohibiti (*b*). Eodem iure ex consuetudine et praescriptione (*c*), aut vnanimi capitularium consensu (*d*) *extranei* quoque potiri possunt, modo *clerici* sint. *Laicos* ius decretalium adeo excludit, vt nulla sit electio, iis interuenientibus facta (*e*).

(*a*) Cap. 4. *de postul. prael.* Cap. 3. *de caus. poss. et prop.* (*b*) Tales sunt excommunicati cap. 39 *de Elect.* Cap. 10 *de cler. excom.*, ab officio suspensi Cap. 8 *de Consuetud.* Cap. 16. *de Elect.*, nondum subdiaconi cap 2. *de aetat. qual.* in Clem. Conc. Trid. XXII. cap. 4., in capitulis regularium nondum professi et fratres laici cap. 32. §. 1. *de Elect.* in VI., religiosi mendicantes, ad non mendicantium ordinem translati, cap 1. *de Regular.* in Clem. (*c*) Cap. 3. *de caus. poss. et prop.* (*d*) Cap. 8. 40. *de Elect.* (*e*) Cap. 51. 56. *eod.*

§. 578. Quinam eligi non possint.

Electio, speciatim sic dicta, personam plane idoneam ponit. Eligi igitur nequeunt, *vocemque*, vt aiunt, *passiuam* non habent, quibus de aetate, ordine, aliisque dotibus (§. 570 — 572.) aliquid deest. Tunc ergo *postulatio* adhibenda est, ea nempe postulatio, *quae*, quod impetrandae dispensationis causa fiat, *propria* et *solennis* appellatur (*a*).

(*a*) Alias *postulatio impropria*, seu *simplex* dicitur, qua non dispensatio, sed illius tantum consensus petitur, cuius potestati eligendus obnoxius est, veluti si cardinalis non episcopus cap. 3. *de Postulat.*, aut *religiosus* vel ad episcopatum, vel ad praelaturam in alio sui ordinis monasterio eligeretur. Cap. 27. 36. *de Elect.* in VI.

§. 579. Quinam recte postulentur.

Cum vero de postulatione agitur; refert, an impedimentum, quod personae, alioqui eligendae, obstat, eius generis sit, in quo dispensatio concedi, an illius, in quo denegari soleat. Qui priori genere comprehensi sunt, veluti laborantes defectu natalium (*a*), aetatis (*b*),

vel ordinis (*c*), episcopi porro confirmati (*d*), nondum professi ratione praelaturae regularis (*e*), recte atque ordine postulantur.

(*a*) Cap. 20. *de Elect.* (*b*) Cap. 7. *eod.* (*c*) Can. 10. Dist. LXI. Cap. 22. in p. d. *de Elect.* (*d*) Cap. 6. *de Postulat.* Cap. 2. *de Translat. episcop.* (*e*) Cap. 13. *de Elect.*

§. 580. Quinam postulari nequeant.

Qui autem eius generis impedimento detinentur, in quo dispensari non solet, veluti sunt illiterati et rudes (*a*), bigami (*b*), minores XXVII. annis ad episcopatum (*c*), regulares ad praelaturam alterius ordinis (*d*), mendicantes ad praelaturam episcopatu inferiorem (*e*), hi ne postulari quidem possunt, nisi forte et hos aliosque siue eligendi, siue postulandi venia speciatim concessa fuerit (*f*).

(*a*) Cap. 15. *de aetat. qual. et ordin.* (*b*) Cap. 2. *de Bigam.* (*c*) Cap. vn. *de Postulat.* Extrau. com. (*d*) Cap. 1. *de Elect.* in Clem. (*e*) Cap. vn. *cit.* (*f*) Huc pertinet *Breue eligibilitatis*, vi cuius summus pontifex concedit, vt alioqui postulandus, veluti episcopus confirmatus, recta eligi, ad alium igitur episcopatum transire, quin et priorem retinere possit. Caeterum interpretes in recensione *postulandorum*, et *postulari prohibitorum* parum inter se consentiunt, praeterquam quod, in quibus causis dispensari soleat, vel non, ex stilo curiae magis, quam ex iure pendere videatur.

§. 581. Electionis institutio.

Siue electio, siue postulatio facienda sit, 1. vacante praelatura, actisque, si per mortem vacat, exequiis instituenda, et 2., quod ad

ecclesias cathedrales et regulares attinet, intra tres menses a die notae vacaturae, peragenda est, nisi prolatio iustam excusationem habeat (*b*). 3. Ad eam vacandi sunt omnes, qui ius suffragii habent, etiam absentes (*c*), iique, 4. si iusto impedimento detinentur, procuratorem constituere possunt, necessario admittendum, si ex gremio est (*d*). 5. Absentium, rite vocatorum suffragia, accrescunt praesentibus (*e*).

(*a*) Can. 7. Dist. LXXIX. Cap. 36. *de Elect.* (*b*) Cap. 41. *eod.* Cap. 5. *de Concess. praebend.* (*c*) Cap. 42. *de Elect.* Si vel vnus non est vocatus, is de contemtu agere, et electionem irritam reddere potest. Cap. 28. 36. *eod.* (*d*) Cap. 42. §. 1. *eod.* Cap. 46. §. 3. *eod.* in VI. (*e*) Cap. 19. §. Item *de Elect.*

§. 582. Tempus eius peragendae peremtorium.

Si electores intra tempus praefixum electionem facere negligunt, iure eligendi ea vice priuantur, idque ad eum, ad quem alias electionis confirmatio pertinet, ipso iure deuoluitur (*a*). Quodsi autem electio vel postulatio, semel rite peracta, sine culpa eligentium irrita redditur, a noua quasi vacatura nouum spatium trimestre conceditur (*b*).

(*a*) Cap. 3. 4. *de suppl. neglig.* (*b*) Cap. 26. *de Elect.* in VI.

§. 583. Electionis canonicae forma triplex.

Ad haec electio, eoque magis postulatio non alio, quam canonibus praescripto modo fieri recte potest. Hic autem triplex est: 1. *per quasi inspirationem*, cum electores congregati vnanimi consensu sine vllo praeuio tracta-

tu in vnum conspirant, 2. *per compromissum*, cum suffragantes eligendi potestatem in vnum pluresue transferunt, 3. per *scrutinium*, cum per secretam singulorum suffragationem res peragitur (*a*). Prior modus admodum rarus; alter minus frequens est, tertius plerumque adhibetur.

(*a*) Cap. 42. *de Elect.*

§. 584. Electio per Scrutinium.

Scrutinium hisce actibus absoluitur: 1. Electoribus, die praefixo congregatis, assumuntur tres de collegio, vel, sicubi consuetudo fert, clerici extranei, qui *scrutatores* vocantur. 2. Hi suffragia, siue viua voce data, siue litteris consignata (*a*), a singulis secreto et seorsim recipiunt (*b*). 3. Collectis suffragiis vnus scrutatorum, tot adesse suffragia, quot sunt suffragantes, capitulo indicat, atque hic actus *publicatio scrutinii* dicitur (*c*). 4. Tum scrutatores suffragia inter se conferunt (*d*), dispiciuntque, an maior et sanior pars (*e*) praesentis capituli in vnam personam consentiat, idque, si feliciter euenerit (*f*), capitulo annuntiant, cuius dein petitio, vt electus promulgetur, siue electionis, siue postulationis (*g*) communiter decretae, vim habet. 5. Tunc vnus, siue praeses capituli, siue alius, ad id constitutus, suo et omnium nomine ita electum vel postulatum palam pronuntiat (*h*).

(*a*) In electionibus regularium suffragia ea ratione scripta sint, necesse est, vt eligentium nomina non appareant; secus nulla esset electio. Conc. Trid. XXV. Cap. 6. *de Regular.* (*b*) Scrutatores, si sunt

de capitulo, et suffragia viua voce feruntur, primum a se ipsis, tum a reliquis ea requirunt. Absentibus non licet per litteras suffragia dare, nec procurator absentis aliud pro se, aliud pro mandante suffragium facere potest, nisi mandatum speciale pro certa persona habeat. Cap. 46. §. 2. 3. *de Elect.* in VI. (*c*) Publicato scrutinio singuli electores suo functi sunt officio, sublata variandi, suaque suffragia mutandi facultate, quae per se cessat, vbi suffragia secreta in schedis oblata sunt. Cap. 58. *de Elect.* (*d*) Suffragia *conditionata*, *incerta* et *alternatiua* non numerantur. Cap. 2. *eod* in VI. (*e*) Pars maior etiam sanior censetur, nisi contrarium manifesto appareat. Cap. 57. *de Elect.* Cap. 1. 4. *de his, quae fi. a mai. part. cap.* (*f*) Si suffragia in plures ita dispersa sunt, vt *absolute maiora* in nullum ceciderint, nihil actum, sed scrutinium repetendum, vel compromissum ineundum est. Cap. 55. *de Elect.* Cap. 23. *eod.* in VI. (*g*) Si postulatio cum electione concurrit, illa, vt vincat, duae tertiae totius capituli requiruntur; haec, vt illi praeferatur, vltra vnam tertiam totius capituli suffragantem habeat, necesse est; secus neutra valebit. Cap. 40. *de Elect.* (h) Cap. 21. *eod.* in VI.

§. 585. Eius non recte factae effectus.

Si electio aut postulatio, siue ob vitium suffragantium, siue ob formam neglectam, siue ob notam indignitatem personae designatae nulla est; refert, an omnes suffragantes in culpa sint, an non? Si prius, ius prouidendi ad superiorem deuoluitur; si posterius, penes innocentes illud remanet, adeo vt si vel vnus innocens supersit, is solus (§. 337.) eligere vel postulare possit (*a*).

(*a*) Cap. 1. in fin. *de postul. prael.* Cap. 20. 23. 53. *de Elect.*

§. 586. Electio per compromissum.

De electione *per compromissum* hae regulae tenendae sunt: 1. vt locum habeat, vnanimi omnium electorum in illud consensu opus est (*a*); 2. ita vero in vnum vel plures, siue capitulares, siue extraneos clericos compromittere (*b*), iisque vel absolutam, vel certis conditionibus astrictam eligendi potestatem facere possunt (*c*); 3. compromissarii porro vnum ex se ipsis, nisi formula compromissi obstet, eligere possunt, vnusque eorum, ab alio aliisue electus, sibi ipse suffragium dare potest (*d*). 4. Vbi plures compromissarii sunt, suffragia eorum absolute maiora requiruntur, eaque rem conficiunt, etsi postulandus cum eligendo concurrat (*e*). 5. Siue electio, siue postulatio ab iis facta sit, ea pariter ab vno tantum promulganda est (*f*).

(*a*) Cap. 29. de R. I. in VI. (*b*) Cap. 8. 51. *de Elect.* (*c*) Veluti vt exquisitis singulorum suffragiis illum eligant, quem maior pars totius capituli nominauerit, Cap. 23. 32. *de Elect.* Cap. 29. *eod.* in VI., quae conditio scrutinium cum compromisso coniungit. (*d*) Cap. 33. *eod.* (*e*) Cap. 30. *eod.* Cap. 23. *eod.* in VI. (*f*) Cap. 21. *eod.* in VI.

§. 587. Compromissi exstinctio.

Compromisso autem, veluti mandato, finem faciunt 1. reuocatio, re adhuc integra a maiori parte capituli facta (*a*); 2. lapsus temporis a capitulo, vel iure praefixi; 3. electio vel postulatio, a compromissariis promulgata, etsi forte vel nulla sit, vel aliam ob causam effectum non sortiatur. Si ob lapsum temporis,

iure definiti, compromissum exspirat, ius eligendi ad superiorem deuoluitur; si ob aliam causam, illud ad capitulum redit (*b*).

(*a*) Cap. 30. *de Elect.* (*b*) Cap. 37. *eod.* in VI.

§. 588. Singularia in electionibus monialium.

Electio *abbatissae* alteriusue praefectae monialium his speciatim praeceptis astricta est: 1. Episcopus, siue alius superior, tanquam praeses, suffragia recipit (*a*). 2. Duae tertiae, in vnam conspirantes, electionem plane perfectam reddunt. 3. Suffragiis absolute maioribus pars minor illico accedere, eoque accessu duas tertias complere potest. 4. Electio per suffragia absolute maiora eatenus tantum valet, quoad iustis de ea querelis non euertitur (*b*).

(*a*) Conc. Trid. XXV. cap. 7. *de Regular.* (*b*) Cap. 43. §. 1. 2. 5. *de Elect.* in VI.

§. 589. Electi vel postulati consensus requirendus.

Cum electio, tum postulatio intra octiduum electo vel postulato significanda est, in eamque electus simpliciter, postulatus sub conditione obtinendae dispensationis consentire potest. Consensu intra mensem non dato, vterque oblatam praelaturam repudiasse censetur (*a*); dato autem consensu canonice quidem electus *ius ad rem*, seu ad praelaturam ita acquirit, vt nec electoribus resilire, nec superiori confirmationem denegare liceat (*b*); rite contra postulatus adeo iuris expers est, vt et postulantibus reuocationem, et superiori admissionis negationem canones permittant (*c*).

(a) Cap. 6. 16. §. caeterum *de Elect.* in VI. (b) Cap. 3. *de Elect.* (c) Cap. 3. 5. *de Postul. praelat.* Sed reuocatio postulationis acceptatae parum honesta cap. 33. de R. I. in VI; superiori semel exhibitae, ob aliam rationem illicita est cap. 4. §. si enim eod. Immo ex vsu et consuetudine nec superiori amplius integrum est, postulationem alioqui iustam reiicere.

§. 590. Tum confirmatio vel admissio petenda.

Habito siue electi, siue postulati consensu, intra tres menses ille quidem *confirmationem* petere debet, postulantes vero huius *admissionem* exorare tenentur (a). Vtraque vi iuris communis a proximo superiore deposcenda est (b). Hinc pro abbate episcopus, vel, sede vacante, capitulum cathedrale (c), pro episcopo archiepiscopus (d), pro episcopis aliisque praelatis *exemtis*, summus pontifex adeatur, oportet (e). Sed vsus et concordata omnes generaliter episcopos confirmandi postulatosue admittendi ius summo pontifici detulerunt (f).

(a) Secus ille quidem iure per electionem quaesito excidit cap. 6. *de Elect.* in VI. Idemne de postulantibus et postulato dicendum? Vid. Cap. 16. §. Denique *eod.* in VI. (b) Cap. 47. *eod.* in VI. In postulatione ob defectum, dispensationi pontificiae reseruatum, ea ante petenda, quam proximi superioris auctoritas requirenda est. Cap. 18. *de fil. presbyt.* (c) Cap. 14. *de M. et O.* (d) Can. 8. Dist. LXIV. Cap. 32. *de Elect.* (e) Cap. 44. §. 2. *eod.* (f) Quicunque hac in re pontificia auctoritate opus habent, intra mensem a die praestiti consensus vel ipsi ad apostolicam sedem iter aggredi, vel procuratorem, satis instructum, eo mittere deberent. Cap. 16. 33. *eod.* in VI. Cap. 2. §. 5. *eod.* in Clem. Ex more autem, a Conc. Trid. XXII. cap. 2. XXIV. cap. 1. probato

publicum de facta electione vel postulatione documentum, a capitulo, vel scrutatoribus subscriptum, apostolico eius prouinciae nuntio offerebatur. Is dein vel per se, vel per vicinum episcopum examen de persona et dotibus electi aut postulati instituere, et ad summum pontificem referre solebat.

§. 591. Vtriusque effectus.

Sicut electionis confirmatio, ita postulationis admissio 1. prouisionem *plenam* efficit; *ius* igitur *in re*, seu in praelaturam, plenamque adeo illius cum in *spiritualibus*, tum in *temporalibus* administrationem tribuit (*a*) 2. *spiritualis* coniugii vinculum inducit, inter episcopum certe et ecclesiam ei concreditam adeo firmum, vt non nisi a summo pontifice dissolui possit (*b*).

(*a*) Cap. 15. *de Elect.* Ante impetratas confirmationis aut admissionis litteras administrationi se immiscere, generaliter interdictum est. Cap. 17. *eod.* Cap. 5. *eod.* in VI. Cap. 1. *eod.* Extrau. com. Sed in concordia electis, et a sede apostolica confirmandis, ab ea tamen valde remotis, administratio, excepta rerum alienatione, *dispensatiue* permittitur. Cap. 44. *de Elect.* Idem dicendum de postulatis, quorum admissio iuris magis est (§. 589.) quam gratiae. (*b*) Cap. 4. *de Translat. episcop.*

§. 592. Iura principis in electione.

Iura principis in electione episcoporum et praelatorum haec fere sunt: 1. Ius tuendi electionem, vt libere et canonice peragi possit. 2. Ius mittendi legatos, qui in electionis negotio principis partes sustineant. 3. Ius assensu suo electum comprobandi, eundemue, cum causa subest, reprobandi. 4. Ius electum in posses-

sionem temporalium mittendi, eumque ratione dignitatis secularis confirmandi (*a*).

(*a*) Can. 18. 25. Dist. LXIII. Cap. 14. 18. 28. *de Elect.*

§. 593. Episcoporum consecratio.

Praeter confirmationem episcopis *consecratio* est necessaria, eamque 1. intra tres menses a die obtentae confirmationis sibi comparare tenentur, idque si intra alterum trimestre neglexerint, ipso iure dignitate priuati sunt (*a*). 2. Episcopus ab archiepiscopo, isque ab omnibus suffraganeis suis consecrandus esset (*b*); nunc autem a delegato summi pontificis (§. 467.) id fieri solet. 3. Ad ritum consecrationis obeundum olim tribus episcopis opus erat (*c*); hodie vnus, cui duo abbates aliiue dignitate eccles. praediti assistunt, rem peragit. 4. Hoc ritu efficitur, vt episcopus iura ordinis reseruata (§. 500.) *licite* exequi et *pontificalibus* (§. 503.) vti possit (*d*). 5. Inde porro spirituale illud coniugium (§. 591.) perfectum et consummatum dicitur (*e*).

(*a*) Can. 2. Dist. LXXV. Conc. Trid. XXIII. cap. 2. (*b*) Cap. 6. 7. *de Temp. ordinat.* (*c*) Cap. 1. 2. Dist. LXVI. Cap. 6. cit. (*d*) Cap. 15. 28. §. 1 *de Elect.* (*e*) *Spirituale foedus coniugii, quod est inter episcopum et ecclesiam, in electione initiatum, ratum in confirmatione, et in consecratione intelligitur consummatum.* Cap. 4. *de Transl. episcop.*

§. 594. Abbatum benedictio.

Consecrationis loco abbates confirmati *benedictionem* a suo episcopo accipere (*a*) eatenus necesse habent, quod, ea non impetrata, nec

insignia pontificalia vsurpare, nec partes ordinis, episcopis alioqui reseruatas, (§. 446.) obire possint (*b*), nisi forte alterutrum, vel vtrumque peculiari priuilegio quibusdam, non accepta licet benedictione, concessum sit (*c*).

(*a*) Etiam abbatissae, sicubi mos ita fert, benedictionem, et quidem intra annum ab obtenta confirmatione, petant, necesse est. Cap. 13. *de Accusat.* Cap. 2. *de stat. monach.* in Clem. Tempus, intra quod abbates eam petere teneantur, iure communi definitum non est. (*b*) Can. 37. XII. q. II. Cap. 11. *de aetat. qual. et ord. praefic.* (*c*) Tali priuilegio muniti sunt abbates Cistercienses, si episcopus, tertio rogatus, benedictionem iis renuit. Cap. 1. *de suppl. negl. prael.*

§. 595. Singularia in electione papae.

Electio summi pontificis, cardinalibus demandata (§. 474.) haec habet peculiaria: 1. Cardinales ad eam vocari haud necesse, sed eorum tantum aduentus decem diebus exspectandus est (*a*). 2. Obtentu *censurarum* suffragii iure priuari non possunt (*b*). 3. Electio per scrutinium perfecta non est, nisi duae tertiae cardinalium praesentium in vnum consenserint, eaeque vt facilius obtineantur, *accessui* locus datur (*c*). 4. Absentes per procuratorem suffragia ferre nequeunt, cum ius eligendi praesentibus tantum datum sit. 5. Confirmationis loco est ecclesiae catholicae in electionem, a cardinalibus factam consensio, qua efficitur, vt electo, et ab ecclesia probato pontifici nullum impedimentum iuris mere humani opponi possit. 6. Si electus vel presbyter, vel episcopus conse-

cratus non est, sacerdotio inaugurandus et consecrandus est.

(*a*) Cap. 3. §. 1. 2. *de Elect.* in VI. (*b*) Cap. 2. §. 4. *eod.* in Clem. (*c*) Cap. 6. *de Elect.*

§. 596. Nominatio regia.

Electiones et postulationes in sola fere Germania vsitatae erant. Earum vice in aliis regnis *nominatio regia* obtinet, qua principes siue fundationis et patronatus iure, siue ex antiqua et probata consuetudine (§. 565.) personam designare solent, vacanti praelaturae praeficiendam (*a*). Qua de re annotamus: 1. Quibus dotibus rite electus aut postulatus, iisdem a principe nominatus praeditus sit, oportet. 2. Nominatio pro conditione personae vel electionis vel postulationis, hoc est, minus plenae prouisionis, rationem habet. 3. Plena prouisio ab eodem regimine ecclesiastico requirenda, et facienda est, ad quod electos confirmandi postulatosue admittendi ius pertinet. 4. Quis speciatim cum in nominatione, tum in eius confirmatione modus seruandus sit, ex pactis et concordatis, vsu et consuetudine pendet.

(*a*) Hoc iure praeter alios principes Austriae quoque Imperatores in Hungaria, Bohemia caeterisque terris Austriacis vtuntur. Abbatum quidem, et abbatissarum electiones supplicantibus capitulis permittere solent; episcopos autem, solo archiepiscopo Olomucensi, qui canonice eligitur, excepto, ipsi nominant, eorumque confirmationem a summo pontifice petunt, data eam ob rem lege, (13. Iun. 1799.) ne quis pro obtinendo episcopatu preces Imperatori offerre audeat.

CAPVT V.

DE COLLATIONE ET INSTITVTIONE.

I. 10. De supplenda negligentia praelatorum.
III. 7. De Institutionibus.

§. 597. Collatio libera vel necessaria.

C*ollationis* nomine plerumque intelligitur beneficii minoris concessio, eaque, si fit personae, ab ipso collatore delectae, *collatio* simpliciter, seu *libera*, si personae, ab altero praesentatae, *institutio* (*verbalis*, *collatiua*), et, quod praesentatio, rite facta, *ius ad rem*, seu ius beneficii concessionem exigendi, pariat, collatio *necessaria* vocatur. Vtraque iisdem legibus, quibus prouisio generatim (§. 563.) astricta, et libera quidem collatio intra sex menses a die, quo vacatio collatori innotuit, facienda (*a*); institutioni autem certum tempus iure communi praefinitum non est. Vtraque, alicui destinata, eidem, licet ignoranti, ius acceptandi, acceptata ius in beneficium, seu in re tribuit (*b*).

(*a*) Cap. 3. *de suppl. neglig.* Cap. 2. 5. *de Concess. praebend.* (*b*) Cap. 8. *eod.* in VI. Cap. 17. *de Praebend.*

§. 598. Libera collatio ex regula penes episcopum.

Ius prouidendi, regimini ecclesiastico generatim proprium (§. 563.), in regimine episcopali speciatim ita inest, vt omnia *per se* beneficia ad *liberam* cuiusque episcopi in sua dioe-

cesi, eiusue, qui iurisdictionem quasi episcopalem tenet, in suo tractu *collationem* pertineant (*a*), nisi quid de hoc iure derogatum esse appareat. Derogant autem 1. capitula, iure eligendi praedita (*b*), 2. capitula cathedralia, quibus collatio canonicatuum vna cum episcopo ita concessa est, vt capituli suffragium tantundem, ac episcopi valeat (*c*), 3. fundatores beneficiorum, *praesentandi* ad ea iure munerati (*d*), 4. Omnes denique, qui praesentandi, vel libere conferendi ius *speciali*, puta priuilegii, consuetudinis aut praescriptionis *titulo* acquisiuerunt (*e*).

(*a*) Can. 10. 11. XVI. q. VII. Cap. 16. *de offic. iud. ordin.* Cap. 12. in fin. *de Haeret.* (*b*) Cap. 25 *de Iur. patron.* (*c*) Cap. 31. *de Elect.* Cap 15. *de Concess. praebend.* Cap. vii. pr. *Ne sed. vac* in VI. (*d*) Can. 32. XVI. q. VII. Cap. 3. 25. *de Iur. patron.* (*e*) Cap. 18. *de Praescript.*

§. 599. Ius episcopi, prouisione ad alium spectante

Etsi vero ius prouidendi episcopale multimodis circumscriptum sit, remanet tamen ius ab aliis quouis modo nominatos examinandi, et, siquidem idonei sunt, *canonice* instituendi (*a*), nisi alius, id quoque iuris suum esse, probauerit (*b*). Fac porro, alium ipso instituendi, quin et libere conferendi iure praeditum esse, eo tamen, vbi de beneficio *curato* agitur, vti non potest, antequam praeficiendus de cura animarum in loco beneficii agenda mandatum, hoc est, *institutionem auctorisabilem* ab episcopo acceperit (*c*).

(*a*) Cap. 3. *de Institut.* Conc. Trid. VII. cap. 13.

(*b*) Cap. 6. *de Institut.* (*c*) Cap. 4. *de Offic. archid.* Conc. Trid. XXIII. cap. 15.

§. 600. Ius capituli hac in re.

Caeterum beneficia, quae ad episcopi collationem, etsi ex consilio aut assensu capituli faciendam, spectarit, neque a vicario generali sine speciali mandato (*a*), neque a capitulo sede vacante conferri possunt (*b*); ab vtroque autem institutio cum *collatiua*, tum *auctorisabilis* episcopi vice dari potest, quin et debet, siquidem beneficii ratio dilationem non patitur (*c*).

(*a*) Cap. 3. *de Offic. vicar.* (*b*) Cap. vn. §. 1. *Ne sed. vac.* (*c*) Cap. 3. *de Institut.* Cap. vn. cit. §. 2.

§. 601 Collationis liberae deuolutio.

Si collatio *libera* intra tempus praefinitum facta non est, vel aperte indigno facta est, ius conferendi ea vice ad proximum superiorem ipso iure deuoluitur, et quidem 1. si collatio ad episcopum et capitulum simul, seu aequa parte spectat, alterutro cessante, alter suo iure vtitur; vtroque autem negligente, archiepiscopus intercedit (*a*). 2. Ad eundem ius prouidendi transit, si collatio penes episcopum vel solum, vel cum consensu aut consilio capituli stetit (*b*). 3. Si collator episcopo inferior est, eius negligentiam episcopus suppleat, oportet (*c*).

(*a*) Cap. 5. *de suppl. neglig.* Cap. 15. *de Concess. praebend.* (*b*) Ab episcopo ad capitulum, et ab hoc demum ad archiepiscopum transitionem fieri, in cap. 2. *de Concess. praebend.* statutum legimus; sed id vsu receptum non esse, interpretes testantur, eo-quod inconueniens videatur deuolutio a superiore

ad inferiorem. (*c*) Cap. 2. *cit.*, non obstante, quod negligens forte exemtus sit. Cap. vn. *de suppl. neglig.* in Clem.

§. 602. Institutio corporalis.

Facta collatione, siue libera, siue necessaria, is, qui alterutram obtinuit, ex suggestu ecclesiae, ad quam beneficium pertinet, proclamari, diesque ad opponendum dici solet (*a*), quo elapso, tanquam complementum collationis sequitur *institutio corporalis*, *inuestitura* seu *installatio*, dum scilicet beneficiarius auctoritate ecclesiastica, episcopi nimirum eiusue, cuius est prouisionem plenam facere, in possessionem beneficii ratione *spiritualium* et *temporalium* mittitur (*b*). Qui per se eam apprehendit, vti res fert, puniendus, si vi occupat, et se intrudit, iure, quod habuit, hoc ipso priuatus est (*c*).

(*a*) Arg. Cap. 47. *de Elect.* in VI. (*b*) Cap 7. §. 5. *de offic. archid.* Cap. 7. *de Concess praeb.* Cap. 28. *de Praebend.* in VI. Sed institutionem in *temporalia* principes sibi vendicare (§. 574), episcopi autem per commissarios, aut decanos rurales *spiritualia* tradere solent. Leges *Austriacae* decano, qui episcopi nomine parochum in *spiritualibus* instituit, honorarii loco aureum assignant; *installationem* vero *in temporalibus* per litteras, *breuique*, vt aiunt, *manu* et gratuito faciendam, locorum praefectis committunt. *Constitut.* 166. 494. Collect. cit. Idem fere lege *Badensi* constitutum est. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1807. pag. 63.

CAPVT VI.
DE IVRE PATRONATVS.

III. 38. De Iure patronatus.

§. 603. Ius patronatus, eiusque origo.

Qui suis sumtibus ecclesias exstruxerunt, gratae quidem memoriae honorem, nulla tamen in eas iura prioribus seculis consequebantur. Cum vero *concilium Arausicum* an. 441 episcopo, qui in aliena dioecesi ecclesiam aedificauit, ius clericum, eidem praeficiendum, nominandi concessisset (*a*); idem ius omnibus deinde ecclesiarum fundatoribus, quin et eorum heredibus concessum (*b*), et tum legibus principum (*c*), tum decretis conciliorum firmatum (*d*), aliisque sensim iuribus auctum est. Progressu temporis fundatores eiusmodi *patroni* dicti sunt (*e*). Vnde *ius patronatus* appellatum est, quidquid iuris ob fundationem ecclesiae, aut beneficii in ea eoue siue ex lege, siue ex consuetudine, siue ex conditione, in fundatione apposita (*f*), alicui tributum est.

(*a*) Can. 1 XVI. q. V. (*b*) Non obstant can. 26. 27. XVI. q. VII., qui, siquidem genuini sunt, tantum probant, ius hoc non vbique statim receptum fuisse. (*c*) Nouell. LVII. cap. 2 CXXIII. cap 18. (*d*) Can. 30—38. XVI. q. VII. (*e*) Ab his differunt *aduocati* (tutores ac defensores) *ecclesiarum*, quales per se, et suo iure sunt principes; peculiari autem titulo alii, armis opibusque potentes quondam fuerunt. In

iure nostro *patroni* quandoque *aduocati* nominantur, vti in cap. 6. 24. *h. t.*, quandoque ab his distinguuntur, vti cap. 9. 23. *eod.* (*f*) Dubium nempe non est, quin pii fundatores conditiones quoque adiicere possint, deinceps seruandas, siquidem honestae, et auctoritate publica (§. 552.) comprobatae fuerint. Cap. 11. *de Praebend.* Cap. 23. *h. t.* Conc. Trid. XXV. cap. 5.

§. 604. Modus illud constituendi fundatio.

Legitimus, et nunc vnicus fere ius hoc, vbi antea nullum fuit, inducendi modus est ecclesiae, vel beneficii fundatio, eaque tum fundi donatione, tum aedificatione, tum dotis datione ita fieri potest (*a*), vt, si quis fundum dedit, alter aedes construxit, et tertius dotem attulit, omnes eodem patronatus iure in solidum fruantur (*b*). Qui ergo ius patronatus suum esse contra ecclesiam contendit, vel ipsam fundationem, ceu iustum illius titulum, vel possessionem immemorialem, quae eius tituli vim habet, probare tenetur, exceptis principibus, qui, quanquam, *vt tales*, ius hoc, vtpote a potestate ecclesiastica pendens (§. 563.), non habent (*c*), ex aliis tamen titulis illud habere possunt (*d*).

(*a*) Fundatio *ecclesiae* tria requirit, *fundum*, *aedes* et *dotem*, bona scilicet, queis ad aedes conseruandas alendumque sacrorum ministrum opus est; fundatio autem *beneficii* in ecclesia, iam instructa, sola dote ad alendum beneficiarium sumtumque ob eius functiones faciendum necessaria perficitur. Qui, fundatione semel perfecta, vel ecclesiam reparat, vel dotem auget, *beneficus* quidem, at non *patronus* dicitur. Aliud foret, si quis ecclesiam funditus destructam, vel dotem penitus amissam restitueret. (*b*)

Cap. 25. *h. t.* Conc. Trid. XIV. cap. 12. (*c*) *Das Patronatrecht*, ein von der Kirchengewalt verliehenes Recht, gebühret also dem Regenten, *als solchem*, allgemein, und nach Art eines Regals, nicht. Es kann ihm aber durch besondere Rechtstitel ganz oder zum Theil zustehen. I. L. Klvber Staatsrecht des Rheinbundes. §. 402. Conf. *Edict. constitut. Bad.* I. §. 13. 21. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1808. pag. 101. 102. (*d*) Conc. Trid. XXV. cap. 9.

§. 605. Quinam ius hoc habere possint.

Ius patronatus ob rationem, quam ad potestatem ecclesiasticam, et ad sacra habet, *mere profanum* quidem non est; omnibus tamen generaliter fundatoribus, siue clerici siue laici, siue mares siue feminae sint, ita concessum est, vt patrimonii eorum partem faceret, et ideo aliorum bonorum ac iurium instar in alios transferri posset (*a*).

(*a*) Can. 31. 36. XVI. q. VII. Cap. 3. *h. t.* Causae igitur, et quaestiones de iure patronatus eius generis sunt (§. 150.), vt in foro ciuili aeque ac ecclesiastico pertractari possint. Ex *iure communi* ad forum eccles. eae partinent cap. 3. *de Iudic.*; ius autem *patrium* foro ciuili, et quidem iudicio aulico prouinciali easdem attribuit. *Edict.* cit. §. 13.

§. 606. Quinam non.

Nullus quidem canon reperitur, qui a sacris nostris alienos, aut ipsos adeo *infideles* a iure patronatus diserte excluderet (*a*). At canones id ponunt, quo sumto consequens est, tum hos, tum illos eius iuris expertes fore. Ponunt nempe, ius istud ab ecclesiae rectoribus, benignitate quadam impellente, piis fun-

datoribus concessum esse, eamque concessionem gratiae et priuilegii rationem habere (*b*). Atqui *in generali concessione non veniunt ea*, *quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus* (*c*), et, *quod alicui gratiose conceditur*, *trahi non debet ab aliis in exemplum* (*d*). Non obstat, quod in Germania catholici in Protestantium, et hi in catholicorum beneficia ius patronatus habeant. Id enim praeter ius commune introductum est (*e*), neque ad religionis non receptae consortes, omnium minime ad Iudaeos produci potest.

(*a*) *Infideles* ab eo exclusos esse, ex Can. 26. 27. XVI. q. VII. vulgo quidem, sed prorsus inepte colligunt. (*b*) Id canones laudati aperte indicant, nec leges, quas *Iustinianus* ea de re dedit, diffitentur. Idem patronis opposuit Concil. Lateran. III. in Cap. 3. *h. t.* (*c*) Cap. 81. *de R. I.* in VI. (*d*) Cap. 74. *eod.* (*e*) I. P. O. Artic. V. §. 31.

§. 607. Eius species.

Est autem *ius patronatus* 1. vel *ecclesiasticum*, quod ad collegium eccles. aut clericum vi beneficii (*a*), vel *laicale*, quod ad alium pertinet; 2. vel *reale*, quod praedio, veluti accessorium, inhaeret, et ideo ad omnes eius possessores transit (*b*), vel *personale*, quod per se, et non ratione rei habetur (*c*), idque rursus in *gentilitium* et *hereditarium* distinguitur, prout vel iis tantum, qui sunt de certa familia, vel quibuscunque haeredibus deferri potest.

(*a*) Veluti cum ex bonis ecclesiae beneficium fundatum, aut ius patronatus a laico ecclesiae vel officio ecclesiastico concessum est. Cap. 3. *de Eccles. aedif.* Cap. vn. *h. t.* in VI. (*b*) Cap. 7. 13. *h. t.* (*c*) Tale

semper est, nisi conditio *realis* fundatione, consuetudine aut praescriptione introducta sit.

§. 608 Modi in alios illud transferendi.

Quod ad modos attinet, quibus ius patronatus, semel legitime constitutum, aliis tradi potest, hae regulae tenendae sunt: 1. Actus, quo iuri patronatus, tanquam merci, pretium statuitur, inhonestus, ipsoque iure irritus est, et eatenus ius istud nec vendere, permutare, nec alio contractu oneroso alienare licet (*a*). 2. Ius patronatus *personale* per successionem siue ex testamento, siue ab intestato ad heredes transit (*b*). 3. Qui quovis titulo plenum vel vtile dominium fundi, cui ius patronatus adhaeret, acquisiuit, hoc ipso eius iuris particeps redditur (*c*). 4. Patronus laicus ius suum *hereditarium*, et *reale* a fundo, cui inhaeret, separatim ecclesiae quidem, collegio aut officio eccles. libere, aliis non nisi cum consensu episcopi donare potest (*d*). 5. Praescriptio in transferendo iure patronatus eandem, quam in alio, vim habet (*e*).

(*a*) Cap. 16 *h. t.* (*b*) Cap. 3. *eod.* (*c*) Cap. 42. *de R. I.* in VI. Vnde illud in emphyteutam, vasallum, et maritum ratione fundi dotalis transit cap 13. *h. t*, non autem in creditorem, cui fundus oppignoratus est cap 18. *de sent. et re iud.*, nec in conductorem, nisi aliud ex pacti formula appareat cap. 7. *h. t.* (*d*) Cap. 8. 17. *eod.* Cap. vn. *eod.* in VI. (*e*) Hinc si praescriptio in patronum ecclesiasticum intenditur, quadragenaria opus est; si in laicum, ordinaria sufficit.

§. 609. Ius patronatus plenum, minus plenum.

Iura patronatus, ipsa lege constituta (*a*), sunt haec: 1. Ius *nominandi* ac *praesentandi*, quod est

longe praecipuum. 2. Honor *processionis*, seu praecedendi in supplicationibus publicis (*b*), cui ex consuetudine accessit honor sedis ac sepulturae in ecclesia, luctusque ecclesiastici. 3. Ius defendendi ecclesiam vel beneficium, eoque nomine eius diminutioni intercedendi, malos porro cum spiritualium, tum temporalium administratores ad episcopum deferendi (*c*). 4. Ius in egestate alimenta ex bonis ecclesiae petendi (*d*). Si iura haec coniunctim habentur, *ius patronatus plenum*, si quid eorum deest, aut penes alium praeter patronum est, *minus plenum* dicitur (*e*).

(*a*) Idcirco iura haec locum habent, etsi fundator ea speciatim sibi non reseruauerit, dummodo contrarium actum non sit. Cap. 41. *de Testib.* Excipe ius praesentandi praelatum, alioqui canonice eligendum, quod fundator, nisi expresse sibi reseruauerit, missum fecisse censetur. Cap. 51. *de Elect.* Cap. 25. *h. t.* (*b*) Cap. 25. cit. Lex *Badensis*, ea de re lata, (*Ephemer. regim. Bad.* an. 1808. pag. 101. seq.) et deinceps laudanda, §. 31. nulla honoris iura, patrono, *vt tali* debita agnoscit. (*c*) Can. 31. XVI. q. VII. Ex lege *Badensi* cit. §. 26. 30. lis, de iuribus beneficii mota, patrono denuntianda, isque, si fundus beneficiarius ab alio administratur, cum in constitutione administratoris, tum in reddendis rationibus audiendus, quin etiam ad *visitationem*, si suis sumtibus eidem interesse velit, inuitandus est. (*d*) Can. 30. XVI. q. VII. Cap. 25. *h. t.* Lege *Badensi* cit. §. 31. ius hoc sublatum est. (*e*) Exemplo est patronus nominandi, vel praesentandi iure, vel vtroque destitutus; item patronus ecclesiae, quae, quod capitulum et praelatum habeat, iure eligendi instructa est. Tunc enim, cessante praesentationis iure, reliqua tantum iura permanent.

§. 610. Vtriusque limites.

Sed in natura iuris patronatus nec iurisdictio ecclesiastica in ecclesiam vel beneficium, eiusue possessorem (*a*), nec vlla siue spiritualium, siue temporalium administratio (*b*) nec nouum onus imponendi, multoque minus bona quaedam retinendi, aliisue tribuendi potestas (*c*), nec censum annuum, nec pecunias siue nominationis aut praesentationis, siue datae possessionis obtentu exigendi ius inest, nisi, eiusmodi quid patrono deberi, ex formula fundationis, consuetudine aut praescriptione (§. 558.) probari possit (*d*).

(*a*) Can. 6. X. q. I. Cap. 12. in fin. *de Haeret.* (*b*) Conc. Trid. XXIV. cap. 3. XXV. cap. 9 (*c*) Cap. 30. *de Praebend.* Cap. vn. *vt eccles. benef. sine diminut.* Cap. 4. 23. *h. t.* (*d*) Consentit Lex *Badensis* §§. 14. 24. 25. 30. 31.

§. 611. Regulae in praesentatione seruandae.

Sicut prouisio generatim (§. 566.), ita quoque nominatio et praesentatio a patrono *canonice* facienda est. Qua speciatim huc pertinent, hisce positionibus complectimur (*a*). 1. Patronus filium quidem, non tamen se ipsum praesentare potest (*b*). 2. Penes patronum est, vnum, an plures simul praesentare velit (*c*). 3. Patrono laico quatuor, ecclesiastico sex menses ad praesentandum praefiniti sunt (*d*). 4. Ille variare, et intra praescriptum tempus alios aliosque praesentare potest; huic autem id non licet (*e*). 5. Inter plures, ab eodem patrono simul, aut a laico sensim praesentatos, collator, quem vult,

eligit (*f*). 6. Praesentatione indigni scienter (*g*), aut digni simoniace (§. 573.) facta (*h*), eaue intra tempus legitimum neglecta (*i*), prouisio ad eum, qui ius instituendi habet, deuoluitur (*k*); 7. Aliud est, si praesentatio sine culpa patroni vana et irrita (§. 582.) euasit.

(*a*) Leges *Badenses* eius rei expediendae modum ita constituunt: 1. Competitores beneficii, quod ditionis *Austriacae* nunquam fuit, litteras supplices, testimoniis, merita probantibus, munitas, vel ipsi patrono, vel, si beneficium patronatus regii est, regimini prouinciali exhibeant, collegio aulico, quod patroni vicem sustinet, transmittendas. Si beneficium ditionis Austriacae quondam fuit, competitores preces suas, ad patronum, vel principem directas, consistorio episcopali exhibent, quod dein omnes, qui idonei reperti sunt, patrono, vel collegio illi proponit. 3. Patronus priuatus nominationis, a se factae, approbationem regiam per regimen prouinciale expetat. 4. Praesentatio, secundum formulam praescriptam facta, praesentato tradenda, ab eoque intra triginta dies, ni iure suo excidere velit, curiae episcopali offerenda est, vt ea de institutione tum verbali tum reali decernat. 5. Verbis institutus intra sex hebdomades, a die, quo proclamatus est (§. 602.) computandas, sed non nisi octauo ab acceptis inuestiturae litteris finiendas, munus suum adire tenetur. *Epheremerid regim Bad.* an. 1808. pag. 101. seq. §. 7. 8. 9. 20. an. 1809. pag. 269. an. 1810. pag. 155. 309. an. 1811. pag. 77. (*b*) Cap. 15. 26. *h. t.* Ex lege *Badensi* §. 20—23. ad beneficium classis superioris (§. 549.) non praesentetur, nisi qui classis immediate inferioris beneficium habuit. (*c*) Non obstat cap. 24. *h. t.* (*d*) Cap. 3. 22. 27. *h. t.* Cap. vn. §. 1. *eod.* in VI. Ex lege *Badensi* §. 5. 6. quilibet sine discrimine patronus intra tres menses a die, quo vel consistorium episcopale, vel regimen prouinciale competitores eidem exhibuit,

praesentionem facere debet, eamque fecisse censetur, vt primum litteras praesentationis praesentato tradidit. (*e*) Cap. 5. 29. 31. *h. t.* Lex *Badensis* §. 16. praesentationem semel factam immutare, aliamue facere patrono non permittit, nisi praesentatus consentiat. (*f*) Cap. 24. *h t.* (*g*) Cap. 18. *de Elect.* in VI. Si praesentatus, tanquam non idoneus, vel a regimine prouinciali, vel posthac a consistorio episcopali reiicitur, lex *Badensis* §. 12. patrono concedit, alium intra mensem, eoque rursus reiecto, tertium intra alterum mensem praesentare; hoc autem repudiato, ius prouidendi ea vice deuoluitur. (*h*) Cap. 13. 34. *de Simon.* Praesentatione simoniace facta, eadem lex *Badensis* §. 15. praesentatum beneficio, et patronum per omnem vitam iure praesentandi priuat (*i*) Cap. 18. *de Elect.* in VI. (*k*) Cap. 15. *de Concess. praebend.*

§. 612. Ius praesentandi penes plures.

Si ius patronatus est penes *collegium*, praesentatio eo modo facienda est, quo alia collegii negotia expediuntur (§. 340.), ideoque *absolute* maiora praesentis collegii suffragia, quis praesentandus sit, definiunt (*a*); si penes plures, *vt singulos*, singuli etiam recte praesentant, isque, cui *respectiue* maiora suffragia fauent, instituendus erit; vbi autem *paria* sunt, collator, quem vult, instituet (*b*). Caeterum hac in re omnium vnius patroni heredum vnum tantum est suffragium (*c*).

(*a*) Cap. 6. *de his, quae fi. a prael.* (*b*) Cap. 3. *h. t.* Ex lege *Badensi*, §. 29. vbi plures patroni simul sunt, praesentatio ab vno tantum facienda, alternis scilicet vicibus, nisi ex pacto vel consuetudine certus inter eos sit, ad quem praesentatio pertineat. (*c*) Cap. 2. *eod.* in Clem.

§. 613. Vis litis, de eo motae.

Lite, de iure patronatus mota, bonae fidei possessor, qui nempe illud antea exercuit, merito praefertur, valetque institutio ad eius praesentationem facta, etsi de proprietate contendens causam obtinuerit (*a*). Si ipsa possessio litigiosa est, nec lis intra tempus, praesentationi praefixum, finiri potest, episcopus, aliusue iure instituendi praeditus personam idoneam beneficio ita praeficit (*b*), vt victor eam quidem repraesentare (*c*), non autem amotionem eius petere possit.

(*a*) Cap. 19. *h. t.* (*b*) Cap. 3. 22. 27. *eod.* (*c*) Cap. 12. *eod.* Ex lege *Badensi* §. 2. hac in specie prouisor tantum constituendus est, saluo victoris iure praesentandi.

§. 614. Iuris huius extinctio.

Ius patronatus penitus cessat, et extinguitur 1. interitu rei, cui infixum erat, aut beneficii, ad quod pertinebat; 2. renuntiatione expressa, vel tacita (*a*); 3. sententia iudicis, qua patronus delicti, priuationem inferentis, reus declaratur (*b*).

(*a*) *Tacita* cessio censetur, si beneficium, patrono patiente, nec ius suum reseruante, in praelaturam mutatum, aut per subiectionem vnitum, aut semel atque iterum libere collatum fuerit (*b*) Tale est occisio vel mutilatio clericorum ecclesiae patronatae, cap. 12. *de Poen.*, direptio bonorum ac prouentuum ecclesiae aut beneficii, venditio aliaue iuris patronatus alienatio prohibita. Conc. Trid. XXII. cap. 11, XXV. cap. 9.

CAPVT VII.

DE OBLIGATIONIBVS ET IVRIBVS EX BENEFICIO.

III. 4. De clericis non residentibus in ecclesia vel praebenda.
— 25. De Peculio clericorum.
— 26. De Testamentis et vltimis voluntatibus.
— 27. De successionibus ab intestato.

§. 615. Triplex huc spectat obligatio.

Beneficium datur propter officium. Qui igitur beneficio potiti sunt, non solum, quae suscepti muneris natura *ex se* postulat, curare et peragere, sed etiam, quae eius rei causa *speciatim* constituta sunt, obseruare tenentur. *Illa*, vbi de singulis officiis sermo erat, indicauimus; *haec* autem ad tria capita, publicam nempe fidei professionem, precum assiduitatem, et residendi in loco beneficii obligationem reuocari possunt.

§. 616. Fidei catholicae professio.

Et de publica quidem *fidei catholicae professione* cautum est, vt, 1. qui ad episcopatum electi aut nominati sunt, eam pro impetranda confirmatione summo pontifici exhibere, 2. qui canonicatus et dignitates in ecclesiis cathedralibus acceperunt, eam non solum coram episcopo, sed etiam in capitulo facere, et 3. qui quaecunque beneficia curata adepti sunt, intra duos menses a die adeptae possessionis eandem

coram episcopo edere teneantur, secus cum hi, tum illi *fructus non faciant suos*, *nec possessio* (§. 625.) *eis suffragetur* (*a*).

(*a*) Conc. Trid. XXIV. cap. 1. et 12.

§. 617. Breuiarii recitatio.

Horarum canonicarum solennitas (§. 516.) ad communem olim publici cultus diuini ordinem spectabat. Tum quidem clerici ad eas in suis ecclesiis quotidie agendas expressa lege obstricti erant (*a*), sicut in ecclesiis cathedralibus et collegiatis aliisque adhuc obtinet (*b*). Sed nullus reperitur canon, quo *priuata* horarum canonicarum recitatio clericis iniuncta esset. Interim notissima est consuetudo, vi cuius omnes, qui quocunque beneficio ecclesiastico fruuntur, omnes item, qui sacro ordine sunt initiati, quouis die horas canonicas ad normam *breuiarii Romani* recitare tenentur (*c*).

(*a*) Can. 9. Dist. XCII. L. 42. §. 10. Cod. *de Episcop. et cler.* (*b*) Cap. 9. *de Celebr. miss.* (*c*) Hanc obligationem *Constit. Synod. Constant.* P. II. Tit. 10. confirmant, addita tamen moderatione; *causas excusantes a recitandis horis canonicis cuique propria conscientia, et pius ac discretus confessarius dictabit.*

§. 618. Residentia assidua.

Sicut porro beneficiarii munus suum per se ipsos exequi, ita in loco beneficii perpetuo *residere* tenentur, nisi legitimam absentiae excusationem habeant (*a*). Hac autem tecti sunt, quibus vel ius ipsum, vel superior ex iusta causa abesse permittit, vel quos manifesta et

repentina necessitas abesse cogit. Qui ob alterutram causam absunt, perinde habentur, ac si residerent: vnde *residentia* in *veram* et *fictam* distingui solet.

(*a*) Can. 2. Dist. LXX Can. 36. Dist. V. *de Consecr.* Cap. 3. *de cler. non resid.* Cap. 13 *de Praebend.*

§. 619. Regulae, quibus astricta est.

Qua de re sic habeto: 1. Ius ipsum episcopis, item canonicis ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, aliisque earum beneficiariis per tres menses singulis annis alibi commorandi potestatem facit. 2. Cum hi, si longiori, tum parochi aliique curati, si aliquo tantum tempore abesse velint, superioris concessione opus habent (*a*), eaque curatis non, nisi ex graui causa, vltra bimestre danda est (*b*). 3. Contra ius legitimum absentes primum quidem fructuum, dein, si moniti non parent, beneficiorum priuatione mulctantur (*c*). 4. Qui, necessitate compulsi, vel diutius absunt, vel discesserunt, causam quam primum superiori exponant, oportet (*d*).

(*a*) Hanc per se habent duo illi canonici, quorum auxilio episcopus forte vtitur cap. 7. 15. *de cler. non resid.*; eandem facile impetrant canonici aliique non curati, qui in schola publica theologiae vel iuri canonico operam dant. Cap. 4. 12. *eod.* Cap. 5. *de Magistr.* (*b*) Ex consuetudine parochis aliisque curatis, etiam non petita venia, ad breuius tempus abesse licet, modo vicarium constituant, quandoquidem, *qui aliquantisper tantum absunt, non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt.* Conc. Trid. XXIII. cap. 1. (*c*) Cap. 10. 11. 17. *de cler. non resid.* Mo-

dum procedendi contra illos Conc. Trid. loc. cit. et XXIV. cap. 12. speciatim definiuit. (*d*) Omnia beneficia simplicia praeter canonicatus ex generali consuetudine residendi lege soluta esse, interpretes tradunt. Sed apud nos non dari beneficia eiusmodi plane simplicia, supra (§. 542.) monuimus.

§. 620. Residentia canonicorum laxata.

Interim ecclesiarum *cathedralium*, et *collegiatarum insignium canonici* legem residendi perfacilem sibi fecerunt. Praeterquam enim, quod *vicarii*, qui eorum loco psallerent, constituti (§. 520.), et *praebendae* ab obligatione residendi *liberae* introductae sunt, tempus porro residendi, vt tribus aut quatuor mensibus in anno absolui posset, decurtatum (*a*), distinctio insuper inter residentiam *simplicem*, seu *praecisam*, et *causatiuam* fructuum inuenta (*b*), denique opinio illata est, satis diligenter resedisse, qui vel vnam in die horam canonicam concinuisset.

(*a*) Idque tempus *statutarium* vocabant, ei, quod Conc. Trid. XXIV cap. 12. praescripserat, plane oppositum. (*b*) *Causatiuam* appellant, ad quam cogi non possunt, qui fructibus carere malunt.

§. 621. Distributionum apud illos ratio.

Cum igitur canonici isti in officiis diuinis valde infrequentes essent, prouentibus eorum *annuis*, seu *grossis* additae sunt *praesentiae*, seu *distributiones* cum *quotidianae* tum *anniuersariae*, vt hisce quasi praemiis ad illa frequentanda allicerentur (*a*). Fructus nempe *grossi* omnibus, cum *vere*, tum *ficte* residentibus communes sunt; de distributionibus autem ii solum participant,

qui vere resident, diuinisque officiis ipsi intersunt (*b*). Sed cum idem ius illis quoque datum sit, qui ob *euidentem ecclesiae vtilitatem* absunt (*c*); permulti alii *vtilitatis*, *statuti*, *consuetudinis* et *dispensationis* obtentu in distributionum partem venerunt (*d*).

(*a*) *Distributiones* has Conc. Trid. XXI. cap. 3. XXII. cap. 3 valde probauit, quin et praecepit, vt vbique introducerentur. (*b*) Cap. 7. *de cler. non resid.* Cap. 32. *de Praebend.* (*c*) Cap. vn. *de cler. non resid.* in VI. (*d*) Conc. Trid. XXII. cap. 3. XXIV. cap. 8. Conf. Cap. 30. §. Qui vero *de Praebend.*

§. 622. Beneficia incompatibilia.

Ob id praecipue, quod residendi obligatio in natura beneficii insit, plura vni personae dari beneficia, canones tantopere vetant (*a*), hoc vno excepto, quod ei, qui beneficium habet, congruam sustentationem non afferens, alterum concedi possit, modo alterutrum simplex et residendi lege solutum sit (*b*). Hinc eiusmodi beneficia *compatibilia*, duo quaeuis alia *incompatibilia* vocantur.

(*a*) Can. 1. 2. XXI. q. I. Cap. 3. *de cler. non resid.* Cap. 5. 13. 15. *de Praebend.* (*b*) Can. 2. Dist. LXX. Cap. 4. *de aetat. qual. et ord.* Conc. Trid. XXIV. cap. 17.

§. 623. Primi et secundi generis.

Duobus eiusmodi beneficiis per *subreptionem* obtentis, vel *ipso iure* vacat primum, quin et secundum, si quis vtrumque retinere attentat, vel alterutrum saltem dimittendum, vtrique autem insistens primo priuandus est. Illa *simpli-*

citer, seu *primi generis*, haec *secundum quid*, seu *secundi generis incompatibilia*, appellare solent interpretes (*a*). Verum, sicut omnia quondam posterioris generis erant (*b*), ita iure nouissimo omnia ad prius genus reuocata fuisse, verius est (*c*). Et demus licet, distinctionem istam adhuc in vsu versari, operae tamen pretium non est, accuratius exquirere, cuinam generi haec illaue beneficia subiecta sint, quandoquidem dispensatio vtrinque nodum expedit, quo caeteroquin sola fere canonicorum illorum capitula laborare consueuerant.

(*a*) Duo curata, duo item eiusdem functionis in eadem ecclesia *prioris*, duo simplicia, quorum vtrumque congruam praebet, *posterioris* generis esse, omnes consentiunt; de reliquis autem valde ambigue et confuse loquuntur, nec inter se conueniunt. (*b*) Cap 4. *de aetat. qual. et ord.* Cap. 7. 14 *de Praebend.* Tum vero INNOCENTIVS III. in Cap. 28. *eod.*, aliique posthac pontifices plura beneficia per adeptionem alterius *ipso iure* vacare, adeoque simpliciter incompatibilia esse, edixerunt. Cap. 1. *de Consuet.* in VI. Cap. 3. 6. *de Praebend.* in Clem. Cap. 4. *eod.* Extrau. com. (*c*) Conc. Trid. VII. cap. 4. XXIV. cap. 17. Secundum leges *Austriacas* duo beneficia curata, curatum et simplex, residentiam requirens, curatum et aliud officium, veluti rectoris seminarii aut professoris, ita incompatibilia sunt, vt, qui praefinito tempore alterum non dimisit, primo priuandus sit. *Constit.* 168. 222. Collect cit.

§. 624 Dispensationes hac in re papales.

Quanta nempe, et qualiscunque sit *incompatibilitas*, eius tamen tollendae potestatem summi pontifices sibi reseruarunt (*a*), a quibus

etiam episcopi, et capitula cum cathedralia, tum insigniora collegiata, eorumque canonici, in Germania praesertim, dispensationes tam frequenter impetrarunt, vt tanquam ius commune inualuisse viderentur (*b*).

(*a*) *Circa sublimes et litteratas personas, quae maioribus beneficiis sunt honorandae, cum ratio postulauerit, per sedem apostolicam poterit dispensari.* Cap. 28. *de Praebend.* Cap. 3. *de Offic. ordin.* in VI. (*b*) Ita saepe triplices episcopos, abbatiis ac praeposituris insuper ornatos, et quasi ex regula triplices canonicos, parochiis non nunquam donatos vidimus.

§. 625. Ius ex triennali possessione beneficii.

Cum vero canones certas *obligationes* beneficiariis imponunt, certa simul *iura* iisdem tribuunt. Huc primum pertinet, quod sola beneficii possessio, per tres annos quiete continuata, etsi forte in prouisione vitium aliquod admissum esset, eam praescriptionis iure vim habeat, vt possessor, comperto licet vitio, solicitari amplius nulla ratione queat, si modo beneficii obtinendi capax fuerit, nec simoniam in adeptione commiserit, nec possessionem eius iniuste (§. 602.) occupauerit. Atque hoc ius ex *regula cancellariae* (§. 234.) *de triennali possessore* receptum est.

§. 626. Ius in fundum beneficiarium.

Alia dein iura vel *spiritualia* vel *temporalia* beneficii attingunt. *Illa* quae sint, vbi de singulis officiis ecclesiasticis actum est, commemorauimus. Quod ad *haec* attinet, inter *fun-*

dum beneficii, et *fructus*, ex eo prouenientes, distinguendum est. Illius non tantum *vsumfructum* (*a*), sed, vti in *feudo* contingit, *dominium vtile* beneficiarii, ea conditione habent, vt nihil alienent, et, si quid in melius mutatum est, integrum successori relinquant (*b*).

(*a*) Arg. Cap. 5. *de Pecul. cler.* (*b*) Cap. 2. *de Donat.*

§. 627. Peculium clericorum.

Quidquid siue beneficiarii, siue alii clerici habent ac possident, *peculium clericorum* interpretes appellant (*a*), eoque triplicis generis bona comprehendunt, *beneficialia* scilicet, iure beneficii percepta, *clericalia*, ob sacras, non tamen beneficio proprias functiones praebita, et *patrimonialia*, nec beneficii, nec clericatus titulo possessa. Beneficialia et clericalia rursus in *necessaria* ad honestam sustentationem, *superflua* et *parsimonialia* scrupulose distinguunt. Tum vero non pauci vehementer contendunt, clericos bonorum beneficialium et clericalium *dispensatores* tantum, nequaquam *dominos* esse.

(*a*) L. 16. pr. *ad Sct. Trebell.* Cap. 2. *de Success. ab intest.*

§. 628. Dominium olim valde circumscriptum.

At vero ius illud, quo beneficiarii ratione fundi, ipsis assignati, gaudent, siue *vsumfructum*, siue *dominium vtile* appellaueris, ita certe comparatum est, vt omnes fructus *suos faciant*, *verumque* eorum *dominium* acquirant (*a*), olim quidem valde circumscriptum. Nam 1. bona beneficialia, quae mortis tempore habebant,

ecclesiae, cui ministrarunt, relinquere tenebantur, ademta de iis testandi facultate (*b*); 2. eidem legi obnoxiae erant res, prouentuum beneficialium impendio comparatae (*c*); 3. bona quoque eorum patrimonialia, nisi heredes iis fecissent, ecclesiae addicebantur (*d*).

(*a*) *Proprietas* et *dominium* beneficiariis diserte attribuitur in Cap. VII. *de cler. non resid.* in VI. Conc. Trid. XXIII. cap. 1. XXIV. cap. 12.; nullus autem canon reperitur, qui illud iis abiudicaret. (*b*) Can. 2. 3. 5. 6. XII. q. V. Cap. 1. 7. 8. 9. 12. *de Testam.* (*c*) Can. 3. XII. q. IV. Cap. 1 — 4. *de Pecul. cler.* (*d*) Can. 2. XII. q. III. Can. 7. XII. q. V. Cap. 1. *de Success. ab intest.*

§. 629. Nunc libera testandi facultate firmatum.

Sed ex antiquissima consuetudine, scriptis legibus vbique firmata, beneficiarii aliique clerici de omnibus sine discrimine bonis suis libere testari possunt (*a*), iisque intestato mortuis, legitimi heredes in eorum bona succedunt (*b*). Ex eadem consuetudine probata, decedente beneficiario, fructus annui cum percepti, tum nondum percepti computantur, et pro rata temporis, quo defunctus beneficio praefuit, hereditati adduntur. Deficiente omni herede ius commune hereditatem ecclesiae, cui quis adscriptus erat, attribuit (*c*).

(*a*) Non tantum Constitut. Synod. Constantiens. P. II. Tit. 24., sed patriae etiam leges hanc potestatem iis dudum fecerunt. (*b*) Secundum leges *Austriacas* intestatorum hereditas in tres partes diuidenda est, quarum vna ecclesiae, cui defunctus inseruit, altera legitimis heredibus, tertia pauperibus

tribuitur. Quodsi defunctus nullum beneficium habuit, legitimi heredes duas tertias, vnam vero pauperes capiunt. Illi, si inopes sunt, pauperum quoque portionem facile impetrant. Constit. 132. 133. in Collect. cit. (c) L. 20. Cod. *de Episcop. et cler.* Can. 7. XII. q. V. Sed leges *Austriacae*, (18. Iul. 1772.) vbi heredes legitimi non sunt, portionem, iis alioqui debitam, fisco adscribunt. Iisdem legibus (16 Iul. 1785.) consuetudo, qua decani rurales aliquid ex hereditate praecipiebant, sublata est.

§. 630. Scrupuli quos iniiciunt.

Hanc clericorum *ad causas* etiam *profanas* testandi, suaque bona ad heredes transferendi facultatem, siue consuetudine, siue legibus nixam, in *foro* quidem *externo* tolerari, pro *interno* autem minime probari posse, seueriores iuris nostri interpretes propterea valde affirmant, quod clerici, dato licet bonorum beneficialium et clericalium dominio, superflua, quin et parsimonialia bona cum ex officii clericalis natura (*a*), tum fundatorum intentione (*b*), tum ex mente ecclesiae (c) in causas pias impendere teneantur (*d*).

(*a*) *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. X. 8. (*b*) *Res ecclesiae esse vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum.* Can. 59. XVI. q. I. (*c*) Conc. Trid. XXV. cap. 1. (*d*) Inde colligunt, obligationem hanc non ex solo praecepto ecclesiae, sed ex virtute iustitiae, naturalique lege prouenire, secus igitur facientes restitutionis oneri obnoxios esse.

§. 631. Eorum solutio.

At vero 1. munus clericale, etsi mercenarium non sit, stipendium tamen, honorarium, eoque sensu mercedem minime respuit (*a*). 2.

Quaecunque sit, fueritue fundatorum intentio, ea cum ecclesiasticae, tum ciuili potestati haud dubie subiecta est. Sed vtraque liberam omnino testandi facultatem clericis dari iussit (*b*). 3. Eandem ecclesjae mentem esse, communis atque notissima consuetudo aperte declarat. Adde, quod rigidi illi interpretes sibi parum constent. Cum enim, concesso *ad causas pias* testandi iure, quid *piarum causarum* nomine hic veniat, exponunt, eo rem deducunt, vt in quamuis causam tributio, modo honesta sit, hoc nomine intelligi possit. Quo sumto sublata vtique est peculiaris illa obligatio, quam paullo ante clericis imposuerant.

(*a*) *Dignus est operarius mercede sua.* Matth. X. 10. *Quis militat suis stipendiis vnquam?* I. Cor IX. 7. 11. (*b*) *Lex est omnium humanarum rerum regina.* L. 2. *de Legib.*

CAPVT VIII.

DE RENVNTIATIONE ET TRANSLATIONE.

I. 7. De Translatione episcoporum.
— 9. De Renuntiatione.
III. 6. De clerico aegrotante vel debilitato.

§. 632. Priuatio, Renuntiatio beneficii.

Beneficium legitime possessum vel inuito aufertur, vel a volente dimittitur. *Illud* per *priuationem* contingit; *hoc* per *renuntiationem.* Pri-

uatio autem vel *ipso iure* efficitur, vel per *iudicis sententiam* (§. 498.) infertur.

§. 633. Beneficiario inhabili coadiutor dandus.

Iusta priuationis causa non est, si beneficiarius ob senium, morbum aliamue causam ad officium suum obeundum prorsus licet, et in perpetuum, quin et sua licet culpa inhabilis fiat (*a*). Non enim afflicto addenda est afflictio (*b*), nec priuare quemquam suo iure fas est, lege in culpa, forte admissa, conniuente. Tunc ergo *coadiutor* seu *vicarius* vel ab ipso beneficiario assumendus, vel, eo tergiuersante, ab episcopo constituendus est. Huic porro episcopus partem fructuum assignare, vel aliter de vitae subsidiis prouidere potest (*c*).

(*a*) Cap. 1. *de cler. aegrot.* (*b*) Cap. 5. *eod.* (*c*) Cap. 3. 4. 6. *de cler. aegrot.* Conc. Trid. XXI. cap. 6. Leges *Austriacae* eiusmodi vicario dimidiam prouentuum partem assignant, vt tamen portio congrua beneficiario semper salua maneat. Si, hac deducta, residuum ad stipendium vicario debitum non sufficit, illud ex *fundo religionis* supplendum est. *Constitut* 176. Collect. cit.

§. 634. Priuationis causa delictum.

Priuatio beneficii igitur non nisi ob delictum locum habet (*a*). Plura quidem delicta sunt, queis canones *depositionem*, seu amotionem ab officio et beneficio intentant. Quod autem interpretes iuris canonici testantur, omnes fere poenas, canonibus definitas, vsu et consuetudine in *arbitrarias* abiisse, de hac quoque priuationis poena intelligendum, ideoque gene-

raliter hic tenendum est, beneficiarios, *turpiter* et *scandalose viuentes*, si moniti, et castigati non resipiscant, beneficiis priuandos esse (*b*).

(*a*) Can. 38. XVI. q. VII. (*b*) Conc. Trid. XXI. cap. 6. Leges *Austriacae* clericos, qui se ipsos ad curam animarum inhabiles nequiter reddiderunt, beneficiis priuant, eosque episcopo in disciplinam tradi iubent, alendi obligatione iis iniuncta, qui titulum mensae praebuerunt. *Constit.* 164. 165. 167. Collect. cit.

§. 635. Renuntiatio expressa vel tacita.

Renuntiatio, seu spontanea beneficii collati abdicatio, vel *expressa* est, vel *tacita*, prout vel verbis fit, vel ex facto, cui voluntatem renuntiandi ius indidit, colligitur, veluti si beneficiarius 1. matrimonium (§. 414.) init, 2. professione religiosa (§. 550.) se constringit, 3. alterius beneficii incompatibilis (§. 623.) possessionem capit, 4. aliam religionem (§. 250.) amplexus est.

§. 636. Illa vel pura, vel sub conditione.

Renuntiatio *expressa* in *puram* et *sub conditione* factam distinguitur. *Illa* est, cum quis beneficium suum liberae dispositioni collatoris simpliciter relinquit. *Haec* autem fieri solet 1. *cum reseruatione pensionis* annuae, aut partis fructuum, 2. *permutationis causa*, vt alterius, pariter renuntiantis, beneficium alteri detur; 3. *in fauorem tertii*, vt beneficium dimissum certae personae conferatur, 4. saluo vel *accessu*, vel *ingressu*, vel *regressu*, vt nempe renuntians, prout beneficium vel *oblatum* tantum, vel *collatum*, vel etiam *possessum* erat, illud, cum vacauerit,

suo iure vel petere, vel adire, vel recuperare queat.

§. 637. Renuntiatio expressa quomodo facienda.

Expressa renuntiatio quocunque modo fiat, voluntarie, et saluo iure tertii, nec non ex iusta causa, a superiore ecclesiastico probanda, fiat, necesse est. Hinc 1. renuntiatio vi et metu extorta (*a*), aut dolo et fraude elicita (*b*), inualida est. 2. Beneficio, iuri patronatus, vel electioni obnoxio ex causa permutationis, siue in fauorem tertii renuntiare non licet sine consensu patroni vel capituli (*c*). 3. Causae, ob quas episcopi cedere possint, iure quidem definitae sunt (*d*); sed praeter has et aliae, et in minoribus beneficiis leuiores nunc sufficiunt. 4. Qui suo iudicio et arbitratu beneficium derelinquit, eodem, ni monitus redeat, priuandus (*e*), altero certe, quod forte occupauit, deiiciendus est (*f*).

(*a*) Cap. 5. *de Renunt.* Cap. 3. 4. *de his, quae vi* etc. (*b*) Cap. 6. *eod.* L. 7. §. 7. *de Pact.* (*c*) Can. 32. XVI. q. VII. Cap. 8. *de Iur. patron.* (*d*) Cap. 10. *de Renunt.* (*e*) Can. 19. 23. 24. VII. q. I. Can 2. XXI. q. II. (*f*) Can. 31. 32. VII. q. I. Cap. 3. *de Translat.* Cap. 7. *de Rev. permut.*

§. 638. Quinam superior eius causa adeundus.

Renuntiare igitur volentes illius superioris consensu opus habent, cuius iurisdictioni beneficium proxime subiectum est (*a*). Quapropter 1. cum episcopi, tum alii praelati *exemti* a summo pontifice cedendi veniam expetere tenentur (*b*). 2. Eiusdem auctoritate episcopi

non exemti propterea indigent, quod spiritualis coniugii vinculum (§. 591.) dissoluendi ius eidem speciatim reseruatum sit (c). 3. Caeteri causam et preces suas episcopo, eiue, qui iurisdictione quasi episcopali praeditus est, exhibeant (d).

(a) Summus pontifex, eoquod superiorem non habere videatur, libere, et nemine rogato pontificatum abdicare potest. Cap. *de Renunt.* in VI. (b) Cap. 7. *de Consuetud.* Cap. 15. *de Renunt.* (c) Cap. 1. 9. *eod.* Cap. 2. 4. *de Translat. episcop.* (d) Cap. 4. *de Renunt.*

§. 639. Episcopi ea in re potestas.

De *episcopali* autem hac in re potestate annotamus: 1 Episopi renuntiationes cum *puras*, tum sub conditione siue *ex causa permutationis* (a), siue *cum reseruatione pensionis* (b) factas, suo iure approbare possunt. 2. *Renuntiationes in fauorem tertii*, in canonicorum capitulis tantum vsitatas, admittendi ius ex consuetudine penes summum pontificem erat (c). 3. Renuntiationes *saluo accessu*, *ingressu* vel *regressu* penitus proscriptae sunt (d).

(a) Cap. vn. *de Rer. permut.* in VI. Cap. vn. *eod.* in Clem. Opimum beneficium cum tenui ea lege permutare non licet, vt prouentus ampliores pecunia compensentur. Cap. 5. *de Rer. permut.*, cui cap. 6. *eod.* non obstare videtur. Attamen episcopus pinguius beneficium dimittenti pensionem ex eo constituere, alterique imponere potest. (b) Cap. 5. *de Transact.* Cap 21 et 30. in fin. *de Praebend.* Sed leges *Austriacae* renuntiationes cum reseruatione pensionis plane interdicunt, eoquod beneficiarii emeriti et plane inhabiles congruam sustentationem ex fundo religio-

nis accipiant. *Constit.* 163. Collect. cit. (c) Hae quoque renuntiationes legibus *Austriacis* prorsus eliminatae sunt. *Constit.* 149. 150 Collect. cit. Cessant igitur regulae cancellariae *de viginti*, et *de publicandis resignationibus.* (d) Conc. Trid. XXV. cap. 7.

§. 640. Translatio vel collationis vel priuationis sequela est.

Translatio est actus, quo quis a beneficio suo auocatur, et alteri eius iussu praeficitur, cuius potestati vtrumque subiectum est (a). Qua de re annotamus: 1. Ius episcopos aliosque praelatos exemtos transferendi summo pontifici quidem reseruatum est (b); sed non nisi eorum, qui eligendi vel nominandi ius habent, consensu exerceri potest. 2. Ad translationem non quidem patroni beneficii dimittendi, omnino autem patroni beneficii accipiendi consensio requiritur, 3. Translatio volentis atque consentientis nihil aliud est, quam noui beneficii collatio 4. Translationem inuiti, quam *translocationem* vocant (c), priuationem rectius, quam collationem beneficii dixeris. 5. Sine causa iuris nostri interpretes translationem, tanquam peculiarem beneficia, nominatim praelaturas consequendi modum proponunt.

(a) Si beneficium dimittendum huius, et adeundum alterius iurisdictioni obnoxium est, renuntiatio quidem eiusque admissio ex vna, et collatio ex altera parte, non autem *translatio* habetur. (b) Cap. 1. 2. *de Translat. episcop.* (c) Veluti cum quis ob delictum ad aliud beneficium ablegatur, adigiturue, vt permutationem faciat. Can. 9. Dist. LXXXI. Cap. 5. *de Rer. permut.*

IVRIS ECCL. CATHOLIC.

PARS V.

DE REBVS ECCLESIASTICIS.

SECTIO I.

DE REBVS ECCLESIASTICIS SPIRITVALIBVS, SPECIATIM DE SACRAMENTIS.

CAPVT I.

DE REBVS ECCLES. GENERATIM.

§ 641. Rerum eccles duo genera.

R*es ecclesiastica* sensu latissimo est, quidquid a personis et iudiciis distinctum, et ad consequendum ecclesiae finem (§. 26.) comparatum est. Hoc sensu duo sunt summa rerum ecclesiasticarum genera, videlicet. 1. *Ritus* et *actus sacri*, ceu partes cultus diuini externi. 2. *Res*, proprie sic dictae, *pecuniarum* scilicet nomine comprehensae (*a*), ceu partes illas rite curandi exequendique subsidia et instrumenta.

(*a*) L. 222. *de V. S.*

§. 642. Ritus et actus sacri.

Ritus et *actus sacri* triplicis sunt generis,

videlicet 1. diuinitus instituti, vt *Sacramenta*; 2. auctoritate ecclesiastica praescripti, veluti *cerimoniae* et *functiones sacrae* praeter sacramenta; 3. voluntarie suscepti, eoque *votum* et *iusiurandum* pertinent.

§. 643. Res spirituales et temporales.

Ritus et actus sacri, quia ex se ad solam animarum salutem tendunt, *res spirituales*, res autem ecclesiasticae, proprie sic dictae, cum sua natura ad huius vitae vsus aptae sint, *res temporales* appellantur. *Illae* nullam aestimationem recipiunt, ideoque commercio humano prorsus exemtae sunt (*a*); *hae* contra praetium habent, et commercio humano non penitus exemtae sunt (*b*).

(*a*) Can. 99. 100. I. q. I. Cap. 9. *de Simon.* (*b*) Can. 13. 14. 70. XII. q. II.

§. 644. Corporales et incorporales.

Sicut res per se a personis distinctae sunt, ita et iura, quae personis tribuuntur, vt res, a personis distinctas, animo complectimur. Hinc res ipsae, quod in sensus externos incurrant, et quasi tangi possint, *corporales*, iura autem, quod non sensu, sed intellectu percipiantur, *res incorporales* vocantur (*a*).

(*a*) §. 1. 2. Inst. *de reb. corp. et incorp.*

§. 645. Iura spiritualia et temporalia.

Iura pro rerum ratione vel *spiritualia* sunt, quae in rebus spiritualibus versantur (*a*), vel *temporalia*, quae ad res temporales pertinent.

Ius temporale, quod a spirituali, tanquam effectus a causa, pendet, *ius spirituali annexum* vocatur (*b*).

(*a*) Hoc genere omnia *ordinis* seu sacri ministerii (§. 33.), et *iurisdictionis* ecclesiasticae iura (§. 34.) continentur. (*b*) Sic beneficium ecclesiasticum ab officio spirituali pendet. cap. 15 *de Rescript.* in VI. *Ius patronatus* spirituali quidem annexum dicitur in cap. 3. *de Iudic.* et cap. 16. *de Iur. patron.*; re ipsa autem hoc ius, vti et *ius eligendi* aut *nominandi* praelatum, ex se *spirituale* est, vtpote pars iuris officia et beneficia ecclesiastica conferendi.

CAPVT II.
DE LITVRGIA GENERATIM.

§. 646 Liturgiae partes.

Liturgia, seu *Officium diuinum* sensu latiori, est definitus cultum diuinum *externum* communiter obeundi modus (§. 24.). Huc igitur pertinent omnes actus et ritus, orationes et preces, quibus ecclesia ad excitandum vtique, firmandum augendumque cultum Dei *internum* vtitur (§. 26.). Vnde etiam patescit, ius constituendi atque curandi liturgiam potestatis ecclesiasticae (§. 34.) partem esse longe praecipuam (*a*).

(*a*) Alioqui *liturgiae* nomine diuinum modo sacrificium, tanquam pars illius praecipua, intelligitur, et Graeci adhuc *liturgiam* vocant, quam nos *missam* appellamus.

§. 647. Liturgia res maximi momenti.

Liturgiae praecepta ad religionis *accidentalia*

quidem pertinent; arctissima tamen eorum cum *essentialibus* est connexio. Liturgiae enim subsidio fidei morumque dogmata traduntur, sacramenta ministrantur, ipsaque religionis substantia sustinetur. Liturgia, vt in actibus et ritibus *tacitam*, ita in orationibus et precibus *expressam* fidei professionem exhibet. Atqui hanc vnam atque constantem esse oportet (§. 28.). Maximi igitur momenti est, vt, quoad eius fieri potest, vna quoque ac constans liturgia habeatur.

§. 648. Eius seruandae causa libri sacrorum rituum confecti.

Hinc conciliorum summorumque pontificum decreta, vt episcopi dioecesani, iisque subiecti ecclesiarum rectores eundem in officio diuino ac ecclesia metropolitana ordinem obseruent (*a*); omnes autem ad principalem, Romanam nempe, ecclesiam se conformare studeant (*b*) Hinc concilium Tridentinum stabiliendae liturgiae causa summorum pontificum auctoritatem appellauit (c), quorum cura dein varii pro functionum varietate sacrorum rituum libri recogniti, emendati, vtque ab omnibus sacrorum ministris sancte obseruentur, promulgati sunt (*d*).

(*a*) Can. 13. 14. Dist. XII. Can. 31. Dist. I. et Can. 31. Dist. II. *de consecrat.* (*b*) Can. 11. Dist. XI. (*c*) Sess. XXV. *de Indice librorum etc.* (*d*) Ita Pivs V. ad restituendam sacrorum rituum obseruationem in sanctissimo missae sacrificio, vtque ecclesia catholica in fidei vnitate vnum psallendi et orandi ordinem teneret, *Missale* et *Breuiarium Romanum*

edidit; tum CLEMENS VIII. de functionibus ordinis episcopalis restitutum *Pontificale Romanum* et *Ceremoniale episcoporum* publice proposuit; denique PAVLVS V. in eorum, qui curam animarum gerunt, vsus *Rituale Romanum* promulgauit.

§. 649. Lingua Latina et Graeca liturgiae consecrata.

Equidem aliam in multis liturgiam, salua fidei vnitate, ecclesia Graeca seruat (*a*), et in Latina plures sunt ecclesiae, quae proprios quosdam ritus habent (*b*). Attamen in plerisque ac praecipuis capitibus, vti Graecae, ita et Latinae ecclesiae liturgia consona est, atque communis. Et huius praesertim consensionis ac communionis causa vtraque ecclesia liturgiam non vulgari, et, quam plebs vernaculam habet, sed, quae inde a religionis Christianae exordio rebus diuinis consecrata est, Graeca nimirum vel Latina lingua celebrare consueuit (*c*).

(*a*) Cap. 11. *de Tempor. ordinat.* Cap. 14. *de offic. iud. ord.* (*b*) Can. 3. 10. dist. XII. (*c*) Conc. Trid. XXII. cap. 8. et can. 9. *de sacrif. miss.* vulgari lingua missam celebrare vetat, eosque damnat, qui, lingua tantum vulgari eam celebrandam esse, contendunt. Eandem de aliis liturgiae partibus ecclesiae nostrae mentem esse, libri liturgici, vtpote lingua Latina conscripti, lucide demonstrant.

§. 650. Linguae Latinae apud nos vsus omnino retinendus.

Vtramque autem linguam in sacris retinendi iustas magnasque rationes habemus. Vtraque iam stabilis, fixa atque perpetua est; linguae contra vernaculae, siue ipsas voces, siue earum significationem vsumque loquendi spec-

tas, continuis mutationibus obnoxiae sunt. Orationes igitur, ac preces liturgicas, cum fidei dogmatis tam arcte coniunctas, linguarum vulgarium vicissitudinibus subiicere, minime consultum videri potest. Accedit, quod, seruato vtriusque linguae in sacris vsu, ecclesiae catholicae in rebus fidei consensio ex sacrorum rituum libris facile cognosci et probari possit; id quod vero summae difficultatis esset, si quaeuis natio sua in sacris faciendis et ministrandis lingua vteretur. Huius autem consensionis cognitio et probatio toties maxime necessaria est, quoties de dogmate catholico quaestio, aut controuersia incidit (§.§. 74. 104.). Persuasissimum igitur nobis est, liturgiam, stabili et fixa, atque communi omnibus lingua astrictam, aptissimum religionis catholicae vnitatem tum conseruandi, tum probandi subsidium esse.

§. 651. Vti semper et vbique retentus est.

Nihilominus multi nunc liturgiam patrio sermone celebrari peroptant, et parum abest, quin linguae, quam populus non intelligit, vsum penitus condemnent. Apostolos, aiunt, aliosque nascentis ecclesiae ministros non peregrina, sed vulgari lingua in sacris ministrandis vsos esse. Ita quidem apostoli eorumque discipuli euangelium praedicarunt, precesque ad Deum cum populo fecerunt, vti sacerdotes nostri adhuc faciunt; sed alia sacra, etsi iam primis illis temporibus diuersarum linguarum populi in Graecas et Latinas ecclesias conuenerint, non

alia, quam Graeca aut Latina lingua illis ministrata sunt. Cum dein vtraque lingua vulgaris esse plane desiit, non tamen visum est, linguas vulgares in liturgia adhibere (*a*). Denique non quaeritur, quid factum aliquando sit, fieriue possit; sed quid nunc expediat.

(*a*) Idem nec aliis ad Orientem populis Christianis, ab ecclesia catholica licet alienis, visum est, qui omnes, vt rerum harum periti testantur, suis quidem, sed ab iis, quas nunc vernaculas habent, diuersis, et eruditis tantum notis linguis sacra faciunt. Vid. Martin. Gerbert Princip. theol. liturg. §. 31.

§. 652. Et nulla ratio contrarium suadet.

Frustra regerunt, eam liturgiae rationem esse, eo illam collineare, vt populus in rebus diuinis erudiatur, vt pietas erga Deum adiuuetur foueaturque; huic autem fini linguam peregrinam, ipso Apostolo grauiter monente (*a*), haud respondere, ideoque rectius Protestantes vernaculam adoptasse. Etenim populi institutioni, de qua Apostolus loquitur, satis prouisum est per *catecheses* et sacras *conciones*, per *catechismos*, aliosque eius generis tum breuiores, tum pleniores commentarios, queis fidei catholicae dogmata, ritus et cerimoniae sacrae lingua vulgari populo ita exponuntur (*b*), vt is, quod sacerdos peragit, et ex sacrorum rituum libris recitat, satis intelligere, et precibus piisque animi affectionibus prosequi possit (*c*); ipsas autem preces et lectiones, psalmos et hymnos vt populus intelligat, nec necesse est, immo nec effici potest (*d*); plurimum vero com-

munionis reique catholicae interest, vt statae illae solennesque orationes ac preces, ceu statae solennesque fidei catholicae testes, stata quoque, ac perenni lingua custodiantur. Quo facilius ergo liturgia nostra sermone vulgari carere potest, eo magis linguae Latinae vsum, cum summa vtilitate coniunctum, retinere oportet. Alia longe hac in re Protestantium est causa, vtpote qui nec *vniuersalem*, nec eo, quo nos profitemur, sensu *vnam* ecclesiam habent (§. 111.), lingua igitur omnibus illorum ecclesiis communi non indigent.

(*a*) I. Cor. XIV. 7—23. (*b*) Conc. Trid. XXIV. cap. 7. (*c*) Nec desunt preces et cantiones, stilo patrio compositae, quae ab vniuerso populo in ecclesiis funduntur. (*d*) Fac missam aliaue sacra patrio sermone celebrari, putasne populum praesentem auditurum et intellecturum esse verba legentis? Fac *vesperas*, aliasque *officii diuini* partes germanice, an populus intelliget psalmos et hymnos, versusque liturgicos, praesertim cum cantantur, et instrumenta musica adhibentur?

§. 653. Episcoporum in re liturgica partes.

Ad haec sequentes positiones addimus: 1. Recte omnino episcopi ritus superstitiosos, indecoros, ad praua inducentes, sicubi irrepserint, tollunt, et, ne quid eiusmodi inuehatur, cauent. 2. Suo item iure episcopi ritus, cuique dioecesi peculiares, pro locorum ac temporum ratione moderantur. 3. Quod autem ad linguam, easque liturgiae partes attinet, quae totius ecclesiae assensu probatae, et vsquequaque vsu receptae sunt, eas immutandi, aut

abrogandi (§. 311.) potestatem singuli episcopi non habent (*a*).

(*a*) Ea de re PAVLVS V. in *praefat. ad Ritual. Rom.* omnes, ad quos spectat, praeclare admonuit, *vt constituto rituali in sacris functionibus vtantur, et in re tanti momenti, quae catholica ecclesia, et ab ea probatus vsus antiquitatis statuit, inuiolate obseruent.*

§. 654. Principum circa eandem iura.

Principum circa liturgiam officia et *iura* generatim sunt haec. 1. Ex *iure aduocatiae* (§. 133.) regimen ecclesiasticum in constituenda, et celebranda liturgia, in eadem corrigenda et restituenda adiuuant, legibusque tuentur (*a*). 2. Ex *iure inspectionis secularis* (§. 144.) eiusmodi instituta liturgica impediunt, quae rationibus ciuitatis aduersantur, et sine maiori ecclesiae damno impediri possunt (*b*).

(*a*) Hac ratione legibus *Austriacis*, adhibito episcoporum iudicio et consensu, ordo officii diuini, in ecclesiis parochialibus, festis praesertim diebus seruandus, praescriptus est, additis hymnis, ad sacrificium missae a populo canendis, litaniis porro, ac precibus, ad sacra vespertina recitandis; 2. praeter supplicationes, seu *processiones*, die sanctissimo corpori Christi sacro, die item S Marci, et diebus rogationum, ex antiquo ritu instituendas, eae tantum permissae sunt, quas episcopus, adhibito regiminis prouincialis consensu, probauerit; 3. in hebdomade sancta praeter ritus ecclesiae Romanae alii non adhibeantur. *Constit.* 212. 213. 227. 235. §. 2. in Collect. cit. (*b*) *Ex hoc iure descendit tantum* ius negatiuum, *seu ius impediendi et cauendi, ne reipublicae per instituta liturgiae noceatur, non vero* ius positiuum, *seu constituendi liturgiam.* G. L. BOEHMER. Princ. iur. can. §. 279.

CAPVT III.
DE SACRAMENTIS GENERATIM.

§. 655. Notio Sacramenti.

Sacramentum apud profanos scriptores *iusiurandum* (*a*), in sacris litteris *mysterium* seu *rem arcanam* (*b*), apud scriptores ecclesiasticos persaepe sensu quodam latiori quoduis *rei sacrae signum* denotat. Hoc autem loco (§. 19) *sacramentum* est cerimonia ab ipso Christo, vel ab apostolis iussu diuino instituta, quae gratiae diuinae tum significandae, tum efficiendae vim habet.

(*a*) L. 8. Cod. *de legat.* L. 4. Cod. *de veteran.*
(*b*) Ephes. I. 9. I. Tim. III. 16.

§. 656. Sacramenta septem.

Ecclesia catholica latina et graeca, non solum vnita, sed etiam non vnita (§. 113.), *septem* agnoscit, colitque *sacramenta*, scilicet *baptismum*, *confirmationem*, *eucharistiam*, *poenitentiam*, *extremam vnctionem*, *ordinem*, et *matrimonium*, *per quae omnis vera iustitia vel incipit*, *vel coepta augetur*, *vel amissa reparatur* (*a*).

(*a*) Conc. Trid. VII. pr. et can. 1. seq. *de sacram. in genere.*

§. 657. Partes eorum essentiales et accidentales.

Cuiusque sacramenti *partes essentiales* sunt 1. *elementum*, *materia*, id est, res seu actio sensibus subiecta; 2. *verbum*, *forma*, certa nempe

verborum formula, actionem sacramentalem exprimens (*a*); 3. *minister*, formam ad materiam adhibens, cum intentione id saltem faciendi, quod facit ecclesia (*b*). Omnes alii ritus, ad honestam ac decentem administrationem sacramentorum praescripti, in *accidentalium* numero habendi sunt.

(*a*) Cap. 5. *de Baptis.* (*b*) Conc. Trid. *loc. cit.* can. 11.

§. 658. Communis omnium sacramentorum effectus.

Communis omnium sacramentorum *effectus* est *gratia sanctificans*, quae vtique non *ex opere operantis*, id est, ministri aut participantis probitate prouenit; sed *ex opere operato*, id est, ex diuina sacramenti virtute consequitur, ipso nimirum Christo eam largiente, nisi participans obicem ponat (*a*).

(*a*) Conc. Trid. *loc. cit.* can. 6. 8.

§. 659. Doctrinae de iis generales.

Quibus sequentes positiones subiungimus: 1. *sacerdotes* tantum (§. 47.) sunt legitimi omnium sacramentorum *ministri*, eaque ab alio, quam sacerdote, ne quidem in casu necessitatis (§. 120.), si baptismum excipis, *valide* confici possunt. 2. *Materia* et *forma* non in omnibus sacramentis plane atque omnino diuinitus definita, vtriusque igitur magis definiendae cura et potestas (§. 23.) ecclesiae relicta est. 3. Quae per eam de materia et forma sacramentorum definita et constituta sunt, ad partes eorum *essentiales* pariter pertinent. 4. Sicut seruatis essentialibus nec improbitas ministri, nec

lex humana sacramenti vim et efficaciam tollit (*a*), ita, illis non seruatis, sacramentum plane nullum est (*b*). 5. Ritus quoque *accidentales* sollicite semper seruandi sunt, nisi forte necessitas, quo minus adhibeantur, excuset.

(*a*) Can. 77. 78. I. q. I. (*b*) Cap. 1. 5. *de Baptis.*

CAPVT IV.

DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET ORDINE.

I. 16. De Sacramentis non iterandis.
III. 42. De Baptismo et eius effectu.
— 43. De presbytero non baptizato.

§. 660. Baptismus.

B*aptismus* vi nominis ablutionem, seu lauacrum, hoc autem loco sacramentum significat, cuius materia est ablutio corporis humani per aquam, effectus labis originalis, et, si adultus baptizatur, peccatorum remissio (*a*). Ad hoc baptismus membra ecclesiae (§. 374.) efficit (*b*), et ad alia sacramenta participanda, tanquam fundamentum eorum ac ianua (c), habiles reddit (*d*).

(*a*) Conc. Trid. VII. can. 1. seq. *de Baptis.* Baptismi proprie dicti, seu *fluminis* vicem fungitur baptismus *sanguinis*, seu mors propter Christum ab adultis sponte suscepta, ab infantibus tolerata. Can. 34. 37. Dist. IV. *de consecr.*; item baptismus *flaminis*, seu amor Dei perfectus, vel desiderium baptismi,

ex amore Dei vtique ortum, vbi verus baptismus haberi nequit. Can. 147. 149. *ibid.* Quod ad paruulos, sine baptismo decedentes, attinet, de illis, contra ac AUGUSTINUS, can. 136. 137. 142. *ibid.*, ex eoque, vt videtur, *Fulgentius* can. 3. *ibid.* can. 3. XV. q. I., senserat, bene sperare nos iubent alii sancti patres, theologique plures apprime docti, et orthodoxi. (*b*) Can. 143. *ibid.* (*c*) Cap. 2. *de cognat. spirit.* in VI. (*d*) Vnde presbyter, forte ordinatus, cum baptizatus non esset, primum baptizandus est (§. 384.), vt dein valide ordinari possit. Cap. 1. 3. *de presbyt. non baptis.*

§. 661. Eius forma.

Aqua, vt apta ad baptismum *materia* sit, vera, et naturalis sit, necesse est (*a*). Ablutio siue per *immersionem*, siue per *aspersionem*, siue per *infusionem*, et quidem siue *vnam*, siue *trinam*, fieri potest (*b*). *Forma* autem baptismi consistit in verbis, quibus actus baptizantis, persona baptizata, et sanctissimae Trinitatis nomina exprimuntur (*c*).

(*a*) Cap. 5. *de Baptism.* Aqua calida, an frigida sit, perinde est. Graeci calida, Latini plerumque frigida vtuntur. (*b*) Apud nos ablutio per trinam infusionem fieri solet. Can. 78—81. Can. 85. Dist. IV. *de Consecr.* (*c*) Ecclesia Latina hac vtitur formula: *Ego te baptizo in nomine etc.* Can. 83. 86. *ibid.* Cap. 1. §. 4. *de sum. Trinit.* Graeci vtuntur verbo passiuo: *Baptizatur N. in nomine etc.*, quamuis ALEXANDER III. in cap. 1. *de Baptis.* id improbare videatur.

§. 662. Minister ordinarius.

Minister baptismi *ordinarius* est sacerdos, et nunc quidem eo iure *parochus*, vt intra fines parochiae nullus alius, nisi ex eius mandato,

baptismum licite administrare possit (§. 539.). Potest autem parochus id munus etiam diacono committere (*a*). Caeterum quilibet non solum Christianus sine sexus et status discrimine, sed etiam Iudaeus, vel paganus *valide* baptizat, immo et *licite*, si necessitas vrgeat, dummodo debita materia, forma et intentio adhibeatur (*b*). Nemo tamen semet ipsum baptizare potest, cum baptismus *flaminis*, vbi verus haberi non potest, sufficiat (*c*).

(*a*) Act. VIII. 12. Can. 13. Dist. XCIII. Can 19. Dist. IV. *de consecr.* (*b*) Can. 7. XXX. q. I. can. 4. *ead.* q. III. can. 21. 23. 24. Dist. *cit.* Cap. 1. §. 4. *de summ. Trinit.* (*c*) Cap. 4. *de Baptism.*

§. 663. Subiectum baptismi.

Sacro autem baptismate auctorandi sunt non solum adulti, qui Christi nomen profitentur, sed etiam infantes recens nati (*a*), modo nati sint viui, et in forma humana (*b*). Infantes expositi, de quorum baptismo nihil constat, omnino baptizandi sunt (*c*). In dubio, an quis valide baptizatus fuerit, baptismus sub conditione conferendus est (*d*). Natum vero ex parentibus christianis, et inter christianos educatum, baptizatum esse, pro certo sumitur, donec contrarium euidentissimis argumentis probetur (*e*).

(*a*) Cap. 3. *de Baptism.* Cap. vn. §. 2. 3. *de sum. Trinit.* in Clem. Infantes *iudaeorum* aliorumque infidelium, inuitis eorum parentibus, non esse baptizandos, merito receptum est, eoquod nec sine iniuria parentum ab ipsis abstrahi, nec sine periculo peruersionis et iniuria baptismi illis relinqui vel restitui possint. De liberis iudaeorum, qui infantiam

egressi sunt, et religionem christianam amplecti volunt, *legibus Austriacis* cautum est, eos, inuitis licet parentibus, baptizandos esse, siquidem decimum octauum aetatis annum attigerint; si vero quatuordecim tantum annis maiores sint, regiminis prouinciae, si minores, supremae curiae consensum requirendum esse, *Constit.* 45. 56. 63. in collect. cit. (*b*) Nec foetus mortuus, nec monstrum baptismi capax est, neque in vtero censetur baptizatus, si mater praegnans baptizetur. Can. 114. 115 Dist. IV. *de consec.* (*c*) Can. 110. 111. Dist. *cit.* (*d*) Cap. 2. *de Baptis.* Quod *Protestantes* cautelam hanc non agnoscant, vti Boehmer Princip. iur. can. §. 304. obseruat, minime miramur. (*e*) Cap. 3. *de presbyt. non bapt.*

§. *664*. Ritus obseruandi.

Nunc quidem baptismus quouis die peti, et dari solet (*a*); de reliquo autem, nisi necessitas aliud postulet, administrandus est 1. in ecclesia parochiali, non in alia, multo minus in aedibus priuatis (*b*), 2. inter ceremonias et preces, in libro rituali praescriptas (*c*), 3. adhibitis *patrinis*, qui baptizandum offerunt, fidemque pro eo interponunt *fideiussores*, *sponsores* propterea dicti (*d*), iique 4. nec prohibiti (*e*), nec vno vnaue plures, ad summum vnus et vna sint, oportet (*f*).

(*a*) Olim dies festi paschatis et pentecostes stata erant baptismum ministrandi tempora, extra quae non nisi infirmis et periclitantibus dabatur. Can. 11 — 18. Dist. IV. *de consec.* (*b*) Cap. vn. *de Baptis.* in Clem. (*c*) Cerimoniae istae a primis ecclesiae temporibus vsitatae, recensentur in can. 53. 61. 62. 65. 73. 91. 92. Dist. cit. (*d*) Can. 105. Dist. cit. (*e*) Prohibentur autem non baptizati, non confirmati, item personae religiosae. Can. 102. 103. 104. Dist. cit.

(*f*) Can. 101. Dist. cit. Cap. 4. *de cogn. spirit.* in VI. Conc. Trid. XXIV. cap. 2. *de reform. matrim* Finito ritu baptismali, eorum, qui interfuerunt, *nomina, et alia de administrato baptismo ad praescriptam formam in baptismali libro parochus accurate describat.* Rit. Roman. *de sacram. bapt.* Formam legibus *Austriacis* praescriptam, exhibent *constitut.* 211. 214—217. in collect. *cit.* Leges *Badenses* ea de re supra (§. 539.) indicauimus.

§. 665. Confirmatio.

Confirmatio est sacramentum, cuius materia est manus impositio, effectus robur animi ad fidem christianam, in baptismo susceptam, constanter profitendam (*a*); vnde *consummatio*, *perfectio* et *complementum baptismi* appellata, et statim post baptismum etiam paruulis olim data est (*b*), quemadmodum in ecclesia Graeca in hunc vsque diem fieri solet.

(*a*) Conc. Trid. VII. can. 1. seq. *de confirmat.*
(*b*) Can. 1. Dist. V. *de consecr.*

§. 666. Eius forma.

Vna cum manus impositione confirmans digito pollice frontem neophiti chrismate vngit (*a*), dicens: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine* etc. (*b*). Sed vnctio illa ad ritus accidentales pertinet, in istis autem verbis *formam* confirmationis consistere, theologi plerique docent; alii tamen censent, eam in inuocatione Spiritus sancti, et precatione sitam esse; quam confirmans super neophytos fundit, antequam manum ipsis imponat.

(*a*) Cap. vn. §. 7. *de sacr. vnct.* (*b*) Graeci hac

formula vtuntur: *Signaculum donationis Spiritus sancti*, intellige voces non expressas, *tibi impertitur*.

§. 667. Minister ordinarius.

Minister confirmationis *ordinarius* in ecclesia Latina est episcopus consecratus (*a*). Quin summus pontifex munus confirmandi aliis sacerdotibus delegare possit, nemo dubitat (*b*). Cur autem episcopi ampliorum praesertim dioecesium idem munus delegare nequeant, non apparet (*c*). Propterea certe, quod episcopi hoc iure non vtantur, accidit, vt plurimi ob raram admodum in suo tractu confirmationis administrationem, sacramenti huius expertes fiant; plurimi ob nimiam, sicubi administratur, concurrentium multitudinem irreuerenter et temere ad illud accedant.

(*a*) Cap. vn. §. 7. *de sacr. vnct.* Apud Graecos presbyteri eosdem, quos baptizarunt, statim etiam confirmant, etsi morem hunc reprobauerit INNOCENT. III. in cap. 4. *de consuetud.* (*b*) Munus hoc, vt plures alii pontifices sacerdotibus non episcopis commiserunt, ita nominatim BENEDICTUS XIV. abbati Campidunensi demandauit. *Bullar.* Tom. III. constit. 6. (*c*) Non obstat can. 4. Dist. V. *de consecr.*, vtpote confictus. Quodsi delegandi facultas summo pontifici, vt aiunt, reseruata est; delegatio quidem contra ius fieret, ideo tamen confirmatio haud irrita foret (§. 47.) Aliter censuit BENEDICT. XIV. *de synod. dioeces.* Lib. VII. cap. 8. 9.

§. 668. Ritus consueti.

De aliis hac in re ritibus annotamus: 1. Confirmatio sicut baptismus, quouis die dari potest. 2. Confirmandus septennio maior, et

confessus sit, oportet (*a*). 3. Patrinus quoque adhibendus est, qui et ipse confirmatus, et alius sit, quam qui in baptismo fuit (*b*). 4. Conuenit, vt mas marem, femina feminam ad confirmationem ducat. 5. Vbi cognatio spiritualis matrimonium afficit, nec vitricus in priuigni, nec coniux in coniugis confirmatione patrini munus obire potest (*c*).

(*a*) Can. 6. Dist. V. *de consec.* (*b*) Can. 100. 102. Dist. IV. *ibid.* (*c*) Can. 6. XXX. q. I. Cap. 1. *de cognat. spirit.* in VI.

§. 669. Ordo presbyteratus.

Ordo, seu *ordinatio*, qua nimirum presbyter, seu sacerdos creatur (§, 392.), est sacramentum, cuius materia est manuum impositio, effectus potestas sacra tum ordinis, tum iurisdictionis, et gratia diuina ad illam recte exequendam (§. 44. 45.). Equidem episcopus ordinans calicem quoque cum vino et aqua et patenam cum hostia ordinatis porrigit. Sed haec instrumentorum porrectio ad ritus accidentales pertinet (*a*).

(*a*) Conc. Trid. XXIII. cap. 1. seq. et can. 1. seq. *de sacram. ordin.*

§. 670. Eius forma.

Forma sacramenti ordinis est precatio, quam ordinans recitat, cum ordinandis manus imponuntur; verba autem, quibus praeterea vtitur, dicendo: *accipe potestatem offerre* etc. *accipe spiritum sanctum* etc. non tam ipsius formae, quam explicationis et solennitatis rationem habere

videntur. Caetera, quae huc pertinent, supra (§. 392. sq) iam exposuimus (*a*).

(*a*) Ad ea tamen, quae de ministro ordinationis §. 398. diximus, addidisse iuuabit. Si *episcopatus*, puta, consecratio episcopi sacramentum est a sacerdotio distinctum, potestas igitur *confirmandi* et *ordinandi* ex eo pendet, consequens plane est, vt, sicut functiones sacerdotales ei, qui sacerdos non est, nullo modo permitti possunt, ita quoque functiones episcopales ei, qui episcopus consecratus non est, nequaquam committi possent. Atqui munus confirmandi et ordinandi simplici, vt aiunt, sacerdoti per modum priuilegii committi posse, omnes consentiunt (§. 52.). Regerunt quidem, presbyteri saltem ordinationem sacerdoti non episcopo concedi non posse, eoquod nullum extet concessionis huius exemplum; sed etsi iidem putent, de nullo exemplo constare, quod confectio chrismatis simplici sacerdoti commissa sit; eam tamen committi posse, non negant, immo valde affirmant. Caeterum quam infirma sit *a non esse ad non posse* argumentatio, satis notum est, vid. Pichler Candidat. Iur. sacr. Lib. I. Tit. XI. num. 11. Tit. XV. num. 7.

§. 671. Cur tria haec sacramenta iterari non possint.

De tribus hisce sacramentis traditur, quod *characterem indelebilem* animae imprimant (*a*), et idcirco sine impietate iterari non possint (*b*). Quod vt recte intelligas, sic habeto: *Baptismus* labem originalem delet; *confirmatio* animum ad fidem christianam constanter profitendam roborat; *ordo* sacrorum potestatem tribuit: horum ergo quoduis donum impertit, quod semper manet, nec auferri amplius ab initiato potest, donum igitur perpetuum et *indelebile*. Qui sacramenta haec, semel valide accepta,

repetit, eorum vim et efficaciam in dubium trahere, aut negare videtur, quod vtique nefarium est, et impium (*d*). 3. Si quid igitur in eorum administratione omissum est, quod ad accidentalia tantum pertinet, id quidem caute supplendum; sacramentum vero non iterandum esse, canones recte admonent (*e*).

(*a*) Conc. Trid. VII. can. 9. *de sacram. in gen.* XXII. can. 4. *de sacram. ord.* (*b*) Can. 97. I. q. I. (*c*) *Ratio parum idonea est, quae ex charactere indelebili in iure canonico repetitur, cuius opinionis error ex interpretatione sententiae Augustini can.* 97. I. q. I. *descendisse videtur.* Ita BOEHMER Princip. iur. can. §. 304. obiectat. Vtique AUGUSTINUS in can. *cit.* doctrinam hanc diserte tradidit; sed inconsiderate erroris eam arguunt, qui ipsi baptismum, confirmationem et ordinationem non iterandam esse, docent. De ordinatione non iteranda BOEHMER *loc. cit.* §. 103. haec habet: *Nec ratio intelligitur, cur semel legitime collata iteranda sit.* At vero edisserant nobis, cur nulla sit ratio, baptismum iterandi, cum tamen sacramentum eucharistiae iterandi rationem satis idoneam intelligant? (*d*) Aliam reliquorum sacramentorum rationem esse, consideranti patet, vtpote quae ad gratiam diuinam vel recuperandam vel augendam instituta sunt, ideoque iustam iterationis causam habent; vanus contra, Deoque diffidens ac improbus est conatus illud acquirendi, quod diuinitus sibi datum iam esse, quis intelligit. *Eum scilicet, qui certus est, certiorari vlterius non oportet.* Cap. 31. *de. R. I.* in VI. (*e*) Cap. 1. 3. *de sacram. non iter.* Varias theologiae et iuris canonici interpretum *de charactere trium sacramentorum* sententias et explicationes summa industria congessit, et planius exponere conatus est MARTIN. GERBERT in Tractat. *de select theolog. circa effect. sacram.* cap. VIII. seqq. Sed nec is, nec alii rem hanc ita dilucidarunt, vt, apertius eam proferre, superuacaneum sit.

CAPVT V.

DE POENITENTIA, EVCHARISTIA ET EXTREMA VNCTIONE.

III. 41. De celebratione missarum, sacramenta eucharistiae, et diuinis officiis.
V. 38. De poenitentiis et remissionibus.

§. 672. Poenitentia eiusque partes.

P*oenitentiae* nomine hic intelligimus sacramentum, cuius materia est poenitens peccatorum confessio, effectus eorundem quod ad culpam attinet, remissio. Poenitentis autem confessionis tres sunt partes: 1. *contritio cordis*, seu dolor animi de commisso peccato, quatenus est offensa Dei. 2. *Confessio oris*, seu integra et sincera peccatorum enumeratio, ministro facienda (*a*). 3. *Satisfactio*, seu *opera poenitentiae*, eo sensu, vt quis ea tum sponte suscipere, tum a ministro speciatim iniuncta exequi paratus sit (*c*).

(*a*) Conc. Trid. XIV. cap. 1 — 5. et can. 1. seq. de *poenit sacram.* An peculiaris haec, seu, vt vocatur, *auricularis* confessio diuinitus praecepta sit, disputent licet. Nobis sufficit, quod ecclesia docens eam, quasi materiam praescripserit (§. 659.), qua neglecta sacramentum poenitentiae haberi non possit. Vid. Euseb. Amort. *demonstratio critica relig. cathol.* Venetiis 1744. pag 253. Frustra igitur ad *Gratiani* sententiam, can. 89. Dist. 1. *de poenit.* appositam, prouocant, qui confessionis auricularis necessitatem inficiantur. Nos canones sequimur, quos idem *Gratianus* loc. cit. can. 38 — 89. attulit, vniuersae

ecclesiae consensu probatos. (*b*) *In corde contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas: haec est fructifera poenitentia*, Chrysostom. ap. *Gratian.* can. 40. loc. cit.

§. 673. Eius peragendae necessitas.

Omnes, qui grauis peccati, post baptismum admissi, sibi conscii sunt; sacramentali confessione animum perpurgare diuino praecepto (*a*), et quidem tum maxime obstricti sunt, cum periculum mortis imminet (*b*), aut sacrorum obeundorum sanctitas animum sceleris purum requirit (c). Ex praecepto autem ecclesiae *omnis fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno proprio sacerdoti* (§. 538.) *fideliter confiteri* tenetur (*d*).

(*a*) Conc. Trid. XIV. cap. 1. 2. *de poenit.* et can. 1. *de sacram. poenit.* (*b*) Ideo ius nostrum medicis praecipit, vt, cum eos ad *infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, et inducant, vt medicos aduocent animarum.* Cap. 13. *de poenit.* (*c*) Vnde canones praeuiam sacram confessionem, vel eius, si vrgente necessitate fieri non possit, faciendae saltem voluntatem ab iis exigunt, qui ad aliud praeter baptisma sacramentum, veluti confirmationis (§. 668.), eucharistiae (§. 697.), matrimonii (§. 701.) accedunt. (*d*) Cap. 12. *de poenit.*

§. 674. Minister sigillo confessionis obstrictus.

Minister sacramenti poenitentiae absque dubio est sacerdos (*a*), qui, audita confessione, satisfactionem poenitenti iniungit, adhibitaque *forma*, hisce scilicet verbis: *Ego te absoluo a peccatis tuis in nomine* etc., Christi nomine sacra-

mentum perficit (*b*), grauissima nunc, quae *sigilli confessionis* nomine venit, obligatione constrictus, ea omnia, quae ex confessione cognouit, nulla prorsus ratione vnquam prodendi (*c*).

(*a*) Confessio, laico, vel clerico, qui sacerdos non est, facta, humilitatis, piaeque voluntatis actus est; sacramentum non est. Can. 88. Dist. I. *de poenit.* can. 1. Dist. VI. *ibid.* Cap. 10. *de poenit.* (*b*) Can. 51. Dist. I. *de poenit.* Conc. Trident. XIV. cap. 6. 8. *de sacram. poenit.* (*c*) Can. 2. Dist. VI. *de poenit.* Cap. 12. *de poenit.* Hinc confessarius crimen, ex confessione cognitum, nec iudici denuntiare, nec testimonium de eo dicere, nec ad id dicendum cogi potest. Cap. 13. *de excess. praelat.*

§. 675. Ii, vt approbatus sit, et iurisdictione praeditus, requirunt.

Eum vero sacerdotem plane idoneum poenitentiae ministrum esse, tradunt, qui ab episcopo ad audiendas confessiones *approbatus*, insuper et *iurisdictione* in confitentem vel *ordinaria*, vel quocunque modo *delegata* praeditus sit. Hac enim deficiente, absolutionem, tanquam sententiam, a non suo iudice latam, nullius momenti fore, contendunt Argumenti loco est similitudo, quam sacramentum poenitentiae cum iudicio habet, (§. 47.) indeque arrepta, et huc applicata iurisdictionis notio.

§. 676. Quilibet legitime ordinatus valide absoluit.

At vero, cum absolutio sacramentalis ex se, et sua natura actus ordinis sit; eiusmodi autem actus, quo minus valeat, nihil impedire interdictio humana possit (§. 659.); haud

sane apparet, cur de sacramento poenitentiae aliter sit statuendum. Dicamus igitur, quemlibet sacerdotem, rite ordinatum, vt alia sacramenta, ita et poenitentiam *valide* administrare; vt autem extra periculum mortis posito (*a*) *licite* ministretur, approbatione episcopi omnino opus esse (*b*).

(*a* Illos enim, quibus vitae periculum impendet, a quouis sacerdote non tantum *valide*, sed etiam *licite* absolui posse, plani iuris est. can. 12. 13. XXVI. q. VI. (*b*) Conc. Trid. XXIII. cap. 15. Idem re ipsa fatentur, qui *iurisdictionem* etiamnum vrgent. In hac enim danda adeo liberales sunt, vt arg. L. 3. *de offic. praetor.* siue *a iure*, siue *ex consuetudine delegatam* non solum omnibus, ab episcopo approbatis, sed illis quoque tribuant, qui vel aliis approbati, ideoque ea praediti videntur, vel se ipsos, eadem instructos, opinantur. Quo sumto, *sacerdos* tum demum *vere non absoluit, et*, vti Conc. Trid. XIV. cap. 7. et can. 11. *de sacram. poenit.* edixit, *nullius momenti est absolutio*, si quis scienter, et ex contemptu legis a sacerdote, non approbato, absolutionem accepit, sacrilegam vtique, et gratia diuina vacuam. Vid. Pichler Candidat. iur. sacr. lib. V. Tit. 38. §. 5.

§. 677. Etsi casus reseruatus sit.

Idem dicendum est de *casibus reseruatis*, seu grauioribus illis delictis, a quibus absoluendi potestatem tum episcopi, tum summi pontifices sibi reseruarunt (§. 189.). Etsi enim eiusmodi reseruationes absolutionem sacramentalem, extra periculum mortis datam (*a*), illicitam facere possunt, nullam tamen ac irritam, si aliud nihil obstet, facere non possunt. Quod

ad *papales* speciatim reseruationes attinet, eae tum ob nimiam multitudinem (*b*), tum ob concessam religiosis mendicantium ordinum in eas potestatem (*c*) nullam amplius iustam causam habere videntur. Quod igitur religiosis illis in casibus papalibus licet, id non solum episcopis, sed cuiuis sacerdoti approbato licere censemus.

(*a*) In mortis nempe articulo nulla est reseruatio, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusuis peccatis absoluere possunt. Cap. 5. *de poen.* in VI. cap. 3. *eod.* in Clem. Conc. Trid. cap. 7. cit. (*b*) Scriptores seculi XVI. centum et viginti casus, papae reseruatos, numerabant, quorum plures iique grauiores in cap. 3. *de poenitent.* Extrau. com. recensentur. Qui postea hanc materiam tractarunt, testantur, numerum illum per speciales constitutiones in dies auctum fuisse. (*c*) His per priuilegia omnes seculares a casibus papae reseruatis, absoluendi facultas data est. Eandem potestatem Conc. Trid. XXIV. cap. 6. episcopis fecit, sed in suos subditos, et in casibus occultis tantum.

§. 678. Poenitentiae disciplina olim valde seuera.

Ex canonum, quos ecclesia prioribus seculis habuit, praescripto, opera poenitentiae valde molesta, peccatoribus iniungebantur, eaque longiori tempore, per plures scilicet non tantum menses, sed annos (*a*), et ob *grauiora* quidem simulque *manifesta* delicta *publice*, atque in conspectu omnium, ob *occulta* autem *priuatim* peragenda erant (*b*). Vnde poenitentia in *publicam* et *priuatam* distinguitur (*c*). *Illa* quorumdam sacrorum, et speciatim eucharistiae participatione priuabat; *haec* non item. Hinc publice poenitentibus, quasi excommunicatis,

etsi de eorum cum Deo reconciliatione non dubitaretur, adhuc tamen reconciliatio cum ecclesia, quam exempli prauitate grauiter offenderant, necessaria erat.

(*a*) Exemplo sunt *canones poenitentiales*, *Gratiani* decreto subiuncti. (*b*) Can. 19. §. 1. II. q. I. can 4. XXVI q. VI. Cap. 1. 7. *de poenit.* (*c*) Cap. 12. *de Excess. praelat.* Ritus et gradus poenitentiae publicae in can. 63. 64. Dist. L. can. 17. XII. q. II. recensentur.

§. 679. Per indulgentias sensim oblitterata.

Ad hanc obtinendam requirebatur, vt quis vel totum poenitentiae tempus exegerit (*a*), vel remissionem, seu *indulgentiam* impetrarit (*b*). Hanc vero episcopi inde a seculo VII. facilius concedere, laboriosae item ac diuturnae poenitentiae loco opera minus molesta iniungere vel ideo coeperunt, quod tempus modumque poenitentiae temperandi cura ac potestas penes eos semper fuerit (*c*). Posthac indulgentiae vltro oblatae sunt omnibus, qui certa pietatis exercitia obirent (*d*). Ita tandem tum poenitentiae publicae disciplina, tum canonum poenitentialium auctoritas penitus oblitterata est, data sacerdotibus facultate, poenitentias ex suo pro rei conditione iudicio confitentibus iniungendi (*e*).

(*a*) Idque adeo stricte, vt in mortis periculo positis reconciliatio et eucharistia quidem daretur, sed manente obligatione, constitutum poenitentiae tempus, si conualuerint, adimplendi, et tum demum legitimam communionem recipiendi. Can. 6—10. XXVI. q. VI. (*b*) Can. 26. Dist. L. (*c*) Can. 2—9. XXVI. q. VII. (*d*) Cap. 4. 14. *de poenitent.* Cap. 5. *eod.* Extrau. com. (*e*) Cap. 3. 8. *eod.* Conc. Trid. XIV. cap. 8. *de sacram. poenit.*

§. 680. Indulgentiarum recentiorum ratio.

Remansit nihilominus indulgentiarum usus, inualuitque opinio, ac si per eas non solum poenitentiae, canonibus olim constitutae, sed etiam poenae, siue in hac, siue in altera vita ex Dei iudicio soluendae, remitterentur. Hoc sensu tradiderunt, 1. indulgentias vel *plenarias* esse, quae omnem prorsus poenam tollant, vel *partiales*, quae, quantum per certos dies vel annos luendum esset, aboleant; 2. summum pontificem quascunque, episcopos vnius tantum anni, aut quadraginta dierum indulgentias dare posse (*a*); 3. indulgentiam *anni iubilaei*, a Bonifacio VIII. primum promulgatam, longe praecipuam esse, vtpote quae *non solum plenam et largiorem*, *sed plenissimam omnium veniam peccatorum concedat*; 4. infinita Saluatoris nostri, tum et beatissimae virginis omniumque electorum merita illum thesaurum efficere, ex quo indulgentiae deriuentur (*b*).

(*a*) Cap. 14. 15. *de poenit.* cap. 1. 3. *eod.* in VI.
(*b*) Cap. 1. 2. 4. *eod.* Extrau. com.

§. 681. Vsus hodiernus.

Equidem Concilium *Tridentinum* edixit, indulgentias concedendi potestatem ecclesiae diuinitus datam, earumque vsum salutarem, ac retinendum esse (*a*). Sed concilium poenitentiam *publicam* respexisse videtur (*b*); primam certe, ac praecipuam quaestionem, quid sint indulgentiae, et quo sensu sint vtiles, in medio reliquit (*c*).

(*a*) Sess. XXV. decret. de indulgent. (*b*) Sess. XXIV. cap. 8. (*c*) Ea de re *leges Austriacae* sic statuunt: 1. poenitentias publicas a sacerdotibus iniungi non posse sine consensu superioris magistratus ciuilis; 2. tabulas cum inscriptione: *Toties quoties*, die festo portiunculae exponi solitas remouendas esse; 3. priuilegia altarium a summo pontifice deinceps non petenda, inscriptionesque: *altare priuilegiatum* tollendas esse; 4. bullas papales, quae indulgentias conferunt, omnesque nouas indulgentiarum concessiones placito regio subiiciendas esse. *Constit.* 9. 10. 203. 521. 526. in Collect. cit.

§ 682. Eucharistiae notio.

Eucharistia, latine *bona gratia* in sacris litteris *coena dominica*, *mensa et calix Domini*, *participatio corporis et sanguinis Domini* (*a*), *fractio panis* (*b*) dicta, est Sacramentum, cuius materia est panis et vinum, tanquam species, sub quibus corpus et sanguis Christi continetur; effectus augmentum gratiae diuinae in iis, qui sacram istam alimoniam digne accipiunt (*c*).

(*a*) I. Cor. X. 16. 21. XI. 20. (*b*) Act. II. 42. (*c*) Can. 84. §. 3. I q. I. Can. 41. Dist. II. *de consecrat.* Conc. Trid. XIII. cap. 1. 3. can. 3. *de ss. euchar. sacram.*

§. 683. Eius materia

Quod ad *materiam* attinet, annotamus: 1. Panis triticeus, et vinum de vite sit, necesse est (*a*). Graeci pane fermentato vtuntur; ecclesia Latina azymum adhibere iubet (*b*). 3. Vino paullum aquae ex praecepto ecclesiae admiscendum est (*c*).

(*a*) Can. 4. 5. Dist. II. *de Consecr.* (*b*) cap. 14. *de celebrat. miss.* Panes, ad consecrationem oblati,

vnde *oblatae* dictae sunt, ab antiquissimis temporibus nitidi erant, minuti, tenues et rotundi, itaque studio ad hunc finem praeparati. Inde a media aetate in ecclesia Latina panis valde tenuis et orbiculati, ferroque cocti, *hostiarum* scilicet, vsus inualuit. (*c*) Can. 1. 2. 7. 83. Dist. *cit.* Cap. 8. 13. *de celebr. miss.* Conc. Trid. XXII. Cap. 7. *de sacrif. miss.*

§. 684. Et Forma.

Formam constituunt verba Saluatoris: *Hoc est Corpus meum: hic est sanguis meus* (*a*), vi quorum potestate diuina sub specie panis corpus, sub specie vini sanguis Christi, sub vtraque totus Christus ponitur (*b*). Conuersionem hanc *transsubstantiationem* vocamus (*c*), factique stupendi rationem in facientis omnipotentia reperimus.

(*a*) Matth. XXVI. 26. 28. Marc. XIV. 22 24. Luc. XXII. 19. 20. (*b*) Can 35. 55. 69. Dist. *cit.* (*c*) Cap. 1. §. 3. *de Sum. Trinit. et fid. cathol.* Conc. Trid. XIII. Cap. 4. can. 2. 3. 4. *de euchar. sacram.*

§. 685. Eius confectio sacrificii rationem habet.

Minister eucharistiae conficiendae solus vtique est sacerdos (*a*). Quoniam vero, cum sacerdos eucharistiam conficit, ipse Christus praesentem se sistit, prout ad mortem, pro salute generis humani subeundam, semet ipsum Deo Patri obtulit, *semper viuens ad interpellandum pro nobis* (*b*): consequens est, eucharistiam, quatenus tanquam spiritualis alimonia paratur, *Sacramenti*; quatenus Christus ipse tanquam hostia Deo exhibetur, *sacrificii* rationem habere, omnibus sine dubio tum viuis, tum defunctis, nondum plene purgatis, profuturi. Sacrificium

hoc, alioqui *liturgia* eximie, *oblatio* et *collecta* dictum, antiquissimo, et recepto loquendi vsu *Missa* vocatur, cuius partes *essentiales* sunt *consecratio* cum eaque coniuncta *oblatio* corporis et sanguinis Christi; *complementum* addit *communio*; partes vero *accidentales* constituunt *preces et cerimoniae*, ad rem hanc plane diuinam digne ac decenter peragendam praescriptae (*c*).

(*a*) Can. 73. Dist. II. *de cons*. Cap. 1. §. 3. *de Sum. Trin*. Conc. Trid. XXII. Can. 2. *de sacrif. miss*. (*b*) Hebrae. VII. 25. (*c*) Conc. Trid. Sess. cit. Cap. 1. 2. 3. Item Cap. 1. 3. 7. *de sacrif. miss*.

§. 686. Consectaria.

Itaque 1. in confectione eucharistiae vtraque species, panis et vini, coniungenda, nec altera sine altera consecranda est. 2. Cum eucharistia conficitur, hoc ipso sacrificium missae habetur, eoque respectu verum est, eucharistiam non nisi inter missae sacrificium conficiendam esse. 3. Sacrificans communionem sub vtraque specie sumere debet (*a*), adeo vt, si facta consecratione morbo impediatur, alius sacerdos succedere possit, qui coeptum sacrificium compleat (*b*).

(*a*) Can. 11. 12. Dist. II. *de Cons*. Conc. Trid. XIII. Cap. 8. et Can. 10. *de S. Euchar. Sacram*. (*b*) Can. 16. VII. q. I.

§. 687. Parochi in dispensanda, et parochianorum in accipienda eucharistia obligatio.

Minister eucharistiae, aliis tribuendae, pariter sacerdos est, et ex officio quidem parochus, qui tamen id munus diaconis quoque

committere potest (*a*), non aliis clericis, multo minus laicis (*b*). Sicut autem parochi est, eucharistiam semper paratam habere, in sacrario fideli custodia, et clauibus asseruatam, vt petentibus, et praecipue aegrotis ministrari possit (*c*): ita parochianorum quondam erat, singulis diebus dominicis ac festis non solum missae parochiali interesse, sed sacram quoque communionem percipere (*d*). Postea constitutum est, vt quilibet ter saltem in anno, die scilicet natali Domini, festo paschatis et pentecostes, eucharistiam sumeret (*e*). Denique, sicut annua confessio (§. 673.), ita quoque annua minimum communio, et quidem *in pascha* praecepta est (*f*). Cum vero religiosi in suis ecclesiis publice missas celebrare coepissent; tum his, aliisque omnibus presbyteris eucharistiam dispensandi potestas facta, et parochis id modo seruatum est, vt communionem paschalem in sua singuli ecclesia parochiali obire, et aegroti a suo tantum parocho, eiusque delegato eucharistiam, sacrumque viaticum (§. 539.) accipere tenerentur (*g*).

(*a*) Can. 13. 18. Dist. XCIII. (*b*) Can. 29. Dist. II. *de cons.* Olim quidem eucharistia sub specie panis in manus petentium dabatur, vt eius vel statim, vel ex post participes se reddere possent. Ex disciplina autem, dudum merito recepta, id non amplius licet, nisi ex singulari causa speciatim concedatur. (*c*) Can. 93. Dist. II. cit. Cap. 1. *de custod. euchar.* Conc. Trid. XIII. Cap. 6. et Can. 7. *de SS. euchar.* Qua reuerentia ad aegrotos deferenda sit eucharistia, vid. Cap. 10. *de celebr. miss.* (*d*) Can. 62. 64. Dist. I. et Can. 10. Dist. II. *de cons.* (*e*) Can. 16. 19. 21. Dist. cit. (*f*) Se-

cus agens *et viuens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.* Cap. 12. *de poenit.* Conc. Trid. XIII. Can. 9. *de Euchar.* (*g*) Cap. 1. *de vriuileg.* in Clem.

§. 688. Canones alii de eadem danda et accipienda.

Qua de re insuper notandum est: 1. Ex ecclesiae Latinae praecepto sacra communio non solum laicis, sed etiam clericis sub vna tantum panis specie distribuitur, etsi olim vtriusque speciei vsus haud infrequens fuerit, et in ecclesia Graeca adhuc obtineat (*a*). 2. Ecclesia porro Latina eucharistiam iis tantum tribuit, qui sacramenti huius vim intelligunt, non infantibus, quibus olim mox post baptismum sub specie vini dabatur, et apud Graecos adhuc dari solet (*b*). 3. Sacerdotes, missam facientes aliique ad sacram communionem accedentes ieiuni sint, nisi viatici perceptio moribundum excuset (*c*). 4. Tum hi, tum illi, si grauioris peccati conscientia tenentur, per confessionem sacramentalem illud antea diluere studeant (*d*). 5. Publice petenti communio danda est, etsi sacerdos sciat, eum indignum esse (*e*), nisi crimen eius manifestum sit, omnibusque notum (*f*).

(*a*) Conc. Trid. XXI. Cap 1. 2. 3. et Can. 1. 2. 3. *de commun.* Vtrum alicui, vel nationi vel regno etiam sacri calicis vsus permittendus sit, summi pontificis iudicio relictum est. Conc. Trid. loc. cit. post can. 5. et XXII. post Cap. 11. *de Reform.* (*b*) Conc Trid. XXI. Cap. 4. et can. 4. *de commun.* Inde profluxisse videtur consuetudo infantibus, recens baptizatis, aliquas guttas vini ex purgato ad finem missae calice instillandi, quae tamen apud nos expressa lege sublata est. *Constit.* 528. in collect. cit. (*c*) Can. 16.

VII. q. I. Can. 49. Dist. I. et can. 54. 93. Dist. II. *de cons.* (*d*) Can. 13. 24. 54. Dist. *cit.* Conc. Trid. XIII. Cap. 7. *de Euchar.* (*e*) Cap. 2. *de offic. iud. ord.* Can. 67. 68. Dist. *cit.* (*f*) Can. 95. *ibid.*

§ 689. Missa publica et priuata.

Ex antiquo ritu, quem preces ac cerimoniae missales adhuc vsitatae aperte indicant, missa plerumque non nisi adstante, et eucharistiam pariter suscipiente populo celebrata, sanis porro sacra communio non nisi inter missae solennitatem data est. Quod autem extra ordinem antea fiebat, in vsum dein communem abiit, vt nempe et missae fierent, aliis non communicantibus, et sacra communio etiam extra missarum solennia distribueretur. Inde nunc *missa publica* et *solennis* audit, quae, siue sint, qui de sacra mensa participent, siue non, in conuentu populi celebratur; *priuata* autem, quae absente populo peragitur (*a*).

(*a*) Conc. Trid. XXII. Cap. 6. et can. 8. *de Sacrif. miss.*

§. 690. Canones de ea.

Generaliter vero canones de celebratione missae sic statuunt: 1. Vnam tantum missam in die sacerdoti facere licet, nisi grauis necessitas iterationem postulet (*a*). 2. Missa facienda est in ecclesia, vel capella publica, non in oratorio priuato, nisi episcopus speciatim concesserit (*b*). 3. Ex antiquissimo, et in omnibus sacrorum rituum libris praescripto ritu in altari, in quo missa celebratur, imago Christi crucifixi inter duo saltem cum accensis cereis

candelabra ponenda est. 4. Sacerdos indutus sit vestimentis consuetis, omnesque ritus ac cerimonias, ab ecclesia probatas, sancte obseruet, omnemque diligentiam adhibeat, vt, quanta maxima fieri potest, pietate ac veneratione opus adeo sanctum et diuinum peragatur (c). 5. Sacerdos porro vnum saltem ministrum, populi vice respondentem (d), eumque marem adhibeat, necesse est (e).

(a) Can. 53. Dist. I. *de consecr.* Cap. 3. 5. 12. *de celebr. miss.* Excipe diem natalem Saluatoris nostri, quo tres missas, et vnam quidem media nocte, facere permissum est. Can. 48. Dist. *cit.* Cap. 3. *cit.* E contrario die parasceues et Sabbatho sancto nullam missam facere licet, eoquod *traditio ecclesiae habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Can. 13. Dist. III. *de consecr.* (b) Can. 1. 11. 12. 33. 34. Dist. I. *de consecr.* Cap. 14. *de celebr. miss.* (c) Can. 9. Dist. XXXIII. Conc. Trid. XXII. Cap. 5. et Decret. de celebr. miss. (d) Olim duo requirebantur. Can. 61. Dist. I. *cit.* (e) Cap. 1. *de cohab. cler. et mulier.*

§. 691. Mos antiquus oblationum inter Missam.

Sicut olim omnes, missam audientes, communionem accipere, ita panem quoque ac vinum ad consecrationem, quin et res alias ad clericorum et pauperum sustentationem ad altare offerre solebant. Postea vero populus, quo rarius communicare, eo libentius rerum loco nummos offere coepit, quos cum sacerdotes, missam facientes, sibi vindicarent, simulque opinio ingrueret, missam pro iis praecipue dici, salutaremque effici, pro quibus speciatim sacri-

ficans eam fecerit; tunc mos, inter missam nummos offerendi, penitus fere extinctus, extra illam vero ea conditione dandi inductus est, vt sacerdos pro eo missam celebrare teneretur, pro quo eam celebrari stipendium soluens voluerit (*a*).

(*a*) Morem hunc non ante Seculum VIII. inductum, neque passim vbique ante seculum XII. receptum esse, rerum eccles. scriptores testantur. Vid. Benedictus XIV. de Synod. dioeces. Lib. V. Cap. 8.

§. 692. Inde stipendia missarum.

Inde *stipendia* seu *honoraria missarum* ortum trahunt, quae quidem, vt pro se aliisue preces ad Deum fundantur, recte dari, et vel *beneficii*, vel *elemosynae*, vel praestitae *peculiaris operae* titulo honeste accipi possunt. Quod autem de *fructu speciali* diuini sacrificii certae personae, pro qua sacerdos missam facit, applicando traditur, in opinione est, ideoque cordatiores monent, satius esse, pie ac religiose missam audire, quam curare, vt pro se celebretur.

§. 693. Ritus eucharistiam in ostensoriis exponendi.

Etsi a primis inde ecclesiae seculis consuetudo fuerit, eucharistiae sacramentum asseruandi, illud tamen inter missarum solennia tantum, et communionem palam populo exhibere, caeteroquin in capsa, *ciborium* dicta, eaque vel e columna arae suspensa, vel in sacrarium inclusa, custodire moris erat. Cum vero Vrbanus IV., et post hunc Clemens V. papa diem festum corporis Christi instituisset (*a*); vsus sensim inualuit, eo primum die, tum aliis quoque

diebus festis augustissimum Sacramentum, initio coopertum, adhibitis postea *ostensoriis* seu *monstrantiis* conspicuum in *processionibus* circumferendi, illudque in ecclesiis ad adorationem exponendi. Qui ritus, vtut recentior, a catholica tamen de sacramento eucharistiae doctrina minime alienus est (*b*).

(*a*) Cap. vn. *de reliq. et vener. sanct.* in Clem. (*b*) Conc. Trid. XIII. Cap. 5. et Can. 6. *de Euchar.* Falsissimum est, quod aduersarii aiunt, nulla adorationis eucharistiae vestigia ante Seculum XIII. apparere. Vid. Engelb. Klüpfel *Theolog. dogmat.* P. II. Lib. III. § 77.

§. 694. Vnctio extrema.

Vnctio extrema, olim *infirmorum* dicta, est Sacramentum, cuius materia est vnctio corporis humani per oleum sacrum (§. 791.), effectus gratia diuina, decumbentem confortans, eiusque peccata abstergens (*a*).

(*a*) Iacob. V. 14. 15. Cap. vn. § 1. 2. *de sacr. vnct.* Conc. Trid. XIV. Cap. 1. 2. et Can. 1. 2. *de sacram. extr. vnct.*

§. 695. Eius minister.

Minister, vt in aliis sacramentis, est sacerdos (*a*), in ecclesia Latina etiam vnicus (*b*), in Graeca plures adhibentur, qui et ipsi oleum consecrant. Sit autem sacerdos inungendi proprius, scilicet parochus (§. 539.); alius non nisi necessitate vrgente rem hanc *licite* peragit (*c*).

(*a*) Can. 2. 3. Dist. XCV. Conc. Trid. Cap. 3. et can. 4. *loc. cit.* (*b*) Cap. 14. *de V. S.* (*c*) Cap. 1. *de Priuileg.* in Clem.

§. *696.* Eiusdem forma.

Forma consistit in precatione, quam sacerdos aegrotum inungendo verbis, in sacrorum rituum libro praescriptis, ad Deum fundit (*a*).

(*a*) Conc. Trid. Cap. 1. *loc. cit.*

§. 697. Reliqua hic obseruanda.

De reliquo hic obseruamus: 1. Sacra haec vnctio solis grauiter decumbentibus administratur, non iis, quibus mors aliunde imminet, nec infantibus, aliisue, qui rationis vsum nunquam habuerunt. 2. Vnctio facienda est in quinque sensuum instrumentis; vrgente vero necessitate vnctio vnius sensus, vel capitis sufficit. 3. Ex ritu apud nos vsitato vnctio fit, postquam aegrotus sacrum viaticum accepit. Olim mos contrarius obtinuit, non improbandus, vbi adhuc viget. 4. Nihil impedit, quo minus iteretur, si nimirum infirmus conualuit, et postea in morbum lethalem incidit (*a*).

(*a*) Conc. Trid. Cap. 3. *loc. cit.*

CAPVT VI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

§. 698. Matrimonium.

Matrimonium, (alias *coniugium*, *connubium*, *nuptiae*) est *coniunctio maris et feminae*, *indiuiduam vitae consuetudinem continens* (*a*), ad procreandam

vtique, et educandam sobolem (*b*) mutuumque adiutorium inita (*c*). Matrimonium quatenus mutuo partium consensu constituitur, *inchoatum*; quatenus per coniunctionem corporum ad generationem prolis aptam perficitur, *consummatum* appellatur (*d*), eoque respectu matrimonii nomine saepius illud tantum intelligitur, quod perfectum est et consummatum (*e*).

(*a*) §. 1. Instit. *de patr. potest.* Can. 3. XXVII. q. II. Cap. 11. *de praesumt.* (*b*) *Deus masculum et feminam propagandi generis causa nuptiali castitate coniunxit.* Augustin. ap. *Gratian.* Can. 12. XXXI. q. I. (*c*) *Nuptiarum bonum est infirmitatis remedium, humanitatis solatium.* Augustin. ap. *eund.* Can. 41. XXVII. q. I. (*d*) Can. 36. 37. XXII. q. II. (*e*) Can. 16. 17. *ibid.* Cap. 5. *de bigam. non ord.*

§. 699. Ex lege Christiana Sanctum et Sacramentum.

Naturalem matrimonii sanctitatem Christus Dominus ita confirmauit et auxit, vt esset 1. *vnum*, vnius nempe viri cum vna tantum muliere consortium (*a*); 2. *stabile*, et voto certe atque proposito ad dies vitae duraturum (*b*); 3. *Signum* ac *Symbolum* aeternae coniunctionis Christi cum ecclesia (*c*); 4. aptum denique elementum ad rationem sacramenti accipiendam. Et hoc quidem sensu *matrimonium* ex perpetua vniuersae, tum Graecae, tum Latinae ecclesiae traditione *Sacramentum* dicitur, cuius materia est foedus coniugiale, effectus gratia diuina ad officia coniugum inter se, et erga liberos adimplenda (*d*).

(*a*) Matth. XIX. 3—9. Cap. 8. *de diuort.* (*b*) Luc. XVI. 18. Cap. 4. *de consanguin.* (*c*) *Sacramentum*

hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in ecclesia. Ephes. V. 22—32. Can. 17. XXVII. q. II. Cap. 5. *de bigam.* (*d*) Conc. Trid. XXIV. Can. 1. *de sacram. matrim.*

§. 700. Eius materia, forma et minister.

Ita quidem matrimonium, legitime contractum, apta est ad Sacramentum *materia*; at Sacramentum non est, nisi minister idoneus sacram formam addiderit. *Minister* autem absque dubio est sacerdos, isque, siquidem iustus et validus contractus matrimonii detur, etsi parochus non sit, *valide* Sacramenti rationem tribuit, adhibita nimirum *forma* (benedictione sacramentali), quae ex ritu ecclesiae nostrae in his, vel aequipollentibus verbis: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris etc.* consistit (*b*).

(*a*) Quod nunc parochus requiratur, id ad contractum matrimonii, vt validus sit (§. 756.), non ad sacramentum pertinet. (*b*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 1. *de reform. matrim.*

§. 701. Absona de his aliorum opinio.

Fuerunt quondam plures, et adhuc permulti sunt in ea opinione, ac si *materia* Sacramenti coniugalis in mutuo consensu contrahentium, *forma* in verbis aut signis, consensum illum exprimentibus, consisteret, contrahentes autem sibi vicissim *ministri* essent. Sed hi quam inepte materiam in animi motu, formam in materia, et ministrum extra sacerdotium quaerant, ii solum non vident, apud quos tantum opinio praeiudicata potest, vt etiam sine ratione valeat (*a*).

(*a*) *Equidem baptisma sacramentum esse scio, sed*

si formam sacram ministrumue non habeat, baptismus erit, sacramentum non erit. Vnctionis quoque sacramentum agnosco; sed sine sacra forma, sine ecclesiae ministro, vnctio quidem esse poterit, sacramentum vero esse non poterit. Poenitentiae demum sacramentum amplector; at sine forma sacra et ministro poenitentiam reperio, sacramentum reperire nec debeo, nec vero possum. Sic igitur, tametsi matrimonium sacramentum est, non ideo tamen coniugium quodcunque venerari cogimur, sed id, quod formam sacram habeat, et a vero ecclesiae ministro consecratum sit. — — Quod si nullo idoneo argumento, sed stultis turbulentisque clamoribus alienas refellere sententias pergunt, atque adeo damnare, quae probabiliter, et vere dicta sunt, tum nos in quiete et silentio taciti illorum stultitiam amentiamque ridebimus. Melchior Canus *de loc. theolog.* Lib. VIII. Cap. 5.

§. 702. Ritus in ministrando matrimonii Sacramento praescripti.

Vt autem Sacramentum matrimonii digne, atque decenter obeatur, praeter alias cerimoniae laudabiles, in quauis dioecesi vsitatas, hoscc speciatim ritus seruare oportet: 1. Matrimonio iungendi Sacramenti poenitentiae et eucharistiae vsu animos procurent (*a*). 2. Consecratio matrimonii in ecclesia, tanquam proprio Sacramentorum loco, non nisi ex graui causa in aedibus priuatis fiat. 3. Sacerdos, pronuntiata sacra forma (benedictione sacramentali), annulum sponsalitium benedictione afficiat, sponsoque tradat (*b*); dein 4. missam pro sponso et sponsa, vti in missali habetur, celebret, itaque praeces ibi praescriptas, quae *benedictionis ritualis*, seu *solennis* nomine veniunt, pro illis fundat (*c*). 5.

Haec autem benedictio in secundis ex vtraque vel alterutra parte nuptiis non adhibeatur, nisi consuetudo aliud ferat (*d*).

(*a*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 1. *de Ref. matrim.* (*b*) Can. 3. 7. XXX. q. V. (*c*) Can. 2. 5. *ibid.* Conc. Trid. *loc. cit.* Quod benedictio haec persaepe extra missarum solennia, et extra ecclesiam detur, id praeter ordinem praescriptum fieri solet. (*d*) Cap. 1. 3. *de secund. nupt.*

SECTIO II.

DE CONTRACTU ET SOCIETATE CONIUGIALI.

CAPVT I.

DE CIUILI ET ECCLESIASTICA IN MATRIMONIUM POTESTATE.

§. 703. Iura principum in matrimonia.

In natura *imperii ciuilis* inest *ius*, vti de aliis rebus et negotiis ciuilibus, ita quoque, et tanto magis *de matrimonio*, causisque ad illud pertinentibus statuendi, quanto maius hae momentum ad rem ciuilem habent (§. 128.). *Principis* igitur est, 1. ea, quae de foedere coniugali diuinitus constituta sunt (§. 123.), tueri ac firmare; 2. caetera tum ineundi, tum seruandi coniugii iura et officia ita definire, prouti boni communis ratio exigere videtur. Inde 3. ius

principis, legum, de matrimonio a se latarum, gratiam faciendi, iudicia de iis exercendi, earumque violatores poenis afficiendi.

§. 704. Iura potestatis eccles. in ea.

Potestatis ecclesiasticae partes hac in re sunt, 1. diuinas de sanctitate et sacramento matrimonii leges, ceu *fidei morumque dogmata*, docere et explanare, 2. *Canones* non solum de *Sacramento* pie decenterque administrando, sed de ipso etiam *contractu* matrimonii pro ratione, quam ad morum honestatem habet, illos quidem *liturgiae*, hos autem bonae *disciplinae* causa praescribere (*a*). Hinc 3. ius sacrorum antistitum de canonibus istis *dispensandi*, lites de iis motas cognoscendi, eorumque violatoribus sacramenti participationem aliaque communionis ecclesiasticae iura denegandi.

(*a*) *Semper in coniunctionibus naturale ius, et pudor inspiciendus, et non solum, quid liceat, considerandum est, sed et quid honestum sit.* L. 14. §. 2. L. 42. *de R. N. Sancta enim res est matrimonium, et sancte tractandum.* Conc. Trid. XXIV. Cap. 10. *de Reform. matrim.*

§. 705. Limites sacrae potestatis.

Sed eo sacra haec potestas non pertinet, vt matrimonium, quod lege diuina permissum, et ciuili probatum est, irritum facere, aut, quod lege ciuili damnatum est, validum reddere suo iure posset. Neutrum sane ex eo consequitur, quod duplici respectu canones de matrimonio condendi ius potestati ecclesiasticae tribuamus; scimus enim, hanc ita comparatam esse, vt

imperii ciuilis in illud iuribus nihil derogare (§. 130.), illud ergo, quod princeps, salua lege diuina, ratum habet, non euertere, nec, quod reprobat, sustinere possit.

§. 706. Impedimenta matrimonii ciuilia et eccles.

Siue autem matrimonium, vt potestati ciuili, siue vt potestati ecclesiasticae obnoxium consideretur; variae vtrinque rationes et causae occurrunt, quae illius contrahendi interdictionem postulant. Eiusmodi rationes et causae *impedimenta matrimonii* vocantur, eaque sunt 1. *diuini* vel *humani iuris*, et haec quidem vel *ciuilia*, vel *ecclesiastica*, vel *mixta*, prout vel ciuilis, vel ecclesiasticae, vel vtriusque potestatis iure posita sunt; 2. *publica* vel *priuata*, prouti vel honestatis, et boni communis causa, vel in eorum, quorum res agitur, fauorem constituta sunt; 3. *impedientia*, vel *dirimentia*, prouti matrimonium, quamuis illicitum, perstare sinunt, vel nullum plane ac irritum reddunt; 4. *manifesta* seu *notoria*, vel *occulta*, prouti vel publice, vel priuatim, et familiariter tantum nota sunt (*a*).

(*a*) Id autem *publice notum*, seu *notorium* esse censetur, de quo vel ex *actis iudicialibus*, veluti ex *confessione* iudiciali, aut ex *probatione* in iudicio peracta, aut ex *sententia*, a iudice competente lata, vel ex *euidentia rei* ita constat, vt nulla tergiuersatione celari possit. Cap. 7. 10. *de cohab. cleric. et mulier.* Cap. 24. *de V. S.* Vnde *notorietas* alia *iuris*, alia *facti* appellari solet.

§. 707. Eorum ad se inuicem ratio.

De his diuisionibus generaliter annotamus:

1. Omnia *iuris diuini impedimenta* sunt *naturalia* (§. 22.), et quidem, prouti vitium obnuntiant, quod vel naturam matrimonii, in se spectati, afficit, vel in externa tantum circumstantia consistit, vel *dirimentia*, vel *impedientia*, ciuili et ecclesiastico iure explanatius definita (*a*). 2. Impedimenta *ciuilia* pariter vel *impedientia*, vel *dirimentia* sunt; at *proprie ecclesiastica* non nisi *impedientia* esse possunt. Potestas nempe ecclesiastica contractum matrimonii, diuina et ciuili lege tectum, irritum facere nequit (*b*); impedimentum autem iuris humani Sacramentum dirimens (§. 47.), plane repugnat (*c*). 3. Impedimentum *dirimens*, vt vim suam exserat, *antecedens* esse debet; *superueniens* vsum matrimonii quidem impedit, illudque, vt aiunt, *claudicare* facit; sed eius vinculum non soluit (*d*).

(*a*) Sic *ligamen* est impedimentum iuris diuini, dirimens; at *votum* castitatis est tantum impediens. Sic etiam neglectio *consensus parentum* matrimonium facit iure diuino illicitum, sed non irritum, nisi lex ciuilis irritum esse iubeat. Eiusdem generis est impedimentum *disparis cultus*, de quo propterea TERTVLLIAN. ad uxor. II. 2. ait: *Dominum magis ratum habere, matrimonium non contrahi, quam omnino disiungi.* Rem hanc praeclare illustrat *Gratian.* ad Can. 23. §. 5. XXII. q. IV. (*b*) Cum matrimonia iure diuino illicita, tamen valida, et seruanda sint, qua ratione iure diuino et ciuili licita vi potestatis ecclesiasticae irrita reddi, et solui possent? Quod *votum* castitatis *solenne* et *ordo sacer* impedimenta dirimentia sint, id iure ciuili primum constitutum, canonico dein firmatum, et ex vtroque ita receptum est, vt vis dirimens ex lege ciuili, impediens tantum ex ecclesiastica (§. 415.) pendeat. (*c*) Sacramenti matri-

monii participatio vel administratio multis modis illicita esse potest; vt autem, data debita materia, et adhibita per sacerdotem forma sacra, sacramentum irritum sit, nulla lege humana effici potest. (*d*) Can. 25. 26. XXXII. q. VII.

§. 708. Vtriusque potestatis iura initio seruata.

Ius ecclesiasticum antiquum, hisce principiis innixum, alia impedimenta *dirimentia* praeter ciuilia non habuit. Illius nempe conditores non obscure fatebantur, suarum partium non esse, eiusmodi impedimenta constituere. Argumento sunt omnes priorum seculorum ea de re canones, qui illas tantum nuptias, tanquam irritas, reprobarunt, quae legibus principum penitus damnatae erant; alia autem matrimonia, veluti clericorum (§. 412.), et clandestina (§. 752.), quamuis ea nunquam non valde improbassent, sancte tamen seruanda esse iusserunt (*a*).

(*a*) Augustinus de Ciuit. Dei XV. 16. consobrinorum nuptias non probauit, legitimas tamen esse ideo dixit, *quia eas nec diuina lex prohibuit, et nondum prohibuerat humana.* Quin et falsus *Isidorus* Can. 2. XXXV. q. II. III. in nuptiis consanguineorum ad *diuinas* tantum, et *seculi leges* prouocauit.

§. 709. Tum sola fere potestas eccles. de matrimonio statuit.

Cum vero principes Christiani causas matrimoniales, eas praesertim, quae vinculi perpetuitatem attingebant, episcoporum iudicio deferre solerent, concilia autem et pontifices ea de re canones identidem ederent, omnes porro sanctum et religiosum quid in matrimonio non sine causa suspicerent; ea tandem inde a seculo

XII. opinio inualuit, de matrimoniis Christianorum leges faciendi statuendique ius ad solam potestatem ecclesiasticam pertinere, causas igitur matrimoniales, cum iisque connexas (§. 190.) non nisi in foro ecclesiastico pertractandas esse (*a*). Cum insuper plerique persuasi essent, vniuersum regimen ecclesiasticum ex vnius fere summi pontificis iudicio pendere, non poterat non consequens videri: 1. solius Papae esse ius impedimenta matrimonii *dirimentia* constituendi (*b*); 2. eundem solum in eiusmodi impedimentis, siue manifesta, siue occulta sint, siue de contrahendo, siue de iam contracto matrimonio agatur, *dispensare* posse (*c*); 3. episcopalem dispensandi potestatem partim ex facultatibus, a summo pontifice concedi solitis (§. 89. 496.), partim ex vsu et consuetudine (§. 325.) aestimandam esse (*d*).

(*a*) Cap. 12. *de excess. praelat.* Conc. Trid. XXIV. Can. 12. *de sacr. matrim.* et Cap. 20. (*b*) Episcopos impedimenta *impedientia* constituere posse, ex eo colligunt, quod matrimonium quibusdam ad tempus interdicere possint. (*c*) Idem de impedimento *impediente* ex *sponsalibus*, et ex *voto castitatis* integrae ac perpetuae, vtpote *reseruato*, statuunt. Eiusmodi dispensationes in impedimentis *occultis* per *poenitentiariam*, in *manifestis* per *datariam* summi pontifices impertire solent (§. 231.). Quo modo in vtraque petendae sint, fuse lateque enarrant Reifenstuel Iur. canon. Lib. IV. in appendice, et Pichler Candid. Iur. sacr. Lib. IV. Tit. 16. §. II. III. (*d*) Ex vsu et consuetudine, suoque adeo iure episcopi in impedimentis haud admodum grauibus, praesertim occultis, siue contractum, siue contrahendum sit matrimonium, dispensare solent, quoties grauior causa vrget, et valde difficilis est accessus ad papam

Cum ex facultatibus illis dispensant, non *ordinaria* et *sua*, sed *delegata* potestate vti censentur. Secundum *leges Austriacas* pro dispensatione in impedimentis, occultis aeque ac manifestis, nemini amplius licet curiam Romanam, aut nuntiaturam pontificiam implorare; dispensationis ecclesiasticae igitur indigi eam ab episcopo petere debent, hunc autem leges admonent, vt suo magis iure, quam facultatibus illis hac in re vtatur. Constit. 74. 77. 80. 81. in Collect. cit.

§. 710. Id principum indulgentia factum.

At vero, rebus hisce diligentius perlustratis, plane apparet, omnia impedimenta *dirimentia*, quae in iure canonico habentur, ad *contractum*, non ad *Sacramentum matrimonii* pertinere (*a*), re ipsa igitur, quatenus dirimentia sunt, *ciuilia* non ecclesiastica esse. Adde, quod non a conciliis et pontificibus primum constituta, sed ex iure ciuili desumta (*b*), deinde doctorum iuris canonici, et quam maxime summorum pontificum interpretatione partim circumscripta, partim dilatata fuerint. Vnde colligimus, concilia et pontifices tantam, qua in contractum matrimonii posterioribus demum seculis vsi sunt, potestatem non tam suo iure, quam ex indulgentia, et permissione principum exercuisse (*c*).

(*a*) Secundum ipsos canones, et nouissima Concilii Tridentini decreta matrimonium omnino validum, quin Sacramenti rationem habeat, iniri potest. (*b*) Hoc vno forsitan excepto, quod a Concilio Tridentino (§. 756.) de forma matrimonii, valide contrahendi, editum est. (*c*) Non obstant Can. 4. 12. Conc. Trid. XXIV. *de Sacram. matrim.*, vti supra iam (§. 74. 150.) monuimus.

§. 711. Hinc nouae leges matrimoniales.

Hinc principes, cura legum hac in parte ferendarum rursus suscepta, peculiares, queis contractus societasque coniugialis regeretur, leges constituerunt (*a*), quae etsi principii loco ponunt, natura legeque diuina ad matrimonium habiles ad illud inhabiles reddendi, sicque impedimenta *dirimentia* inducendi vim a sola lege ciuili (§. 705.) repetendam esse (*b*); vim tamen canonum, *impedientia* eiusmodi impedimenta efficiendi (§. 706.) infregisse, minime censendae sunt. Adhuc igitur causae *matrimoniales*, prouti de illarum ad leges vel ciuiles vel ecclesiasticas, ratione quaeritur, vel ciuili, vel ecclesiastico foro subiectae sunt.

(*a*) Exemplo sunt *leges Austriacae*, inde ab an. 1783., et *Badenses*, inde ab an. 1807. de coniugio promulgatae, quarum sanctiones, quatenus iuri communi aliquid addunt, vel detrahunt, positionibus nostris subiiciemus; illas autem, quas *Codex Napoleonus* hac de re protulit, consulto praetermisimus. (*b*) Equidem Conc. Trid. XXIV. Cap. 1. *de Reform. matrim.* formam matrimonii solenniter contrahendi his verbis definiuit. *Qui aliter matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse, declarat, prout eos praesenti decreto irritos facit, et annullat.* Sed hoc quaeritur, vtrum patres concilii vi potestatis ecclesiasticae, suoque adeo iure (§. 710.) ita statuerint? An non vis obligatoria huius decreti ex approbatione principum et receptione magis, quam ex auctoritate Concilii §§. 102. 219.) pendeat?

§. 712. Regulae de iure dispensandi.

Vnde, quod ad *ius dispensandi* in impedi-

mentis matrimonii *speciatim* attinet, plane consequitur: 1. impedimenta, quae in iure canonico descripta, sed in legibus istis silentio praeterita sunt, *ecclesiasticam* tantum (*a*), quae canonibus incognita, et nunc primum legibus hisce constituta sunt, *ciuilem* tantum dispensationem (*b*) desiderare; 2. impedimenta, iure canonico notata, vnaque nouis principum legibus comprobata, tum ecclesiastica, tum ciuili dispensatione indigere (c).

(*a*) Eaque dispensatio secundum leges *Austriacas* petentibus gratis semper ab episcopo concedenda est; nisi nimirum grauissimam ob causam deneganda videatur. Constit. 84. 85. 89. 91. in Collect. *cit.* (*b*) Dispensandi facultatem leges *Austriacae* regimini prouinciali, Constit. 100. Collect. *cit. Badenses* §. 9. 59. superiori magistratui disciplinae publicae tribuunt. (c) Quam ob rem *leges Austriacae* episcopum prius adire partes iubent, vt sciatur, vtrum is, suo nomine ac iure dispensaturum se, promittat, an dispensationem plane fors deneget, an vero a curia Romana impetrandam esse existimet. Si primum, dispensatio ciuilis statim concedenda; si alterum, pariter deneganda; si tertium, regimen prouinciae episcopo curiam Romanam adeundi veniam dabit, exhibita dein dispensatione pontificia, ciuilem quoque impertiet. Decret. aul. 8. Febr. 1790. et 3. August 1796., et 16. Mai 1807. Quodsi tale impedimentum *occultum* matrimonio siue contrahendo, siue iam contracto obstat, illud ad normam poenitentiariae pontificiae (§. 709.) tollendum est. Parochus scilicet, vel Confessarius rem a partibus sibi commissam, tectis earum nominibus, ad episcopum refert, qui dein dispensationem ciuilem a regimine prouinciae expetit, et facile impetrat. Petitio ista ad praesidem regiminis dirigenda, et ab hoc, quin ad protocollum exhibito,

rum, et cancellariam detur, expedienda est. Constit. 77. 80. Collect. *cit.* Decret. aulic. 6. Septemb. 1791. et 3. Febr. 1803.

CAPVT II.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IMPEDIENTIBVS.

IV. 4. De Sponsa duorum.
— 6. Qui clerici vel vouentes matrimonium contrahere possunt.
— 16. De matrimonio contracto contra interdictum ecclesiae.

§. 713. Impedimenta eiusmodi quatuor.

Impedimenta matrimonii *impedientia* ex iure communi *quatuor* tantum sunt, scilicet *sacratum tempus*, *vetitum*, *sponsalia*, *votum*, aliis omnibus, quae magno olim erant numero, vel contraria consuetudine, vel expressa lege (*a*) dudum sublatis. Ex illis vero sponsalia *priuati*, reliqua *publici* impedimenti (§. 704.) rationem habent.

(*a*) Ita impedimentum *Catechismi* dictum, Cap. 5. *de cognat. spirit.* Cap. 2. *eod.* in VI. a Conc. Trid. XXIV. Cap. 2. *de Reform. matrim.* abrogatum est.

§. 714. Sacratum tempus.

Tempus sacratum, seu *clausum*, in diuersis ecclesiis olim diuersum (*a*), iure nouo est ab aduentu Domini vsque ad diem epiphaniae, et a die cinerum vsque ad octauam post pascha. Intra hoc autem tempus non ipsum matrimo-

nium, silentio et sine pompa contrahendum, vetatur; sed solennitates nuptiarum tantum interdicuntur (*b*), veluti sunt solennis earum benedictio, domum deductio, nuptialia conuiuia, aliaeque eius generis festiuitates (*c*).

(*a*) Can. 8—11. XXXIII. q. IV. Cap. 4. *de Fer.* (*b*) Conc. Trid. XXIV. Can. 11. et Cap. 10. *de Reform. matrim.* Antiquissimum hoc ecclesiae Christianae praeceptum *lex Austriaca* constit. 101. in Collect. *cit.* diserte confirmat; lex *Badensis* §. 22. omnes per totum annum dies sabbathi et dominicos addit, hebdomade autem sancta ipsam quoque copulationem coniugalem interdicit. (*c*) Rit. Rom. *de Sacram. matrim.*

§. 715. Vetitum.

Vetitum hoc loco est interdictum iudicis, ne matrimonio iungantur, quorum legitimae coniunctioni aliquid obstare videtur (*a*). Itaque matrimonium, insuper habito interdicto initum, illicitum quidem est, validum tamen, nisi dirimens quoddam impedimentum subsit (*b*).

(*a*) Recte etiam parochus copulationem iis negat, qui religionis suae doctrinas, scitu necessarias, ignorant. Rit. Rom. *loc. cit.* Id quod lege *Austriaca* (16 Ian. 1807.) speciatim firmatum est. (*b*) Cap. 1. 2. 3. *de matrim. contr. interd.* Nec obstat. Cap. 4. *de spons. duor.*

§. 716. Sponsalia.

Sponsalia matrimonium, cum alio aliaue contrahendum, vtique impediunt, cum nefas sit, videm datam violare; contractum tamen non dirimunt, eoquod fortius nuptiarum, quam sponsalium vinculum videatur (*a*).

(*a*) Cap. 22. 31. *de sponsal.* Cap. 1. *de spons. duor.* Vbi sponsalia nullam ad matrimonium ineundum obligationem inducunt, adeoque irrita sunt, vti ex lege *Austr.* et *Bad.* (§. 748.), ibi nulla quoque huius impedimenti ratio haberi potest.

§. 717. Votum.

Matrimonia ab iis, qui *voto continentiae* se obstrinxerunt, contracta, impia quidem, et damnatione digna (*a*), attamen valida, neutiquam ergo dissoluenda esse, veteres tradiderunt (*b*). Cum vero leges ciuiles clericorum, sacrarum virginum et monachorum nuptias penitus damnassent (*c*), tum concilia quoque et pontifices eas irritas esse, edixerunt (*d*). *Gratianus*, vt priores et posteriores ea de re canones in concordiam reduceret, *illos* de *simplici* voto, *hos* de eo, *cui benedictio consecrationis*, *vel propositum religionis accessit*, quodque postea *solenne* dictum est, intelligendos esse, docuit (*e*).

(*a*) Can. 4. 5. 9. Dist. XXVII. (*b*) Can. 2. 3. Dist. *cit.* Can. I. XX. q. III. Can. 12. 41. XXVII. q. I. (*c*) L. 5. 44. 45. Cod. *de episc. et cler.* Can. 30. *loc. cit.* (*d*) Can. 6. 7. 8. Dist. XXVII. Can. 39. 40. XXVII. q. I. (*e*) Ad Can. 8. Dist. *cit.*

§. 718. Scilicet simplex.

Cum vero adhuc dubitaretur, quodnam votum adeo solenne sit, vt matrimonium dirimendi vim habeat, Bonifacius VIII. ea tandem declaratione dubium sustulit, illud duntaxat votum sollenne esse, quod solennizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut professionem religiosam (*a*). Nunc igitur omnia

alia' vota, quantumuis publice et solenniter facta, *simplicia* vocantur, planique iuris est, votum simplex de castimonia seruanda matrimonium contrahendum quidem impedire, contractum vero non dirimere (*b*).

(*a*) Cap. vn. *de vot. et vot. redemt.* in VI. (*b*) Cap. 4. 5. 6. *Qui cler. vel vouent.* Leges nostrae de voto, vt impedimento impediente, silent, illudque, ceu rem, ad conscientiam pertinentem, foro ecclesiastico relinquunt.

CAPVT III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII DIRIMENTIBVS EX DEFECTV CONSENSVS.

IV. 9. De Coniugio Seruorum.
— 15. De frigidis et maleficiatis, et impotentia coeundi.

§. 719. Impedimenta eiusmodi quindecim.

Impedimenta matrimonii dirimentia ius nostrum *quindecim* numerat, notis versiculis comprehensa (*a*). Ea ad quatuor classes reuocari possunt: alia nempe 1. ex defectu consensus, alia 2. ex statu et conditione personarum, et speciatim 3. ex consanguinitate et affinitate oriuntur, quibus 4. accedit, quod de legitima matrimonii forma constitutum est.

(*a*) *Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,*

Aetas, *affinis*, si *clandestinus*, et *impos*,
Si mulier sit rapta loco, *nec reddita tuto*.

Ex his *priuata* sunt *error*, *conditio*, *vis* et *impotentia*; reliqua autem *publicorum* rationem habent.

§. 720 Consensus mutui ad matrimonium ratio.

Primum atque praecipuum matrimonii fundamentum est mutuus eorum, de quorum coniunctione agitur, consensus (*a*), si non verbis, aliis saltem signis certis perspicue declaratus (*b*), utpote *sine quo caetera nequeunt foedus perficere coniugale* (*c*). Nihil autem consensui tam contrarium est, quam *vis* ac *metus* (*d*), *dolus* et *error* (*e*), queis quatenus matrimonium infirmetur, nunc videamus.

(*a*) L. 30. *de R. I.* Can. vn. XXX. q. II. Cap. 3. *de spons. duor.* (*b*) Ita *surdus* et *mutus* matrimonium recte contrahit, *cum, quod verbis non potest, signis valeat declarare.* Cap. 23. *de sponsal.* (*c*) Cap. 26. *eod.* (*d*) L. 116. *de R. I.* (*e*) L. 15. *de Iurisd.* L. 8. 9. Cod. *de I. et F. I.*

§. 721. Error substantialis.

Error substantialis, seu is, qui contingit circa ipsam personam, qua cum quis contrahere se putat, irritum omnino reddit matrimonium (*a*). Sed errori *accidentali*, circa dotes nempe, et qualitates personae, etsi ex alterius dolo sit, ea vis non est tributa (*b*), nisi vel in errorem ipsius personae redundet, vel consensus certae qualitati, in modum conditionis, expresse sit adiunctus (*c*), vel eiusmodi qualitas lateat, quae, si cognita fuisset, communi hominum existimatione consensum plane sustulisset (*d*).

Frustra autem vitium erroris praetendit, qui, eo cognito, siue verbis, siue factis, veluti continuata cohabitatione, se consentire, declarauit (*e*).

(*a*) Cap. 26. *de sponsal.* (*b*) Cap. 25. *de Iurei.* Vid. *Gratian.* XIX. q. I. Excepto *errore conditionis seruilis*, qui, licet error circa ipsam personam non sit, matrimonium tamen irritum efficit. Can. 1. seq. XXIX. q. II. Cap. 1. 2. 4. *de coniug. seru.* (*c*) Si quidem, vt lege *Austriaca* (Constit. 87. §. 29. Collect. cit.) et *Badensi* §. 10., cautum est, pars altera defectum illius qualitatis scienter celauerit, eumue non subesse, falso dixerit. (*d*) Eiusmodi qualitas ex lege *Austriaca* (Constit. cit. §. 30.) est grauiditas, a tertio sponsae illata. Ad hanc lex *Bad.* 3. cit. *addit* fastidiosum, et vix sanabilem morbum, item morbum, per interualla recurrentem, quo vel rationis vel membrorum corporis vsus impeditur, delictum porro proprie criminale. (*e*) Cap. 2. 4. *de coniug. seru.*

§. 722. Impotentia.

Error porro *substantialis* censetur, si quis coniugem accepit, concubitus plane impotem (*a*). Eiusmodi coniuges ita quidem, si volunt, permanere, atque instar fratris et sororis cohabitare possunt (*b*); saluo tamen vtriusque iure petendi a iudice, vt, nullum esse inter se matrimonium, pronuntietur. Fiet istud, eique, qui impotens non est, vel vtrique, si impotentia tantum *respectiua* est, aliud matrimonium ineundi copia dabitur, siquidem impotentia *antecedens* (*c*), perpetua et *insanabilis* (*d*), et *legitime*, hoc est, medicorum et obstetricum testimoniis *probata* fuerit (*e*); in dubio autem tum demum, si coniuges, continuata per triennium a die initi matrimonii cohabitatione, de impotentia

adhuc durante iusiurandum *cum septima propinquorum manu* dederint (*f*).

(*a*) Cum *impotentia concubitus* confundenda non est *impotentia* liberos *generandi*, seu *sterilitas*, quae matrimonio haud obstat. Can. 27. XXXII. q. VII. Mares impotes generali nomine *spadones* vocantur. L. 128. *de V. S.*; proprie autem *spado* dicitur, qui sua natura; *eunuchus*, seu *castratus*, qui ex accidenti impos est. *Illius* matrimonium *ius ciuile* permittit. L. 39. §. 1. *de iur. dot.*, at *ius canonicum* vtrumque minime aptum ad nuptias reputat, quatenus vterque impotentia concubitus laborat. Cap. 2. *de frigid.* Coniugia *senum* ius *ciuile* approbat L. 27. Cod. *de nupt.*, *canonicum* de iis silet. (*b*) Cap. 4. 5. *de frigid.* (*c*) Impotentia *superueniens* matrimonium non soluit (§. 704.). Aliter sensisse videtur Gregorius II. in Can. 18. XXXII. q. VII. Sed *illud Gregorii sacris canonibus, immo euangelicae et apostolicae doctrinae penitus inuenitur aduersum. Gratian.* ad can. *cit.* In dubio, an impotentia antecedens fuerit, vel non, ex lege *Bad.* §. 8. prius praesumitur. (*d*) Cap. 3. *de frigid.* (*e*) Cap. 6. 7. *eod.* Cap. 4. 14. *de Probat.* (*f*) Nouell. XXII. Cap. 6. Can. 1. 2. XXXIII. q. I. Cap. 1. 5. *de frigid.* Leges nostrae de hoc iureiurando silent; de reliquo plane consentiunt.

§. 723. Vis et metus.

Vis metusque grauis et *iniustus*, consensus matrimonialis extorquendi causa a quocunque demum incussus, matrimonium pariter euertit (*a*), etsi forte iusiurandum interuenerit (*b*). Sed hoc quoque vitium abstergitur, si cessante vi, metuque sublato, consensus vel *expressus*, vel per concubitum, aut spontaneam cohabitationem *tacite* declaratus, consequatur (*c*).

(*a*) L. 14. Cod. *de Nupt.* Cap. 14. 15. 28. *de spon-*

sal. (*b*) Cap. 2. *de eo, qui dux. in matrim.* (c) Cap. 21. *de sponsal.* Cap. 4. *Qui matrim. accus.* Ex lege *Bad.* §. 9. pars, vim et metum passa *expresse* non nisi coram testibus, et *tacite* tum demum consensisse censetur, si vel sponte cum altera parte concubuit, vel per sex menses iudicem implorare neglexit.

§. 724. Raptus.

Inter *raptorem* et *raptam* nullum, etsi rapta postmodum consentiret, matrimonium esse posse, iure ciuili et canonico constitutum erat (*a*). Postea placuit, valere matrimonium, si rapta consenserit (*b*). Cum vero eius consensui, quamdiu in potestate raptoris est, parum fidendum sit, iure nouo tum demum rapta vxor fieri potest, si a raptore separata, et in loco tuto constituta, eundem virum habere postulauerit (c).

(*a*) L. vn. *Cod. de Rapt. virg.* Can. 11. XXXVI. q. II. (*b*) Cap. 6. 7. *de Raptor.* (c) Conc. Trid. XXIV. Cap. 6. *de Reform. matr.*

CAPVT IV.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBVS EX CONDITIONE PERSONARVM.

IV. 2. *De desponsatione impuberum.*
— 4. *De sponsa duorum.*
— 6. *Qui clerici vel vouentes matrimonium contrahere possunt.*
— 7. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*
— 21. *De secundis nuptiis.*

§. 725. Aetas immatura.

Non omnes, qui in nuptias consentire pos-

sunt, easque facere cupiunt, ita quoque comparati sunt, vti tum naturales, tum ciuiles honesti iustique matrimonii rationes postulant. Huc imprimis pertinent *impuberes*, qui ob immaturam aetatem potentia generandi carere censentur; masculi nempe XIV., feminae XII. annis minores (*a*). Vnde cum impubere nullum fieri potest matrimonium (*b*), nisi forte ex vrgentissima causa permissum sit (*c*), aut malitia, vt aiunt, aetatem suppleuerit (*d*).

(*a*) Pr. Instit. *de Nupt.* Cap. 3. *de despons. impub.* (*b*) Cap. 10. 11. *eod.* (*c*) Cap. 2. *eod.* (*d*) Cap. 9. 14. *eod.* Cap. vn. §. 1. *eod.* in VI. Lex *Badensis* §. 4. ad validum matrimonium *plenam* pubertatem, in maribus scilicet XVIII., in feminis XIV. annos requirit. Ex eadem lege aetas in masculis XXV., in feminis XVIII. annis minor impedimentum impediens inducit.

§. 726. Matrimonia liberorum et minorennium.

Iure *Romano* nuptiae liberorum consistere non possunt sine parentum, in quorum potestate sunt, consensu (*a*). Iure *canonico antiquo* ob reuerentiam et obsequium, naturae lege omnibus parentibus debitum, eorum, siue patres, siue matres essent, consensus, generaliter necessarius erat (*b*); iure autem *nouo* valida videbantur matrimonia liberorum insciis licet, aut inuitis parentibus contracta (*c*).

(*a*) L. 2. *de R. N.* L. 5. 12. Cod. *de Nupt.* Igitur nec matris, nec curatoris consensus requirebatur, immo nec patris in nuptiis filii emancipati. L. 20. 25. *de R. N.* L. 8. Cod. *de Nupt.* (*b*) Can. 1. XXX. q. V. Can. 12. XXXII. q. II. Can. 2. §. 1. XXXV. q. VI. Cap. 3. *Qui matr. accus. poss.* (*c*) Conc. Trid. XXIV.

Cap. 1. *de Ref. matrim.* Legibus *Austriacis* ea de re cautum est. 1. Minores XXIV. annis, nuptias facturi, consensum patris legitimi, eoque defuncto, aui paterni semel atque iterum expetere debent; accepta autem repulsa iudicem adire possunt, qui auditis partibus, consensum, sine iusta scilicet causa negatum, suppleat. 2. Si praeter patrem aut auum tutor, aut curator liberis datus est, huius quoque consensus requiritur, dissentiente autem parente et eiusmodi tutore, iudex, quod aequum videtur, decernat. 3. Patre et auo defunctis non solum tutoris aut curatoris, sed etiam iudicis consensus necessarius est; illo autem consensum immerito negante, iudicis, consensus sufficiat. 4. Nulla plane sunt matrimonia, insciis et inuitis illis inita, quorum consensum lex requirit. 5. Qui plenae aetatis sunt, patris aut aui consensu quidem non indigent, hoc tamen illoue reclamante, iure dotem petendi excidunt, et exheredari possunt. 6. Nulla insuper sunt matrimonia *militum*, aliorumque foro militari subiectorum, sine consensu praefecturae militaris contracta. 7. Matrimonia, a subditis Austriacis in terris exteris inita, ratione formae contrahendi ex legibus exteris, quod vero ad consensum, aetate minoribus et militibus necessarium, aliaque impedimenta publica attinet, ex legibus patriis aestimanda sunt. Constitut. 64. §. 1. Constit. 87. §. 5—13. §. 24. Constit. 95. 99. 102. Collect. cit.

Lex *Badensis* §§. 11. 12. ita statuit: 1. Filii XXV. et filiae XVIII. annis minores vtriusque parentis consensum reuerenter expetere, eoque non impetrato, donec eos annos transegerint, expectare debent. Tum demum magistratum adire possunt, vt eius auctoritate consensus, quem parentes adhuc negarent, suppleatur. 2. Sicut matre dissentiente patris, ita hoc defuncto, et curatore dissentiente, matris consensus sufficit. 3. Aui et auiae parentis defuncti vicem obtinent, si nepotes filiorum filiarumue loco susceperint. 4. Minorennes, parentibus et auis orbi, curatorum consensu indigent. 5. Liberi illegitimi matris

tantum consensu opus habent; si vero pater eos agnouerit, et veluti legitimos curauerit, eius consensus, ac si legitimi essent, omnino requiritur. 6. Matrimonia, insciis aut inuitis illis, quorum consensus ex lege requiritur, inita, irrita sunt. 7. Liberi semel matrimonio iuncti, ad secundas nuptias parentum consensum petere non tenentur. 8. Matrimonium a subdito extra territorium Badense illicite initum, valet quidem, sed ius ciuitatis reo adimit. 9. Duces militum superiores, non impetrata venia, valide quidem nuptias faciunt; sed officio et dignitate excidunt; aliorum vero militum matrimonia, sine consensu praefecturae militaris inita, plane nulla sunt.

§. 727. Ligamen.

Qui legitimi matrimonii vinculo vni obstrictus est, quamdiu illud durat, nec alium coniugem accipere, nec pellicem habere potest (*a*). Polygamia nempe simultanea non solum iuri humano, tum ciuili (*b*), tum canonico (*d*), sed etiam diuino (§. 698.) aperte repugnat (*c*).

(*a*) L. 144. *de V. S.* L. vn. Cod. *de Concubin.* (*b*) §. 6. 7. Instit. *de Nupt.* L. 2. Cod. *de incest. nupt.* (*c*) Can. 4. XXXII. q. IV. Cap. 3. 5. *de spons. duor.* Cap. 8. *de diuort.* (*d*) Conc. Trid. XXIV. Can. 2. *de sacr. matrim.*

§. 728. Nuptiae secundae.

Dissoluto autem per mortem coniugis matrimonii vinculo, ad secundas vlterioresque nuptias transire omnino licet (*a*), et quamuis iure *Romano* vxor maritum per annum elugere tenebatur (*b*), eam tamen legem poenasque, in citius nubentes constitutas, ius *canonicum* sustulit (*c*). Sed tum demum secundis nuptiis lo-

cus datur, si de morte coniugis legitima probatio afferri potest (*d*).

(*a*) Can. 10—13. XXX. q. I. (*b*) L. 1. 2. Cod. *de secund. nupt.* (*c*) Cap. 4. 5. *eod.* Lex *Bad.* §. 13. matrimonio, siue per mortem dissoluto, siue per sententiam iudicis irrito declarato, antequam ad secunda vota transeatur, viduam nouem, viduum tres menses exspectare iubet. Secus si fit, validum quidem est matrimonium, sed poenae obnoxium. (*d*) Cap. 2. *eod.* Cap. 19. *de sponsal.*

§. 729. Votum solenne et ordo sacer.

Eiusdem fere, vt matrimonio iuncti conditionis sunt *clerici* maiorum ordinum (§. 413.), et *professionis religiosae* vinculo obstricti (§. 437.). Irrita enim sunt tum horum (*a*), tum illorum matrimonia (*b*), posthac scilicet contracta (*c*). Nam matrimonium, antea initum, quamdiu *ratum* tantum est, professio religiosa tollit (§. 436.); ordo autem sacer ne ratum quidem, multo minus consummatum dissoluit (*d*).

(*a*) Cap. vn. *de vot.* in VI. Cap. 3. 7. *Qui cler. vel vouent.* (*b*) Cap. 1. 2. *eod.* (*c*) Conc. Trid. XXIV. Can. 9. *de sacr. matrim.* (*d*) Cap. vn. *de vot.* Extrau. Ioan. XXII.

§. 730. Cultus disparitas.

Sapienter Romani matrimonium non solum consortium omnis vitae, sed et *diuini et humani iuris communicationem* appellarunt (*a*), antiquissimi autem canones, alienum a fide catholica coniugem accersere, prohibuerunt (*b*). Interim tamdiu valida censebantur matrimonia inter personas religioni vtcunque diuersae addictas,

donec Christianorum cum Iudaeis coniugia lege *ciuili* proscripta sunt (*c*). Tum vero consuetudo generaliter obtinuit, nulla esse Christianorum cum quibuscunque aliis, qui Christi nomen non profitentur, matrimonia. Inde consequi videbatur, matrimonia inter Christianos, fidei professione licet dispariles, valida esse (*d*).

(*a*) L. 1. *de R. N.* (*b*) *Caue, Christiane, gentilem aut Iudaeam atque alienigenam, hoc est, haereticam, et omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi.* Ambrosius ap. *Gratian.* Can 15. XXVIII. q. I. *De coniugiis, quae sibi primitus copulantur, ne nubat femina non suae religionis viro, vel ne vir talem ducat vxorem, id iubet Dominus, docet apostolus, vtrumque praecipit testamentum.* Augustin ap. *eund.* Can. 9. §. 6. *loc. cit. Non oportet cum hominibus haereticis miscere connubia, et vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros, et catholicos.* Conc Agathen ap. *eund.* Can. 16. *loc. cit.* (*c*) L. 6. *de Iudae. et coelic.* Can. 17. *loc. cit.* (*d*) At vero matrimonia eiusmodi in *foro interno* plerumque *illicita* esse, addita praesertim conditione de prole in aliena religione educanda, vna est, eademque consentiens omnium theologiae, et iuris nostri interpretum sententia. Vid. Benedict. XIV. de Synod. dioeces. Lib. VI. Cap. 5. Hinc *lex Austriaca* 29. August. 1788. parochi prudentiae committit, partem catholicam de iis admonere, quae ad officium conscientiae hac in re pertinent. Huiusmodi porro matrimonia a sacerdote nec benedictione, nec alio ritu sacro (§. 702.) afficienda esse, idem Benedict. XIV. *loc. cit.* §. 5. docet, *quoniam nihil horum ad matrimonii validitatem interuenire necesse est.* Quodsi vero nuda et muta, omnique ergo prece ac ritu vacua parochi praesentia ad validum matrimonium sufficit (§. 757.), quid amplius leges ciuiles a parocho catho-

lico exigere possint, non apparet. Caeterum, qua religione instituendi sint liberi parentum diuersae religionis, lege *Austriaca* sic definitum est, vt, patre catholico liberi vtriusque sexus religione patris, matre autem catholica filii patris, filiae matris religione imbuantur. Constit. 15. §. 6. Collect. *cit.* Lex *Badens.* omnes liberos semper religioni patris addicit, nisi pacto, coram magistratu et ante nuptias inito, aliud cautum sit, quod tamen in locis, vbi vtriusque religionis exercitium viget, nunquam ita fieri potest, vt liberi vtriusque sexus religionem matris sequantur. *Edict. Constit. Bad.* I. §. 6.

§. 731. Crimen adulterii et coniugicidii.

Quod iure ciuili dudum sancitum erat, inter *adulterum* et *adulteram* nullum vnquam fieri matrimonium posse (*a*), idem canones statuerant (*b*). Postea autem, *Gratiano* interprete (*c*), receptum est, adulterantes tum demum spe coniugii excidere, si vel data fide futuri matrimonii adulterium admiserint, vel alterutra pars vitae insidias coniugi innocenti struxerit (*d*). Quibus additum est, vt nec coniux, qui in necem alterius coniugis cum tertio conspirauit, cum hoc tertio matrimonium habere vllo vnquam pacto possit (*e*).

(*a*) L. 27. Cod. *ad leg. Iul. de adult.* Nouell. CXXIV. 12. (*b*) Can. 1. 2. 3. XXXI. q. I. (*c*) Ad Can. 3. cit. (*d*) Can. 4. 5. *loc. cit.* Cap. 3. 6. 7. *de eo, qui dux. in matrim.* Ex lege *Austriaca* solum adulterium, quouis modo commissum, irritas facit adulterantium nuptias, dummodo ante eas iudiciali probatione innotuerit. Constit. 87. §. 22. Collect. *cit.* Ex lege *Badensi* §. 7. nullum est matrimonium coniugis, ob adulterium repudiati, cum parte adulterii rea, quamdiu coniux repudians viuit. (*e*) Ex lege

Austr. Constit. *cit.* §. 23. et *Bad.* §. *cit.* idem obtinet, siue conspiratio facta sit, siue non, siue tertius, siue coniux occiderit.

CAPVT V.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EX COGNATIONE ET AFFINITATE.

IV. 11. *De cognatione spirituali.*
— 12. *De cognatione legali.*
— 13. *De eo, qui cognouit consanguineam vxoris suae, vel sponsae.*
— 14. *De consanguinitate et affinitate.*

§. 732. Cognatio triplex.

Cognatio, seu *consanguinitas* est connexio personarum ex *generatione* vel *vera*, vel *ficta*, hoc est, ex adoptione aut baptismo et confirmatione prouenieus: vnde in *naturalem*, *legalem* et *spiritualem* distinguitur. *Cognatio naturalis* omnes, vera generatione iunctos, complectitur, siue vtrumque parentem siue vnum tantum communem habeant, siue a virili, siue a muliebri sexu originem ducant (*a*), siue ex iustis nuptiis, siue ex illicito damnatoque concubitu prognati sint (*b*), *quoniam in contrahendis matrimoniis naturale ius, et pudor inspiciendus est* (*c*).

(*a*) Angustiori quodam sensu *cognati* dicuntur, qui per muliebris, *agnati*, qui per virilis sexus personas cognatione iuncti sunt. §. 1. Instit. *de legit. agnat. tut.* (*b*) L. 54. *de R. N.* (*c*) L. 14. §. 2. *eod.*

§. 733. Gradus et Lineae.

Cognatio ex gradibus et lineis aestimatur.

Gradus est distantia cognatorum inter se; *linea* autem est series cognatorum ad communem stipitem relata, eaque vel *recta*, quae genitores et genitos, *ascendentes* et *descendentes*, exhibet, vel *obliqua*, seu *transuersa*, quae *collaterales*, seu genitos complectitur, ab eodem quidem genitore, ceu *communi stipite*, descendentes, sed quorum alter alterum non genuit (*a*). Linea haec rursus vel *aequalis* vel *inaequalis* est, prout personae, de quarum cognatione quaeritur, *eodem*, vel *diuerso* graduum numero a communi stipite distant (*b*). Nexus inter cognatum, a communi stipite remotiorem, et illum, qui *immediate* sub eo est, *respectus parentelae* vocatur, et personae, inter quas respectus parentelae est, parentum et liberorum loco sibi esse dicuntur (*c*).

(*a*) L. 10. §. 9. 10. *de grad. et adfin.* (*b*) Descriptio graduum cognationis, alioqui *arbor consanguinitatis* dicta, cuius §. 9. Instit. *de grad. cogn.* mentio fit, vna cum explicatione ad Can. 6. XXXV. q. V. adiecta est. (*c*) §. 5. Instit. *de Nupt.* L. 39. *de R. N.*

§. 734. Computatio graduum.

Computatio graduum alia iure *ciuili*, alia *canonico* constituta est. In linea *recta* quidem eadem vtrinque obtinet regula: *tot sunt gradus, quot sunt generationes*, seu *personae*, *vna*, stipite scilicet, *demta*. Dum vero in linea *obliqua* ius *ciuile* eandem regulam seruat, atque ita vtrumque latus numerat (*a*); ius contra *canonicum*, vnum duntaxat latus computando, hanc habet regulam: *tot gradibus collaterales distant inter se*,

quot alteruter in linea aequali, remotior in inaequali distat a communi stipite (*b*). Quo primum tempore, et qua occasione differentia haec introducta sit, haud satis constat. Id certum est, ecclesiae praesules prioribus seculis computatione ciuili vsos esse, canonicam vero seculo XI. ab Alexandro II. peculiari decreto stabilitam (*c*), vbique dein receptam, et ad id vsque tempus in causis matrimonialibus vsitatam fuisse.

(*a*) §. 7. instit. *de grad. cogn.* (*b*) Praestat autem illius quoque, qui propior stipiti est, gradum indicare, dicendo, si v. g. de nepote fratris et filia sororis quaeritur, illum *gradu tertio secundum attingente* huic iunctum esse. (*c*) Can. 2. XXXV. q. V. Gregorium M. computatione iuris ciuilis adhuc vsum esse, ex §. 5. Can. *cit.* lucide apparet. Computationis canonicae vestigia ex seculo VII. et VIII. exhibent. Can. 1. 4. *loc. cit.*

§. 735. Affinitas, eiusque gradus.

Affinitas est connexio inter coniugem vnum et alterius coniugis cognatos. Per nuptias enim duae cognationes diuersae copulantur, et altera ad alterius cognationis finem ita accedit, vt omnes quidem cognati viri fiant affines vxori, et omnes cognati vxoris fiant affines viro (*a*), cognati tamen viri et vxoris nullam inter se affinitatem contrahant (*b*). Gradus autem affinitatis a consanguinitate ita ducuntur, vt, quo quis gradu vnum ex coniugibus cognatione attingit, eodem gradu alteri coniugi affinis fiat (*c*).

(*a*) L. 4. §. 3. *de grad. et affin.* (*b*) Cap. 5. *de consang. et affin.* (*c*) Can. 3. XXXV. q. V. Hinc inter vtriusque coniugis parentes, fratres, et sorores, inter compriuignos nulla est affinitas.

§. 736. Affinitas illegitima.

Per nuptias duae cognationes tum demum *re ipsa* copulantur, cum, illis consummatis, duo facti sunt vna caro (*a*). Sed haec vnio in concubitu illegitimo non minus, quam in legitimo contingit (*b*). Vnde 1. *affinitas*, sicut cognatio, vel *legitima* est, ex iustis ergo nuptiis, vel *illegitima*, ex alio concubitu orta (*c*). 2. Affinitas *superueniens*, vtique *illegitima*, per concubitum scilicet coniugis cum alterius consanguineis contracta, matrimonium quidem haud dirimit (§. 707.), attamen *claudicans* reddit (*d*). 3. Nec sponsalia, nec nuptiae, tantummodo *ratae* affinitatem inducunt (*e*).

(*a*) Matth. XIX. 5. 6. Can. 1. XXXV. q. X. (*b*) I. Cor. VI. 16. Can. 12. XXXII. q. IV. (*c*) *Cum enim cognatio* (illegitima) *intelligitur, quare non et affinitas intelligatur?* L. 14. §. 3. *de R. N.* Falluntur ergo, qui ex L. 4. §. 8. *de grad.* colligunt, ius Romanum nullam affinitatem illegitimam agnoscere; hanc sane agnoscit, cum filium patris sui concubinam ducere, aut in concubinatu habere prohibet. L. 4. Cod. *de Nupt.* (*d*) Cap. 1. sq. *de eo, qui cognou. consang.* (*e*) Cap. 5. *de Bigam. non ord.*

§. 737. Leges Mosaicae et Romanae de gradibus prohibitis.

Mosaicae et *Romanae* de prohibitis ob cognationem et affinitatem nuptiis *leges* mire inter se consentiunt (*a*). Vtraeque enim hasce secundum computationem iuris ciuilis regulas ponunt, videlicet 1. nullas esse posse nuptias inter ascendentes et descendentes in *linea recta* in infinitum, vtique sine discrimine (§. 732.) siue

legitima, siue illegitima sit cognatio (*b*); 2. in linea *obligua* pariter reprobandas esse nuptias inter eos, qui *secundo* aut *tertio* cognationis gradu iuncti sunt (*c*); *quartum* vero vlterioresque (*d*) gradus non obstare, nisi illis, inter quos *respectus parentelae* intercedit (*e*); 3. eandem rationem in affinitate seruandam, eodemque adeo gradu nuptias ob affinitatem, ac ob cognationem prohibitas esse (*f*).

(*a*) Leges *Mosaicae* ea de re memorantur Leuit. XVIII. 7—18. XX. 11—21. Deuter. XVII. 22. 23. Non putamus, vt Protestantes contendunt, omnes istas leges morales (§. 22.), adeoque obligatorias esse, vt *dispensationem* non admittant. Conc. Trid. XXIV. Can. 3. *de sacram. matrim.* (*b*) §. 1. Instit. *de Nupt.* L. 53. 54. 68. *de R. N.* (*c*) Itaque prohibitae sunt nuptiae inter fratres et sorores siue germanos, siue vterinos, siue consanguineos, immo et vulgo quaesitos. §. 2. Instit. *eod.* L. 17. Cod. *eod.* L. 54. *de R. N.*; item nuptiae *filii* cum patris vel matris sorore, *amita* scilicet vel matertera, nec non *filiae* cum patris matrisue fratre, *patruo* nempe vel *auunculo*. §. 3. 5. Instit. *eod.* L. 17. Cod. *cit.* L. 9. Cod. *de incest. et inut. nupt.* (*d*) Ita permissae erant nuptiae inter consobrinos §. 4. Instit. *eod.* L. 3. *de R. N.* L. 19. Cod. *de Nupt.* Vnde et neptem aui sui ducere olim licebat. (*e*) Hinc nec filiam aui mei, nec proneptem sororis meae ducere possum. §. 3. 5. Instit. *cit.* L. 39. pr. *de R. N.* (*f*) Ergo non subsistunt nuptiae inter vitricum et priuignam, nouercam et priuignum, inter socerum et nurum, socrum et generum. §. 6. 7. Instit *de Nupt.* L. 4. §. 7. *de grad. et affin.* Nec frater fratris viduam, nec soror sororis viduum ducere potest. L. 5. *Cod. de incest. nupt.* Et cum illicitae essent nuptiae vitrici cum priuigni vidua L. 15. *de R. N.*, mariti cum filia, quam vxor ex alio procreauit, patris cum filii, et huius cum illius sponsa §. 9. Instit.

de Nupt.; dubitari vix potest, quin Romani etiam improbauerint nuptias inter nepotem et patrui viduam, inter neptem et amitae viduum, aliosque ex *respectu parentelae* affines. Valent contra nuptiae inter comprivignos §. 8. Instit. *eod* L. 34. §. 2. *eod de R. N.*, inter quos nulla plane est affinitas.

§ 738. Eorum nimia amplificatio.

Atque ad has tantum leges antiqui canones prouocant, et, quin valida essent matrimonia inter cognatos et affines, legibus istis permissa, nemo tunc dubitauit (§ 708.) Sed inde a Seculo VIII. parum abfuit, quin ex generali legis Mosaicae interdicto, nec quis ad proximam sanguinis sui accedat (*a*), omnes, cuiuscunque gradus essent, cognati a nuptiis arcerentur (*b*), nisi ius Romanum, quod septem gradus successionis cognatorum habet (*c*), exemplo fuisset, septimum computationis ciuilis gradum tanquam finem cognationis, constituendi (*d*). Introducta porro computatione canonica (§. 734.), eo deuentum est, vt impedimentum cognationis ad decimum quartum computationis ciuilis gradum extenderetur (*e*). Idem non solum ad totidem gradus affinitatis productum (*f*), sed triplex etiam affinitatis genus receptum est (*g*).

(*a*) Leuit. XVIII. 6. (*b*) Can. 18. XXXV. q. II. III. (*c*) §. 5. Instit. *de success. cogn.* Can. 6. *ibid.* q. V. (*d*) Argumento erant falsi, ac interpolati canones, veluti Can. 1. 7. 16. 20. §. 1. ibid. q. II. III. Can. 1. 2. *ibid.* q. VII. (*e*) Can. 2. *ibid.* q. V. (*f*) *Ita ab vxoris, sicut a viri consanguineis abstinendum est.* Can. 22. *ibid.* q. II. III. Cap. 1. *de consang. et affin.* (*g*) Secundum vulgatam olim regulam, tot esse affinitatis genera, quot eiusdem affinis matrimonia. Can. 3. 22. *ibid.* q. II. III. Can. 1. seq. *ibid.* q. X.

§ 739. Definita dein moderatio.

Quod cum extra omnem modum esset, ita tandem temperatum est, et quidem I. ratione *cognationis*, 1. vt in linea recta, et ob *respectum parentelae* in *obliqua* ius ciuile, nuptias vtrinque in infinitum prohibens, seruetur (*a*); 2. vt in linea *obliqua aequali* prohibitio vltra quartum, computationis scilicet canonicae, gradum non extendatur (*b*); 3. vt in linea obliqua *inaequali* nuptiae inter eos demum permittantur, quorum alter quinto, alter quarto gradu a communi stipite distat (*c*); II. ratione *affinitatis* 1. vt nulla affinitatis secundi et tertii generis ratio amplius habeatur (*d*); 2. vt affinitas *legitima* ad quartum vsque gradum ita producatur, vt coniux superstes ducere non possit personam, quae coniugem defunctum quarto cognationis gradu attigit (*e*); 3. vt tamen affinitas *illegitima* ad primum et secundum duntaxat gradum pertineat (*f*).

(*a*) Etenim canones antiqui ius ciuile hac in re probarunt, noui autem nihil eidem derogarunt. (*b*) Cap. 1. 8. *de consang. et affin.* (*c*) Cap. 9. *eod.* (*d*) Cap. 8 *cit.* Vnde vitricus priuigni viduam ducere iam potest; nec obstat L. 15. *de R. N.* quae de secundo affinitatis genere, nunc abrogato, statuit. (*e*) Cap. 1. 9. *cit.* (*f*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 4. *de Reform. matrim.* Prorsus nihil autem obstat, quo minus priuignus priuignam, id est, filius vitrici priuignam huius vitrici ducat, adeoque pater et filius cum matre et filia alterius familiae matrimonium ineant. Nihil porro impedit, quo minus duo fratres duas sorores ex alia familia ducant, aut viduus, cuius vxor alterius mariti soror fuit, huius mariti viduam duce-

re possit. Prorsus nulla enim inter istas personas est affinitas.

Leges *Austriacae* impedimentum *dirimens* constituunt: 1. ratione *cognationis* in linea *recta* in infinitum; in *obliqua* inter fratrem et sororem, siue vtrumque, siue alterum tantum parentem communem habeant, inter fratrem et filiam fratris aut sororis, seu, quod idem est, inter filium et amitam vel materteram, inter sororem et filium fratris aut sororis, hoc est, inter filiam et patruum vel auunculum, item inter consobrinos, idque sine discrimine siue legitima, siue illegitima sit cognatio inter designatas personas; 2. ratione *affinitatis* pro vtraque linea idem sancitum est, vt ergo nec cognati suorum in gradu prohibito cognatorum viduas, nec cognatae eorundem sibi cognatorum viduos ducere possint. Constit. 87. §. 17. 18. 19. in Collect. *cit.* Itaque hae leges iuri ciuili addunt, vt ne inter consobrinos nuptiae sint; iuri canonico tertium et quartum gradum ita detrahunt, vt, etsi tertius secundum attingat, tamen nuptiae esse possint, Constit. 89. Collect. *cit.*; de respectu autem parentelae expressam mentionem non faciunt. Ex Constit. 85., an. 1783. edita, in Collect. *cit.* et decret. aulic. 19. Maii 1784. nulla cognationis et affinitatis *illegitimae* ratio in foro ciuili habeatur, nisi si notorietate iuris, et quidem per sententiam iudicis competentis notoria sit; sin aliter, episcopus ceu in re, ad conscientiam pertinente, dispensationem concedat. Ita quidem, si tale impedimentum matrimonio superuenit. Quid autem, si antea aliunde quam ex sententia iudicis notorium est, Caium v. g. illegitimum esse fratrem aut nepotem Berthae? Adde, quod leges posteriores, an. 1786. promulgatae, quas modo ex Constit. 87. § 18. 19. Collect. *cit.* memorauimus, cognationem illegitimam aeque ac legitimam matrimonio obstare, expresse statuant, in affinitate vero eandem, ac in cognatione rationem seruari simpliciter iubeant.

Leges *Badenses* §. 5. iuri ciuili non modo nihil addunt, sed eidem, multoque magis canonico valde detrahunt. Ex iis enim

I. Impedimentum *dirimens* est 1. in linea *recta* inter omnes cognatos et affines, legitimos et illegitimos; 2. in linea *obliqua* inter fratres et sorores, siue vnilaterales, siue bilaterales, siue legitime, siue illegitime natos, 3. inter amitam vel materteram et nepotem, *legitima* cognatione iunctum.

II. Impedimentum tantum *impediens* est 1. cognatio *legitima* inter patruum vel auunculum et neptem (ideo forte, quia lex Mosaica Leuit. XVIII. 12. 13. nepotem tantum ab amita et matertera expresse prohibet, cum tamen eandem omnino rationem neptis ad patruum et auunculum habeat), item inter *legitimos* consobrinos vel semiconsobrinos. 2. *Affinitas legitima* inter fatrem et fratris viduam, inter sororem et sororis viduum.

III Inter alios quoscunque cognatos et affines nuptiae permissae sunt, ideoque dispensationis haud indigae. Vnde 1. *Cognatio illegitima* inter nepotem et amitam vel materteram, inter neptem et patruum vel auunculum, inter consobrinos, vel semiconsobrinos, 2. *affinitas illegitima* inter fratrem et fratris viduam, inter sororem, et sororis viduum nec dirimens, nec impediens impedimentum inducit.

§. 740. Cognatio legalis.

Cognatio *legalis* ex *adoptione* prouenit, cum quis scilicet in patriam potestatem et familiam alterius assumitur. Ex iure *Romano* inter adoptantem et adoptatum, omnesque personas, quae per adoptionem parentum et liberorum loco sunt, nuptiae esse non possunt; inter adoptatum vero, et adoptantis liberos, quamdiu quidem constat adoptio (*a*). Atque ad has leges ius *canonicum* quoque se conformauit (*b*).

(*a*) §. 1. 2. Instit. *de Nupt.* L. 17. 55. *de R. N.*
(*b*) Can. 1. 5. 6. XXX. q. III. Cap. vn. *de cognat. leg.*

In lege *Austriaca et Badensi* nulla fit huius cognationis mentio.

§. 741. Cognatio spiritualis.

Cognationem spiritualem cum ea contrahi, quam quis ex sacro lauacro suscepit, IUSTINIANO propterea visum est, quod nihil magis nuptiarum prohibitionem inducat, quam eiusmodi nexus, per quem animae copulantur (*a*). Quo sumto mox longius et ad eos quoque haec cognatio producta est, qui in confirmatione, a baptismo separata (§. 667.), patrinorum munus obierunt (*b*). Eius igitur coarctandae caussa sancitum est, vt 1. in baptismo et confirmatione vnus tantum, siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus et vna, ceu patrini, adhibeantur, vtque 2. cognatio inter baptizantem, confirmantem et patrinos ex vna, et inter baptizatum, confirmatum eiusque parentes ex altera parte tantum contrahatur (*c*).

(*a*) L. 26. Cod. *de Nupt.* Can. 1. seq. XXX. q. I. Can. 1. seq. *ead.* q. III. Cap. 1. seq. *de cognat. spir.* (*b*) Cap. 1. 3. *de cognat. spir.* in VI. (*c*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 2. *de Reform. matrim.* Lex *Austriaca* 30. Ianuar 1784. cognationem hanc mera fictione nixam, *diserte* abrogauit; lex *Badensis* vero nullam eius mentionem facit.

§. 742. Quasi affinitas.

Etsi sponsalia affinitatem non pariunt, ob honestatem tamen reprobat ius ciuile nuptias inter desponsatum vnum et alterius proximos cognatos (*a*). Inde *iustitia publicae honestatis*, seu *quasi affinitas* dicta est, quam canonum condi-

tores, nimis ante dilatatam (*b*), ad quartum postea suae computationis gradum reduxerunt (*c*), eam tamen sponsalibus, licet inualidis, modo *pura* essent, nec ex defectu consensus nulla, contrahi docuerunt (*d*). Nouissime constitutum est, ex sponsalibus quauis ratione inualidis, nullam prorsus quasi affinitatem oriri, et ex validis ortam ad primum duntaxat gradum pertinere (*e*).

(*a*) §. 9. Instit. *de Nupt.* L. 12. *de R. N.* L. 8. Cod. *de incest. nupt.* (*b*) Can. 11. 12. XXVII. q. II. Cap. 8. *de sponsal.* (*c*) Cap. 8. *de consang. et affin.* (*d*) Cap. vn. *de sponsal.* in VI. (*e*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 3. *de Reform. matr.* Lege *Austriaca* et *Badensi* impedimentum hoc tacite sublatum est, cum vtraque silentio illud praetereat.

CAPVT VI.
DE SPONSALIBVS.

IV. 1. De sponsalibus et matrimonio.
— 5. De conditionibus appositis in desponsatione, vel in aliis contractibus.

§. 743. Sponsalia.

Ad matrimonium non peruenitur statim, atque de eo primus sermo placuit. Praemitti solent *Sponsalia*, conuentio scilicet inter marem et feminam de matrimonio inuicem ineundo (*a*). Ea quidem in iure nostro vel *de praesenti*, vel *de futuro* dicuntur (*b*); cum vero per *illa* ipsum matrimonium intelligunt (*c*): consequens est, sponsalia communi et proprio sensu non esse, nisi de futuro matrimonio.

(*a*) L. 1. 2. *de sponsal.* Can. 3. XXX. q. V. (*b*) Cap. 22. 32. *de spons. et matr.* (*c*) Cap. 31. *eod.* Cap. 3. *de spons. duor.*

§. 744. Inhabiles ad ea.

Sponsalia facere possunt, quicunque possunt consentire in futuras nuptias. Habiles igitur ad ea non sunt 1. furiosi et mente capti (*a*), 2. infantes, septennio scilicet minores (*b*), 3. impedimento matrimonii perpetuo laborantes (*c*).

(*a*) L. 8. *de sponsal* Cap. 24. *eod.* (*b*) L. 14 *eod.* Cap. 4. 5. *de despons. impub.* (*c*) L. 15. 16. *de sponsal.*

§. 745. Sponsalia facere qui possint.

Contra vero sponsalia recte faciunt 1. impuberes, infantia maiores, ita tamen, vt, adepta pubertate, etiam sine causa resilire possint (*a*); 2. parentes pro liberis suis, si hi praesentes sunt, nec contradicunt, vel absentes quidem, sed postea, siue expresse, siue tacite, vota parentum rata habent (*b*); 3. Liberorum autem sponsalia, sine patris, in cuius potestate sunt, consensu, pupillorumque sine tutoris auctoritate facta, ex patris tutorisue voluntate pendent (*c*).

(*a*) Cap. 14 *de sponsal.* Cap. 7. 8. *de despons. impub.* (*b*) Cap. vn. §. 2. *de sponsal.* in VI. (*c*) L. 6. 7. *de sponsal.*

§. 746. Consensus sponsalitius.

Quoniam ad constituenda sponsalia nudus consensus sufficit (*a*), consequens est, inter absentes quoque per litteras, vel procuratorem ea confici posse (*b*), modo adsit consensus 1. *manifestus*, siue verbis, siue aliis signis, pro-

missionem matrimonii plane indicantibus, declaratus (*c*); 2. *mutuus* et *reciprocus*, quem sola vel acceptatio vel taciturnitas non exprimit (*d*); 3. *liber* ac *voluntarius*. Vnde nulla sunt sponsalia, ex errore, matrimonium dirimente (§. 721.) inita, aut vi metuque graui et iniusto (§. 723.) extorta (*e*).

(*a*) L. 4. *de sponsal.* (*b*) L. 18. *eod.* (*c*) Cap. 23. 25. *eod.* (*d*) Cap. 31. *eod.* (*e*) Cap. 15. *eod.* Cap. 11. *de despons. impub.*

§. 747. Sponsalia sub conditione.

Sponsalia porro vel *pure* et *simpliciter*, vel *sub conditione*, hoc est, ita contrahi possunt, vt vis eorum ex euentu incerto et futuro pendeat (*a*). Conditio *turpis* aut *impossibilis*, vt alia pacta, ita et sponsalia irrita reddit (*b*); si autem *honesta est* et *possibilis*, ea pendente, suspensa sunt, ac incerta sponsalia, euentusque exspectandus (*c*); ea impleta, vel remissa, in pura et perfecta abeunt (*d*). Remissio autem conditionis fit non tantum vtriusque, sed solo etiam illius, in cuius fauorem adiecta est, consensu (*e*), eamque *tacite* factam esse, ex interueniente concubitu plane colligitur (*f*).

(*a*) Conditio de euentu praesenti, aut praeterito proprie conditio non est, quia actum, sub ea gestum, non pendentem, aut incertum facit, sed statim, vel ratum, vel irritum esse, hoc ipso ponit, quod praesens, vel praeteritus euentus certo iam sit, vel non sit. L. 100 120. *de V. O.* (*b*) L. 26. 27. *eod.* L. 31. *de O. et A.* (*c*) Cap. 3. 6. *de condit. appos.* (*d*) L. 11. §. 1. *Qui pot. in pign.* (*e*) Cap. 1. *de condit. appos.* (*f*) Cap. 6. *eod.* Immo concubitus inter de-

sponsos verum olim matrimonium efficiebat. Cap. 30. *de sponsal.;* hodie (§. 756.) sponsalia conditionata in pura commutat.

§. 748. Item sub arrha et poena.

Insuper sponsalibus addi potest 1. *arrha*, tanquam signum perfectae sponsionis, ab eo, cuius culpa matrimonium non sequitur, vel amittenda, vel restituenda in simplo, si aetate minor, in duplo, si maior sit (*a*). 2. *Sponsalitia largitas*, seu donatio futuri matrimonii causa, eo non secuto, ad dantem reditura, nisi ipsius culpa subsit (*b*); quin et 3. *poena*, ab iniuste resiliente parti laesae exsoluenda (*c*).

(*a*) L. 3. 5. Cod. *de sponsal.* L. 15. Cod. *de episcop. aud.* (*b*) L. 15. Cod. *de donat. ante nupt.* (*c*) Non obstat Cap. 29. *de sponsal.*, vbi de sponsalibus infantis, quae per se nulla sunt, sermo est.

§. 749. Obligatio ex Sponsalibus.

Quod ad vim et efficaciam sponsalium attinet, ex iis iure *Romano* nulla dabatur actio, eoquod sub tacita conditione, nisi aliter placuerit, inita esse crederentur (*a*) Sed iure *canonico* sancitum est, vt, qui de matrimonio contrahendo fidem dedit, ad eam vel liberandam, vel satisfactionem parti laesae praestandam, iudicis auctoritate compelleretur (*b*).

(*a*) L. 1. Cod *de sponsal.* L. 2. Cod. *de Repud.* Et ideo nec poena, in stipulationem deducta, peti poterat. L. 134 *de V. O* Nihilominus Romani infamia eos notarunt, qui bina sponsalia eodem tempore contraxerunt. L. 1. *de his, qui not. infam.* (*b*) Cap. 2. 10. 17. *de sponsal.* Secundum legem *Austriacam* Constit. 83. 87. §. 1. 2. in Collect. *cit.* et *Bad.* §. 14.

ex sponsalibus, quauis solennitate factis, etsi concubitus interuenerit, et sponsa grauida sit, nulla ad matrimonium contrahendum obligatio ciuilis, nulla actio nascitur. In lege tamen *Bad* §. 15. 16. cautum est, vt, qui, initis sponsalibus, litteras, coniugium permittentes, a magistratu impetrauit, et propterea sumtus ad nuptias fecit, satisfactionem, vel partium conuentione definitam, vel a iudice moderandam, intra sex menses a die datae, vel post hos repeditae permissionis a resiliente petere possit, nisi ipse in culpa sit, quod alter resilierit. Resiliens sine iusta causa ad mulctam porro condemnandus est.

§. 750. Dissolutio eorum.

Sponsalia, etsi iurata, mutuo, quo facta sunt, consensu dissoluuntur (*a*). Inuita autem parte altera iustam resiliendi causam praebet 1. violatio fidei sponsalitiae, eorumque neglectio, quae pacta et promissa erant (*b*), 2. insignis rerum mutatio, qua cognita aut praeuisa fidem alter non dedisset (*c*).

(*a*) L. 35. *de R. I.* Cap. 1. *de R. I.* Cap. 2. *de sponsal.* (*b*) Huc pertinet fornicatio, nisi paria delicta mutua compensatione tollantur. Cap. 6. *de adult.*, mutatio religionis Cap. 2. *de diuort.*, sponsalia vel nuptiae cum alia persona Cap. 31. *de sponsal.*, discessus et absentia Cap. 5. *eod.*, culpa ob non adimpletam conditionem, aut non factas intra tempus praefinitum nuptias admissa Cap. 22. *eod.* (*c*) Eius generis mutatio est morbus fastidiosus, aut vix sanabilis Cap. 3. *de coniug. lepros.*, deformitas, aliudne siue corporis siue animi vitium, iactura item bonorum, aliaque ex personarum rerumque adiunctarum ratione aestimanda. Cap. 25. *de Iurei.*

CAPVT VII.
DE MATRIMONIO LEGITIME CONTRAHENDO.

IV. 3. De clandestina desponsatione.

§. 751. Consensus facit nuptias.

Notissimum iuris Romani, et canonici antiqui axioma est, neque ritus, neque tabulas, neque concubitum, sed consensum nuptias facere (*a*). Attamen negotii huius grauitatem postulare, vt, adhibitis ritibus, publice, immo religiose celebretur, omnium fere gentium instituta testantur.

(*a*) L. 30 *de R. I.* Can. 1 — 6. XXVII. q. II. Cap. 23. 25. *de sponsal.*

§. 752. Matrimonia clandestina olim valida.

Itaque mirum non est, quod ecclesiae praesules nunquam non praeceperint, acriusque monuerint, vt nuptias facturi ecclesiae eas denuntiarent, et a sacerdotali benedictione auspicarentur (*a*). Nihilominus iidem matrimonia, inter domesticos parietes, sine teste, sine sacerdote conflata, quod legibus permissa essent, tanquam vera et legitima matrimonia agnouerunt (*b*), et, si contrahentes ea posthac palam facere voluissent, tanquam a principio in conspectu ecclesiae celebrata, comprobarunt (*c*).

(*a*) Can. 1 — 6. XXX. q. V. (*b*) Cap. 9. 15. 30. *de sponsal.* (*c*) Cap. 2. *de cland. despons.*

§. 753. Tum proscripta.

Et hoc quidem iure vti libuit, vsque dum *Concilii Tridentini* patres non solum antiqua de desponsis, antequam copularentur, publice in ecclesia denuntiandis, praecepta instaurarunt, sed, vt malus iste nuptias clanculum faciendi vsus funditus tolleretur, certam quoque eas valide celebrandi formam constituerunt.

§. 754. Denuntiatio publica.

De *denuntiatione*, seu proclamatione desponsorum ita cautum est: 1. Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festis in ecclesia publice, inter quos illud contrahendum sit, denuntietur. 2. An, petita dispensatione, vna tantum, an nulla plane denuntiatio facienda sit, episcopi prudentiae ac iudicio relinquitur. 3. Matrimonium, neglectis denuntiationibus, contractum, si aliud nihil obstat, validum est; sed parochus per triennium ab officio suspendatur, contrahentibus vero condigna poenitentia iniungatur (*a*).

(*a*) Cap. 1. *de clandest. despons.* Conc. Trid. XXIV. Cap. 1. *de Reform. matrim.* Ad haec leges *Austriacae* addunt: 1. Denuntiatio in vtraque parochia fiat, si sponsus vel sponsa alterius parochiae est, nisi in altera per sex saltem hebdomades antea habitauerit; 2. Dispensatio non ab episcopo, sed a magistratu disciplinae publicae petatur, non nisi grauem ob causam concedenda; 3. Remissa omni denuntiatione, partes iurent, se nullius impedimenti, lege constituti, conscientia teneri; 4. Irritum plane sit matrimonium neglectis denuntiationibus, et non impetrata dispen

satione, contractum. Constit. 87. §§. 35—38. Constit. 88. 100. 101 Collec. cit.

Leges *Badenses* §§. 17. 18. 21. ea de re statuunt: 1. Denuntiationes non fiant, nisi vtraque pars facultatem nuptias faciendi a magistratu disciplinae publicae impetrauerit, eiusque rei fidem parocho fecerit; 2. Denuntiationes per interualla octo dierum, et, si alterutra pars nondum per tres saltem menses in parochia habitauit, in eius quoque parochia fiant; 3. Remissio denuntiationum, seu dispensatio a magistratu ciuili requiratur; 4. Copulatio, hisce neglectis, facta, valida quidem sit; sed parochus et contrahentes poena afficiantur.

§. 755. Denuntiatio priuata.

Sicut denuntiationes *publice* fiunt, vt, quod forte subest, impedimentum detegatur, atque ita matrimonia illegitima praecaueantur, ita denuntiationem *priuatim* facere dicitur, qui, inter matrimonio iungendos impedimentum esse, nuntiat (*a*). Talis denuntiatio in impedimentis *priuatis* plane voluntaria est, et ab iis, eorumue parentibus, et curatoribus tantum, in quorum fauorem constituta sunt, fieri potest; in *publicis* autem impedimentis parochi inprimis est, an eorum quoddam inter desponsos adsit, inquirere, eoque comperto ad iudicem referre (*b*); omnes porro, qui eiusmodi impedimenti notitiam habent, illud parocho vel iudici nuntiare tenentur (*c*). Neque plena hic probatio requiritur, cum probabilis coniectura, et vnius testimonium sufficiat (*d*), vt copulatio tamdiu suspendatur; vsque dum, causa cognita, quid agendum sit, pronuntietur (*e*).

(*a*) Cap. 13. *de despons. impub.* (*b*) Cap. 3. *de*

clandest. despons. (c) Cap. 7. *de cognat. spirit.* Lex *Bad.* §. 56. hanc obligationem parochis, et locorum praefectis speciatim iniungit. (*d*) Cap. 22. *de testib.* Cap. 12. 27. *de spons. et matrim.* (*e*) Cap. 3. pr. *de clandest. despons.* Lex *Bad.* §. 54. inter impedimentum *irremissibile* et *remissibile* distinguit. *Illo* nuntiato, copulatio praecise suspendenda est; non autem, si *hoc* proponitur, nisi vel octiduo ante copulationem, vel, addita probatione, et oblata ob retardatas nuptias cautione, id fiat.

§. 756. Forma matrimonii contrahendi legitima.

Ad *legitimam* contractum coniugialem perficiendi *formam* ius canonicum requirit, vt contrahentes mutuum de matrimonio inuicem ineundo consensum praesente parocho, vel alio de ipsius, aut ordinarii licentia sacerdote, et duobus saltem testibus declarent. Id quod adeo stricte sancitum est, vt matrimonium, aliter contractum, prorsus irritum, et nullum, ita vero celebratum, omnino validum firmumque sit, etsi aliae quaeuis ceremoniae et solennitates desint, modo aliud impedimentum dirimens non obstet (*a*).

(*a*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 1. *cit.* Atque haec sanctio adeo aequa et conueniens videbatur, vt in terris catholicis vbique, et in Germania a Protestantibus quoque recepta, et tanquam *forma essentialis* seruata fuerit. Facta autem copulatione nuptiali *parochus manu sua describat in libro matrimoniorum nomina coniugum et testium, et alia iuxta formulam praescriptam.* Conc. Trid. Cap. 1. *cit.* Rit. Roman. *de sacram. matrim.* De formula, legibus *Austriacis* praescripta, vid. Constit. 211. 214—217. Collect. *cit.* Leges ea de re *Badenses* supra (§. 539.) indicauimus.

§. 757. Consectaria.

Inde sequentes fluunt positiones: 1. Parochus ratione veri, vel quasi domicilii proprius sit, necesse est. 2. Si contrahentes diuersarum parochiarum sunt, alterutrius parochi praesentia sufficit (*a*). 3. Parochus proprius, etsi sacerdos non sit, copulationem nuptialem recte facit, eaque 4. valida erit, etsi parochus excommunicatus, suspensus aut irregularis, aut speciatim prohibitus sit (*b*). 5. Vagabundorum nuptiis quiuis parochus intra suae parochiae fines valide assistit (*c*). 6. Parochus alteri sacerdoti, siue scripto, siue voce id fiat, facultatem assistendi dare potest, dummodo data sit illo tempore, quo matrimonium contrahitur. 7. Testes idonei hic sunt, quicunque, quid agatur, intelligere possunt. 8. Parochi, et duorum saltem testium praesentia simultanea requiritur, nec sufficit successiua. 9. Nihil interest, quo tempore vel loco parochus et testes praesentes sint, nihil, siue rogati, siue inuiti, et plane reluctantes fuerint. 10. Parochus coniugalem suorum parochianorum consensum in aliena quoque parochia valide recipit (*d*).

(*a*) Leges *Austriacae* vbi copulandi diuersae religionis sunt; proprium partis catholicae parochum semper requirunt. Constit. 42. Collect. *cit.* (*b*) Itaque non apparet, cur catholici, qui in loco, protestantium sacris vnice addicto, domicilium habent, eorum illius loci parocho validum matrimonium contrahere nequeant. Ipsum nempe Concilium Trid. non sacramenti, sed contractus matrimonii causa proprium parochum requirit. Alia quaestio est, an tales sponsi saluis ecclesiae suae praeceptis id facere possint,

et an non expediat, parochum catholicum adeundi facultatem ipsis concedere? (c) Vt autem *licite*, et impune hoc faciat, requiritur, vt prius in statum et conditionem illorum inquisiuerit, et, re ad ordinarium delata, ab eo licentiam acceperit. Conc. Trid. *loc. cit.* Cap. 7. Ex nouis legibus licentia eiusmodi homines matrimonio iungendi a magistratu ciuili petenda est. (*d*) Sed solenniter et in ecclesia (§. 540.) sine licentia parochi loci licite non assistit.

Lex *Badens.* §. 19 — 21. et §. 60. de copulatione nuptiali speciatim praescribit: 1. Alius parochus extra parochiam coniugum eos copulare nequit, etsi proprius alterutrius coniugis parochus, vel ipse ordinarius licentiam ei dedisset; haec enim a magistratu ciuili impetranda est, et tunc parochus alienus non suo, sed parochi proprii nomine rem agere, tum huic nuntiare, vterque porro nuptias ita confectas suo matrimoniorum libro inserere tenetur. 2. Si duae denuntiationes remissae sunt, copulatio non fiat, nisi triduo post factam denuntiationem elapso. 3. Copulatio in ecclesia praesente populo celebretur; quodsi extra populi in ecclesia conuentum id fit, praeter parochum, et sacristam, et duos testes, coniugum quoque parentes, si supersint, adesse oportet. 4. Ita parochus copulationem nuptialem faciat, cuiuscunque religionis sint coniuges, eo tantum discrimine, vt apud diuersae religioni addictos omittat ritus, eorum religioni minus conuenientes. 5. Si copulandi omnes ritus ecclesiasticos, religionis suae obtentu, plane respuunt, aut si parochus religioni sibi ducit, ecclesiae suae nomine matrimonium ratum habere, is, de libero constantique coniugum consensu certior factus, praetermissis ritibus ecclesiasticis, solummodo declaret, se, tanquam officialem reipublicae ciuilis, et ciuitatis nomine coniugibus istis, quin ecclesia eorum nuptias propterea approbet, in coniugio degendi potestatem dare, eosque legitimi matrimonii iurium et officiorum participes facere. (Sed eiusmodi declaratione haud opus esse videtur, cum nuda et muta parochi prae-

sentia (§. 730.) matrimonium validum reddat. Durum est, vt idem parochus idem matrimonium ceu minister ecclesiae reprobare, simulque ceu officialis reipublicae ciuilis ratum firmumque pronuntiare teneatur. Si contrahentes religionis suae obtentu omnes ritus religiosos reiicere, copulationemque mere profanam petere possunt, hanc vtique magistratus ciuilis facere potest. Quid, si parochus, copulationem petitam religionis et ecclesiae suae doctrinis contrariam esse, cognoscit, officialis igitur ciuilis hac in re munus per causam religionis suae a se deprecatur?

§. 758. Matrimonium per procuratorem.

Matrimonium, vt contractus, inter absentes quoque per *procuratorem*, quin et *sub conditione* iniri potest. *Procurator* hac in re mandato *speciali*, certam personam, qua cum contrahere eum oporteat, designante, instructus, idque eo tempore, quo alterius nomine contrahit, non reuocatum sit, necesse est. Sed nec alteri negotium hoc committere procurator potest, nisi eius quoque rei potestas speciatim facta sit (*a*).

(*a*) Ita de procuratore ad matrimonium in Cap. 9. *de procurat.* in VI. constitutum est. Idem de procuratore ad sponsalia interpretes tradunt, *vt suppleatur, quod orationi deest.* L. 16. *de sponsal.* In aliis negotiis reuocatio non impedit, quo minus procurator, eius ignarus, valide contrahat. L. 15. *Mandat.* Cap. vn. *de renunt.* in Clem.

§. 759. Vis conditionum in matrimonio.

De *conditione*, contractui matrimoniali expresse adiecta, ius nostrum sic statuit: 1. Conditio *de praesenti* vel *praeterito* matrimonium non suspendit, cum ex ea, tanquam ex praesenti consensu, vel non consensu (§. 747.) statim vel

ratum, vel irritum sit (*a*). 2. Conditio *de futuro honesta* et *possibilis* eam vim habet, vt matrimonium, ea pendente, suspensum, ea deficiente, quasi infectum, ea autem impleta, vel remissa (§. 747.) absolutum sit (*b*). 3. Conditio *turpis*, quae *substantiae matrimonii*, id est, *bono prolis*, vt aiunt, *fidei* aut *sacramenti* repugnat, illud nullum reddit (*c*). 4. Conditio quaeuis alia *turpis*, aut *impossibilis* in fauorem matrimonii pro non adiecta habetur (*d*). Qui vero hodiernum nuptias legitime faciendi modum considerant, facile aduertunt, conditiones quantumuis honestas et possibiles non, nisi impetrata ex grauissimis causis dispensatione, admittendas; eorum autem, qui conditiones turpes aut impossibiles afferunt, proteruitatem et insaniam, plane reiiciendam et repellendam esse.

(*a*) §. 6. Instit. *de V. O.* L. 100. *eod.* (*b*) Cap. 3. 5 6. *de condit. appos.* (*c*) Can. 10. XXXVII. q. II. Can. 6. XXXII q. II. Cap. 7. *de condit. appos.* (*d*) Cap. 7. *cit.* Ita nempe, vti in fauorem vltimarum voluntatum in §. 10. Instit. *de hered. instit.* constitutum est. Alios contractus conditio eiusmodi irritos reddit. L. 31. *de O. et A.*

§. 760. Matrimonium solenne, conscientiae et clandestinum.

Matrimonium porro *publicum* et *solenne* dicitur, quod ritu modoque, legibus praescripto, palam celebratur; *priuatum* et *minus solenne*, seu, vt vocant, *conscientiae*, quod seruata quidem solennitate essentiali, sed ex dispensatione in secreto ita contrahitur, vt semper occultum maneat (*a*); *clandestinum*, quod neglecta

proclamatione, aut legitima copulatione factum, ideoque vel illicitum (§. 754.) vel irritum (§. 756.) est.

(a) *Matrimonia conscientiae*, quibus Benedictvs XIV. in Constit. *satis vobis*, an. 1741. edita, certam formam praescripsit, per legem *Austriacam* abrogata sunt. Constit. 86. in Collect. *cit.*

§. 761. Legitimum et ratum.

Insuper *matrimonium* aliud *legitimum et non ratum* appellatur, quod secundum leges, at inter eos contrahitur, qui repudium mittere solent (*a*); aliud *legitimum et ratum*, quod ex lege tum ciuili, tum Christiana ita initur, vt repudio locus non detur (*b*); aliud denique *ratum et non legitimum*, quo Christiani valide quidem, sed non sine culpa se deuinciunt.

(*a*) Vid. *Gratian.* ad Can. 17. XXVIII. q. I. (*b*) Et ideo tantum *ratum*, seu firmum dicitur, non ob rationem sacramenti, aliosue ritus religiosos, vt vulgo putant.

§. 762. Morganaticum et disparagium.

Legitimum porro *matrimonium* vel *omnino*, vel *ex parte* duntaxat tale est, prout vel omnes iustarum nuptiarum effectus ciuiles cum eo coniuncti sunt, vel non. Et huius quidem generis ex iure praesertim Germanico sunt 1. *matrimonium*, quod vocant, *ad morganaticam*, eo nempe pacto initum, vt vxor et liberi, assignata certa bonorum portione, dignitatis ac successionis paternae expertes sint (*a*); 2. *matrimonium inaequale*, seu *disparagium*, quod cum vxore contrahitur, quae ratione status ciuilis insigniter, et aperte inferioris

conditionis est, ideoque vxorem et liberos tum a dignitate et auita nobilitate mariti, tum a successione, quod ad feuda et fideicommissa attinet, ipso iure excludit (*b*).

(*a*) Eiusmodi matrimonio, cuius Feud. II. 29. exemplum habetur, viri principes et illustres in fauorem liberorum prioris matrimonii, aut agnatorum vti solent. Ex lege *Bad.* §. 41. pactum *morganaticum* non nisi dignitate principali illustres, vel iurisdictione praediatoria praediti facere possunt, idque non nisi confirmatione, a principe impetrata, validum est. (*b*) Ita quidem de matrimonio *notorie inaequali*, ut habet Capitul. Caes. Art. XXII. §. 4., cautum; sed nusquam definitum erat, quae conditio vxoris tantam inaequalitatem inferat.

CAPVT VIII.
DE OBLIGATIONIBVS ET IVRIBVS EX MATRIMONIO.

IV. 10. De natis ex libero ventre.
— 17. Qui filii sint legitimi.

§. 763. Officia et iura ex coniugio.

Officia et *iura*, quae *ex matrimonio* oriuntur, vel ad *personas*, coniuges scilicet et parentes, eorumque liberos, vel ad *bona* illorum pertinent. Nos de iis praecipue, quae personarum sunt, disseremus; de aliis, queis tum coniugum, tum liberorum bona reguntur, iuris ciuilis interpretes audiendi sunt.

§. 764. Eaque coniugum inter se.

Coniugum officia haec sunt praecipue: 1. *Fi*-

des coniugalis, indiuiduaque vitae consuetudo, sancte inuiolateque seruanda (*a*). 2. *Maritus*, tanquam caput vxoris, eidem, reique domesticae praesit (*b*), eandem vero alendi, et defendendi officium non negligat (c). 3. *Vxor* nomine, dignitate ac foro mariti gaudeat (*d*), eundem vero in cura rei familiaris perpetuo adiuuet, et ideo domicilium, ex honesta causa mutantem, continuo sequatur (*e*).

(*a*) Can. 4. XXXII. q. IV. Can. 18. 20. ead. q. V. (*b*) Can. 12. 13. 15. 18. XXXIII. q. V. (*c*) L. 22. §. 8. *solut. matrim.* L. 2. *de Iniur.* (*d*) L. 65. *de iudic.* L. 9. Cod. *de Incol.* L. 13. Cod. *de dignit.* (*e*) Can. 4. XXXIV. q. I. II.

§. 765. Liberi legitimi.

Ad parentes et liberos spectat *ius natalium*, vi cuius *liberi legitimi* dicuntur, qui ex iustis nuptiis iustoque tempore nati sunt. *Iusto* autem *tempore* nati censentur, qui vel post sex menses, seu centesimum octogesimum secundum diem a die nuptiarum, vel intra mensem decimum a morte mariti prodierunt (*a*).

(*a*) L. 12. *de stat. hom.* L. 3. §. 11. 12. *de suis et legit. hered.* Lex *Bad.* §. 30. 31. a die nuptiarum centum et octoginta, a dissolutione matrimonii trecentos dies constituit.

§. 766. Ex iustis nuptiis et iusto tempore nati.

Cum ratione huius definitionis plane congruit, 1. marito, partus ab vxore sua editi paternitatem palam profitenti, fidem habendam esse, quocunque tempore vxor illum ediderit (*a*); 2. partum, post sex menses a die nuptiarum,

vel intra decimum mensem a die matrimonii, siue per mortem siue alio modo dissoluti, editum, legitimum, et a marito praecise agnoscendum esse, nisi is, se patrem esse non posse, ex eo probauerit, quod vltra decem menses a die editi partus vel ob absentiam, vel ob impotentiam cum vxore rem habere non potuerit (*b*); 3. partum, marito nec absente, nec impote, iusto tempore ab vxore factum, omnino legitimum esse, etiamsi mater adultera foret (*c*).

(*a*) Cap. 10. *de probat.* Ex lege *Bad.* §. 29. maritus partum tacite agnouisse censetur, si eius baptismo, aut solennitati natalitiae interfuit, aut sciens grauidam duxit, eiusue grauiditate comperta cum eadem concubuit. (*b*) L. 6. *de his, qui sui vel alien. iur. sunt.* Lex *Bad.* §. 30—32. speciatim definit tempus ac modum, quo maritus, eoue defuncto ipsius heres, partum ad se pertinere, diffiteri possit. (*c*) L. 11. §. 9. 10. *ad leg. Iul. de adult.* Nisi, vt lex *Bad.* §. 10. addit, mulier grauiditatem, aut omnino partum occultauerit, aliaque indicia, maritum non esse patrem, accesserint.

§. 767. Ex matrimonio putatiuo.

In fauorem liberorum receptum est, eos quoque legitimos esse, qui ex matrimonio *putatiuo* nati sunt, ex illo scilicet, quod ob latens impedimentum re ipsa nullum, attamen, praemissis denuntiationibus, modo legitimo, et alterutrius partis bona fide contractum est (*a*). Cessat autem hic fauor, bona fide penitus cessante, si nempe denuntiationes neglectae sunt, vel vtraque pars impedimenti scientiam habuit (*b*).

(*a*) Cap. 8. 14. *Qui fil. sint legit.* (*b*) Cap. 3. §. 1. *de cland. despons.*

§. 768. Illegitimi.

Liberi *illegitimi*, nec ex vero scilicet, nec ex putatiuo matrimonio nati, prout a parentibus descendunt, qui, cum concumberent, vel nullo, vel aliquo impedimento dirimente pubco, vtraque parte illud sciente, laborarunt, vel *naturales* et *spurii* (*a*), vel *ex damnato coitu* geniti dicuntur, eoque *adulterini*, *nefarii*, *incestuosi* et *sacrilegi* pertinent.

(*a*) Ex iure *Romano* omnes illegitimi generaliter *spurii* L. 23. *de stat. hom.*; speciatim vero *naturales* dicuntur, qui ex concubinatu olim licito, id est, ex maris et feminae coelibis coniunctione, matrimonii iure destituta, nati sunt. L. 144. *de V. S* L. 5. *Cod. ad Sct. Orfit.* Can. 6. XXXII. q. II. Nunc autem, concubinatu penitus proscripto Cap. 1. *de concubin.* in VII. Conc. Trid. XXIV. Cap. 8. *de Ref. matrim.* hi et illi eiusdem conditionis sunt.

§ 769. Status liberorum vtriusque generis.

De *ciuili liberorum statu* ius nostrum commune has habet regulas: 1. Ratione conditionis *seruilis* partus semper ventrem sequitur, ita tamen, vt ingenuus et liber sit, si mater tempore vel conceptionis, vel partus, vel intermedio vnquam libera fuit (*a*). 2. Ratione *ciuitatis* et *familiae* liberi legitimi patris (*b*), illegitimi matris potius conditionem sequuntur (*c*), excepta *nobilitate*, quae non nisi iustis nuptiis propagatur. Caeterum aliunde (§. 711.) constat, quaestionem de legitimis natalibus, foro ecclesiastico olim relictam (*d*), hodierno iure ad forum ciuile pertinere.

(*a*) Pr. Instit. *de Ingen.* Cap. 8. *de seru. non or-*

din. Cap. VII. *de nat. ex lib. vent.* (*b*) Et ideo ciues aut nobiles sunt, etsi mater extranea et plebeia sit, et contra extranei aut ignobiles, etsi mater ciuitatis aut nobilitatis iure gaudeat. Quod in aestimanda et computanda nobilitate, quam *auitam* vocant, aliud obtineat, ex iure particulari, ordinum nempe equestrium (§. 454.) et capitulorum (§. 572.) statutis est. (*c*) L. 19. *de stat. hom.* Can. 15. XXXII. q. IV. (*d*) Cap. 5. 7. *Qui fil. sint legit.*

§. 770. Obligatio parentum liberos educandi.

Prima, et maxima parentum obligatio est, vt liberis suis alimenta praebeant, eaque omnia subministrent, quae ad honestam sustentationem, et educationem sunt necessaria (*a*). Iure Romano quidem sancitum erat, liberis, ex damnato coitu natis, ne alimenta quidem deberi (*b*); sed ius canonicum hanc duritatem sustulit, naturalemque parentum omnibus sine discrimine illegitimis alimenta praebendi obligationem confirmauit (*c*).

(*a*) L. 5. *de agnos. et alend. lib.* (*b*) Auth. *Ex complexu* ad L. 6. Cod. *de incest. nupt.* Auth. *licet* Cod. ad L. 8. *de natur. liber.* (*c*) Cap. 13. in fin. *Qui fil. sint legit.* Cap. 5. *de eo, qui dux. in matrim.*

§. 771. Legitimatio.

Legitimatio est actus, quo liberi illegitimi iura legitimorum consequuntur, eaque duobus modis contingit (*a*), *per subsequens* scilicet *matrimonium*, si pater feminam, ex qua liberos illegitimos antea susceperat, matrimonio sibi iungit, vel *per rescriptum principis.* Iure Romano naturales tantum liberi, et non nisi ex ipsorum consensu alterutro beneficio affici poterant, et

legitimatio per rescriptum tum demum locum habebat, si quis liberis legitimis careret, et illam per subsequens matrimonium adhibere non posset (*b*).

(*a*) Tertius modus *per oblationem curiae* L. 3. Cod. *de natural. lib.* apud nos nunquam in vsu fuit. (*b*) §. 13. Inst. *de Nupt.* L. 5. 10. 11. Cod. *de natur. liber.* Nouell. LXXIV. Cap. 1. 2. 4. 11. Nouell. LXXXIX. Cap. 4. 8. 10. 11. 15.

§. 772. Vis matrimonii ea in re.

Sed iure canonico 1. per subsequens matrimonium legitimi fiunt omnes illegitimi, siue naturales, siue ex damnato coitu sint, modo iustum matrimonium inter eorum parentes, etiamsi in articulo mortis, secutum sit. Neque iam opus est aut consensu liberorum, aut dotalibus, quae iure ciuili requiruntur, instrumentis, quandoquidem soli matrimonio legitimo haec vis tributa est (*a*); 2. omnibus porro ad maculam illegitimorum natalium per rescriptum principis abstergendam via aperta est (*b*). Atque hoc iure nunc vtimur.

(*a*) Cap. 1. 6. *Qui fil. sint legit.* (*b*) Cap. 13. *eod.*

§. 773. Effectus legitimationis.

De effectu legitimationis annotamus: 1. Legitimati per subsequens matrimonium, siue soli sint, siue cum legitimis concurrant (*a*), iisdem plane, vt legitimi, iuribus gaudent, nisi lex peculiaris obstet. 2. Legitimatorum per rescriptum iura ex rescripti formula pendent, cum principis aestimatio sit, quem modum sui be-

neficii esse velit (*b*). 3. Legitimatio per rescriptum ecclesiasticum ea tantum iura restituit, quae lege ecclesiastica, non, quae lege ciuili illegitimis negata sunt.

(*a*) L. 11. Cod. *de natural. liber.* Nouell. XII. Cap. 4. (*b*) L. 191. *de R. I.*

CAPVT IX.
DE DISSOLVTIONE MATRIMONII.

III. 33. De conuersione infidelium.
IV. 8. De coniugio leprosorum.
— 18. Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.
— 19. De diuortiis.
— 20. De donationibus inter virum et vxorem, et de dote post diuortium restituenda.

§. 774. Dissolutio matrimonii viuis coniugibus.

Dissolutio matrimonii, viuis coniugibus, euenit, 1. si matrimonium, quod validum putabatur, irritum esse decernitur; 2. si, quod re ipsa validum est, penitus, vel quodammodo soluitur. Prius per *nullitatis declarationem*, posterius per *diuortium* contingit (*a*). Diuortium, quo omnia prorsus matrimonii iura ita perimuntur, vt vtrique, vel alterutri parti alias nuptias facere liceat, *diuortium*, *proprie* sic dictum; quo vitae tantum consuetudo, et cohabitatio tollitur, saluo caeteroquin coniugii vinculo, *separatio*, *a toro* scilicet *et mensa* appellatur.

(*a*) L. 191. *de V. S.*

§. 775. Auctoritate iudiciali facienda.

Quocunque autem modo dissolutio matrimonii fiat, ea non nisi iudiciali auctoritate et ordine fieri recte potest. Qua de re ius commune generatim statuit, 1. iudicem in causis matrimonialibus competentem non quemuis alioqui competentem, sed episcopum tantum esse, eiusue ex mandato speciali vicarium (*a*); 2. causas matrimoniales *summarie* tractandas, et, quantum fieri potest, breuissime expediendas esse (*b*).

(*a*) Cap. 2. *de offic. vic.* in VI. Conc. Trid. XXIV. Cap. 20. Nunc autem, et quidem ex lege *Austriaca*, si de nullitate matrimonii, aut de diuortio inter coniuges non catholicos agitur, forum competens est *forum nobilium*, seu *iudicium prouinciale*, Landrecht dictum. Constit. 104. in Collect. cit. Ex lege *Bad.* §. 64. siue de nullitate siue de diuortio, aut separatione tantum agatur, iudices inferiores causam cognoscunt, iudicium prouinciae aulicum sententiam fert. (*b*) Cap. 2. *de Iudic.* in Clem.

§. 776. Accusatio matrimonii.

Actio, quae contra matrimonium contractum, vt nullum ac irritum declaretur, informata est, *accusatio* matrimonii vocatur, quasi de causa criminali ageretur (*a*). Huius actionis instituendae ius vel obligatio eorundem est, quorum est ius, vel obligatio denuntiationem (§. 755.) faciendi. Hinc 1. ob impedimentum *priuatum* (§. 719), ea tantum pars accusare matrimonium potest, quae se laesam existimat; 2. ob impedimentum *publicum* omnes, qui eius indicia afferre possunt, ad accusandum admit-

tuntur (*b*), dummodo fraudis suspecti non sunt (*c*); 3. immo iudex, sicubi eiusmodi impedimentum subesse ex denuntiatione aut fama fide digna comperit, *vi officii* in illud inquirere tenetur (*d*). 4. Accusatio haec praescriptioni haud obnoxia post longissimum etiam tempus institui potest (*e*).

(*a*) Cap. 13. *de despons. impub.* Causae enim matrimoniales *criminalibus* quodammodo similes sunt. Cap. 9. *de in integ. restit.* (*b*) Cap. 6. *qui matrim. accus.* (*c*) *Suspecti* autem sunt, qui quaestus alteriusue commodi causa accusant Cap. 2. *eod.*, qui impedimentum ante nuptias sciuerunt, et non denuntiarunt Cap. 6. *eod.*, qui per litteras accusant, cum per se ipsos id facere possunt. Cap. 2 *eod.* (*d*) Can. 5. 7. XXXV. q. VI. Cap. 3. *de diuort.* (*e*) Cap. 20. *de praescript.* Cap. 8. in fin. *de consang. et affin.*

§. 777. Forma iudicii ea in re.

Iudicium, in quo matrimonium accusatur, his speciatim legibus astrictum est: 1. Sola coniugum confessio ad defectus aut delicti, ex quo dissolutionem petunt, probationem minime sufficit (*a*). 2. Testes hic esse possunt cognati et affines, famuli aliique domestici, saluo iudicis, quanta fides ipsis adhibenda sit, iudicio (*b*). 3. Plena vero atque perfecta semper requiritur probatio, eaque deficiente, et in dubio pro matrimonio potius, quam contra pronuntiandum est (*c*). 4. Nulla admittitur transactio, quae matrimonium vel irritum, vel obstante impedimento publico, validum redderet (*d*). 5. Nec iurisiurandi delatio hic locum habet (*e*). 6. Sententia, qua matrimonium vel nullum, vel validum declaratur, nunquam transit in rem

iudicatam, vt adeo, comperto errore, retractari semper possit (*f*).

(*a*) Cap. 5. *de eo, qui cognou.* etc. (*b*) Can. 1. 2. 3. XXXV. q. VI. Cap. 3. *Qui matr. accus. pos.* Lex *Bad.* §. 65. liberos et nepotes, potestati coniugum subiectos, excipit. (*c*) Cap. 1. *de consang.* Cap. 26. *de sent. et re iud.* (*d*) Cap. 11. *de Transact.* (*e*) L. 2. *de Iurei.* (*f*) Cap. 7. 10. *de sent. et re iud.* Cap. 5. 6. *de frigid. et malef.* Ad haec lex *Austriaca* iudicio, in quo matrimonium de nullitate arguitur, hunc modum praescribit: Iudicium prouinciale, ceu competens, consiliarium regiminis politici adhibere, defensorem matrimonii constituere, de reliquo *vi officii* in ea, quae momentum habere videntur, inquirere, simulque, vt matrimonium vel partium conuento, vel dispensatione legitimum reddatur, operam dare, adeoque tum demum nullitatis sententiam proferre teneatur, cum nulla eam retinendi via suppetit. Constit. 104. Collect. *cit.*

Ex lege *Badensi* §. 61. accusator matrimonii parocho prius rem exponat, isque, si iusta accusandi causa videtur, curam adhibeat, vt impedimentum priuatum alterius consensu, publicum dispensatione, secreto, si opus est, impetranda, tollatur. Quodsi neutrum effici possit, parochus rem ad iudicem deferat. Iudex vero, vt eadem lege § 64. cautum est, non solum in nullitatis, sed etiam diuortii aut separationis causa partes coram, remotisque causidicis audiat, eoque fere modo in rem inquirat, quo in processu denuntiationis criminalis inquirendum est.

§. 778. Matrimonii irriti resuscitatio.

Sicut impedimentum, vt ne matrimonio contrahendo obstet, dispensationis ope tolli, ita quoque, vt matrimonium, inualide contractum, validum fiat, per dispensationem, aut defectus expletionem effici potest. Sic 1. ma-

trimonium ex vitio, in forma contrahendi admisso, nullum, adhibita forma legitima redintegratur. 2. Matrimonium, ex forma praescripta initum sed ob impedimentum *priuatum*, ob defectum, puta, consensus inualidum, solo illius consensu conualescit, cuius consensus antea defuit; 3. quin et *publico* impedimento aduersante matrimonium rite initum, per dispensationem, quoad eius fieri potest, sustinendum esse, fauor matrimonii suadet (*a*); 4. sublato impedimento, refert, notumne ac *manifestum* illud sit; an adhuc *occultum*: si *prius*, nuptialis copulatio coram parocho et testibus repetenda est; si *posterius*, haud noua quidem copulatione, sed nouo vtriusque partis consensu opus esse videtur, etsi alterutra tantum pars impedimenti notitiam habeat (*b*).

(*a*) Qua ratione impedimentum occultum, et vni praesertim parti duntaxat notum, per dispensationem ita tolli possit, vt occultum maneat, et diuulgationis incommoda euitentur, ex legibus Austriacis supra (§. 712.) annotauimus. (*b*) Quomodo coniux impedimenti inscius ad nouum validumque consensum inducendus sit, theologiae moralis interpretes consulendi sunt.

§. 779. Effectus matrimonii in irritum redacti.

Facta nullitatis declaratione, sublata iam sunt omnia iura et officia, ex matrimonio inter coniuges orta. Vnde 1. vlterior cohabitatio ipsis statim interdicitur; nouas autem nuptias faciendi, nisi aliud quid obstet, vtrique parti facultas datur; 2. ratione bonorum porro vtraque pars, ac si nuptiae nunquam fuissent,

in integrum restituitur; dote igitur ad mulierem, et donatione propter nuptias ad virum redeunte (*a*), siquidem impedimentum tempore initi matrimonii eos latuit, secus enim poenas valde seueras ius commune in eos constituit (*b*).

(*a*) Cap. 2. 8. *de donat. inter vir. et vxor.* (*b*) L. 4. 6. Cod. *de incest. et inut. nupt.* Leges *Austriacae* matrimonium, cum impedimento dirimente publico scienter initum, nullum declarari simpliciter iubent (si nimirum nullus dispensationi locus detur), ac ita contrahentibus poenas sat graues generaliter irrogant (nisi ipsa scilicet matrimonii sustenti ratio indulgentiam postulet); caeterum liberos, interea natos, patris potestati subiiciunt, et, quantum ad educationem illorum vtraque pars contribuere debeat, iusto iudicis arbitrio permittunt; de bonis denique inuicem restituendis, damnisque resarciendis ex legum praescripto statuendum esse, sanciunt. Constit. 87. cit. §§. 113. 114. 115. Cod. Crim. P. II. §. 252.

Lex *Badensis*, cum de nullitatis declaratione agitur, §§. 43. 57. tum dispensationi, tum indulgentiae locum expresse relinquit, et §. 48. illi, qui scienter tale matrimonium iniuit, omnes impensas nuptiales compensandi, quin et satisfactionem, quasi sponsalia fregisset (§. 749.) alteri parti praestandi obligationem iniungit.

§ 780. Diuortium legesque diuinae de eo.

Diuortium, *proprie* sic dictum, etsi iure ciuili permissum sit (*a*), ecclesia nostra non agnoscit; contra vero constanter tradit, matrimonii, semel valide initi et consummati, vinculum adeo firmum esse, vt, viuis coniugibus, nullam ob causam, et ne ob adulterium quidem penitus dissolui possit (*b*). Diuortium nempe, quod Iudaeis propter duritiem cordis per-

missum erat, *Christus Dominus* diserte prohibuit (*c*), et, *Paulo* interprete, simpliciter reprobauit (*d*). Equidem Seruator noster, cum Iudaeis, ea de re quaerentibus, responderet, adulterii causam excepit (*e*); haud adeo planum vero, ac expeditum est, exceptionem illam non solum de facultate dimittendi adulteram, sed etiam de potestate aliam ducendi intelligendam esse. Inde dubium, vtrum ex causa adulterii alium coniugem sibi adiungere, diuina lege permissum, an non potius prohibitum sit? Vt autem in eiusmodi dubio ab actione abstineamus, rectae voluntatis conscientia plane exigit (*f*).

(*a*) L. 8 — 11. Cod. *de Repud.* (*b*) Can. 1 — 10. XXXII. q. VII. Cap. 2. *de diuort.* Cap. vn. *de vot.* in VI. Conc. Trid. XXIV. Can. 7. *de sacr. matr.* (*c*) Marc. X. 11. 12. Luc. XVI. 18. (*d*) Rom. VII. 2. 3. I. Cor. VII. 10. 11. (*e*) Matth. V. 31. 32. XIX. 3 — 10. Hinc Protestantes diuortium non tantum ob adulterium, sed alias quoque causas admittunt. Eiusmodi praeter adulterium causae ex lege *Badensi* §. 43. 44. sunt. 1. Delictum, poena criminali, per carnificem infligenda, aut carcere plus quinquennali luendum. 2. Violentiae aut insidiae in vitam aut sanitatem. 3. Impotentia insanabilis, per delictum contracta. 4. Absentia praesertim ob crimen supra tres annos. 5. Pertinax debiti coniugalis amplius tres annos denegatio. 6. Dementia plus triennio durans, insanabilis, et insanorum hospitio digna. 7. Reconciliationis post annum a finito separationis spatio oblatae, recusatio. Cum vero diuortium proprie sic dictum, inter Catholicos locum non habeat; consequens est, coniuges catholicos ex causis, hic memoratis, separationem tantum a toro et mensa, non autem diuortium illud, seu dissolutionem vinculi coniugialis petere posse. Leges *Austriacae* coniugibus vtrinque non ca-

tholicis 1. ob adulterium aut vitae insidias, 2. ob malitiosam desertionem, 3. ob odium capitale aut auersationem insuperabilem diuortium concedunt. Constit. 87. *cit.* §. 104 – 109. (*f*) *Bene praecipiunt, qui vetant, quidquam agere, quod dubites, an aequum sit, an iniquum.* Cicero Off. 1. 9. *Quod dubitas, ne feceris.* Plinivs Epist. 1. 18. *In re dubia certius et modestius est, huiusmodi nuptiis abstinere.* L. 14. §. 3. *de R. N.*

§. 781. Ecclesia nostra illud non permittit.

Vltro fatemur, 1. patres et concilia de vinculi ex causa adulterii dissolutione in diuersa abire, aut dubitanter loqui (*a*); 2. Concilium Tridentinum nihil certi ac definiti ea de re statuisse (*b*); 3. nostram igitur de indissolubilitate matrimonii doctrinam certum ac exploratum fidei catholicae dogma non esse; 4. de illa porro, salua fide catholica, in vtramque partem disputari posse. Maneat nihilominus, fixaque sit ecclesiae nostrae doctrina, a periculo errandi, et ab omnibus, quibus diuortiorum licentia viam aperit, incommodis quam maxime, vt par est, remota (*c*).

(*a*) Can. 17. 18. 19. 24. XXXII. q. VII. (*b*) Canon eam in rem his verbis conceptus erat: *Si quis dixerit, ob adulterium solui matrimonium posse, anathema sit.* Tum vero in gratiam Graecorum ita, prouti nunc extat, eum moderari placuit: *Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum docuit et docet, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolui, — — anathema sit.* Conc. Trid. XXIV. Can. 7. *de sacram. matr.* (*c*) Atque haec doctrina legibus *Austriacis* expresse sicque stabilita est, vt coniux non catholicus hoc ipso, quod cum catholico matrimonium inierit, diuortio, sibi alioquin

permisso, renuntiasse censeatur. Constit. 87. §. 98. Constit. 98. Collect. cit. Fac, coniuges vtrinque non catholicos legitime diuortisse, alterutrum dein ad sacra catholica transire, id nihil impedit, quo minus vtraque pars aliis nuptiis iungi possit, Constit. 43. *ibid.*; parocho tamen non licet, catholicam personam cum ea copulare, quae protestantium iure diuortium fecit. Decret. Aul. 15. April. 1789. 14. Ian. 1803.

§. 782. Idque non ob rationem sacramenti.

Noli putare, nos doctrinam hanc a sacramento matrimonii repetere (*a*). Matrimonia enim clandestina, olim valida, indissolubilia erant; sacramenta non erant. Et adhuc matrimonium sine sacramenti ratione contrahi potest, dissolutioni, vbi consummatum est, minime obnoxium. Hinc plures theologi non probant, quod in iure nostro constitutum est, alterutro scilicet coniugum infidelium ad fidem christianam conuerso, matrimonium solui, siquidem alter, fidem christianam respuens, neophyto aut plane non, aut non sine iniuria creatoris cohabitare velit (*b*). Aiunt nempe, PAVLI dictum (*c*) ad separationem a toro tantum pertinere, pontificem autem canoni, quem Gratianus retulit (*d*), nimium tribuisse: generaliter igitur, vt idem Gratianus refert (*e*), et ipse pontifex repetit, tenendum esse, quod per baptismi sacramentum non soluantur coniugia, sed crimina dimittantur (*f*).

(*a*) Ita tamen praeter alios falso putat MICHL *Kirchenr.* pag. 345. 397. (*b*) Cap. 7. *de diuort.* (*c*) I. Cor. VII. 15. (*d*) Can. 2. XXVIII. q. II. (*e*) Can. 1. *ibid.* (*f*) Cap. 8. *de diuort.*

§. 783. Matrimonium ratum solubile.

Aliter de matrimonio inchoato, seu *rato* tantum statuendum est. Nam diuinae de indissolubilitate matrimonii leges satis aperte de matrimonio consummato loquuntur (*a*), et de eo tantum intelligendae sunt (*b*). Matrimonium enim, quamdiu ratum, seu imperfectum adhuc est, sicut per professionem religiosam soluitur (§. 436.), ita per dispensationem quoque dissolui posse, plerique interpretes recte omnino tradunt. Quodsi enim matrimonium sub *expressa* conditione initum, ea deficiente, deficit; idem ob *tacitae* conditionis defectum dicamus, necesse est. Ideo certe professio religiosa matrimonium ratum tollit, quia huic tanquam conditio ex dispositione legis tacite inest. Sicubi ergo talis est a matrimonio rato abeundi causa, quae conditionis ex rei natura tacitae vim habet; haud sane apparet, cur dispensatio locum habere nequeat.

(*a*) *Et erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Matth. XIX. 5. 6. (*b*) Cap. 7. *de conuers. coniug.*

§. 784. Separatio a toro et mensa.

Sicut a matrimonio, inualide contracto, priuata auctoritate abire non licet (*a*), ita nec iusta est coniugum a toro et mensa separatio, nisi praeuia causae cognitione, et ex iudicis sententia fiat (*b*). Hinc priuatim diuortentes ad reditum et cohabitationem cogendi sunt (*c*), et coniux sua sponte, inuito altero, discedens

spolium fecisse censetur, nisi adulterium, aut saeuitia alterius excusationi sit (*d*).

(*a*) Cap. 3. *de diuort.* (*b*) Can. 1. XXXIII. q. II. Cap. 9. *de sponsal.* Secundum leges *Austriacas* coniuges, separationem cogitantes, suo primum parocho propositum hoc aperiant: is consiliis ac rationibus illos permouere studeat, vt ab incepto desistant, discordesque in concordiam redeant; iudex autem conquerentes non audiat, nisi, frustra id actum esse, litteris, a parocho acceptis, fidem fecerint. Constit. 87. *cit.* §. 101 102. Idem lege *Badensi* §. 62. constitutum est. (*c*) Cap. 6. *de diuort.* (*d*) Cap. 10. 13. *de restit. spoliat.*

§. 785. Mutuo coniugum consensu ea fieri potest.

Ita autem separatio ista tum mutuo coniugum consensu, tum inuita etiam parte altera peti et decerni potest. Et ex *consensu* quidem ius commune illam probat, si coniuges vitam religiosam amplectuntur (§. 433.), aut maritus, vxore annuente, sacrum ordinem accipit (§. 414.), aut alia grauis causa, eam permittendam esse, suadet (*a*).

(*a*) Conc. Trid. XXIV. Can. 8. *de sacram. matr.* Ex lege *Austriaca* iudex separationem mutuo consensu faciendam admittere debet, si modo coniuges parochi eam in rem testimonium exhibeant, affirmentque, ratione bonorum quoque inter se pactum atque transactum esse. Constit. 87. cit. §. 100. Ex lege *Bad.* §. 45. talis separatio non nisi ad annum, et tum demum permittitur, si paupertas separatim viuere coniuges cogit, vel alia iusta causa affertur, nec timendum est, separationem licentius euagandi ansam fore.

§. 786. Causae separationis inuito altero.

Iustae causae, inuita parte altera, separa-

tionem petendi hae sunt praecipue: 1. Adulterium alterutrius coniugis (*a*), tum verum et probatum, tum ex indiciis violentis praesumtum (*b*); 2. prolapsio in haeresin, multoque magis defectio a fide christiana (*c*); 3. periculum animae ex instigatione coniugis ad maleficia (*d*); 4. periculum corporis seu sanitatis ob lepram aliamue contagionem alterius coniugis (*e*); 5. saeuitia et acerbitas mariti in vxorem (*f*), aliaeque causae, quae cohabitationem nimis molestam, et intolerabilem facere videntur (*g*).

(*a*) Can. 23. XXXII. q. V. (*b*) L. 8, §. 2. 3. Cod. *de Repud.* Can. 4. XXVII. q. I. Cap. 12. *de praesumt.* Cap. 27. *de testib.* (*c*) Cap. 21. *de conuers. coniug.* Cap. 6. *de diuort.* (*d*) Can. 5. XXVIII. q. I. Cap. 2. *de diuort.* (*e*) Cap. 1. *de coniug. lepros.* Nec obstat Cap. 2. *eod.*, quod de contagio haud adeo periculoso aut fastidioso intelligendum est. (*f*) Cap. 8. 13. in fin. *de restit. spol.* (*g*) Ex lege *Badensi* §. 46. huc spectant 1. accusatio matrimonii, a coniuge temere factitata, 2. mores insociabiles, aliis corrigendi remediis frustra adhibitis, 3. absentia supra annum integrum ob discordias aut delictum, 4. condemnatio ad poenam criminalem, ius diuortii non tribuentem, quatenus innocens reuertentem aut punitum coniugem recipere non tenetur, donec melioris vitae specimina dederit.

Lex *Austriaca* ea de re generaliter statuit, separationem, etiam non consentiente alterutro coniuge, a iudice decerni posse, si alter coniux ex iusta causa eam petat, alter vero malitiose eam recuset. Constit. 97. Collect. *cit.*

§. 787. Adulterium causa separationis perpetuae.

Inter adulterium aliasque separationis causas ea est differentia, quod ob has in certum

duntaxat incertumue tempus, quamdiu scilicet causa permanet, separationi locus detur; adulterium vero ius perpetuae separationis tribuat, vt adeo pars laesa dimissam, etsi poenitentem, ac deprecantem, recipere non teneatur (*a*). Inde colligimus, absolutam hanc, atque perpetuam separationem peti decernique haud posse, si 1. vterque coniux adulterium commisit (*b*), 2. maritus vxori causam adulterandi dedit (*c*), 3. innocens *expresse*, vel *tacite* iniuriam remisit (*d*), 4. vxor vi compressa fuit (*e*), 5. coniux cum alio, quem, suum esse, per errorem putabat, concubuit (*f*), aut 6. coniugem mortuum esse credens cum alio nuptias fecit (*g*).

(*a*) Cap. 15. 16 *de conuers. coniug.* Cap. 4. *de diuort.* Sed lex charitatis aliud quandoque postulat. Can. 7. 8. XXXII. q. I. Nec obstant Can. 1. 4. 6 *ibid.* Cap. 3. *de adult.* (*b*) Can. 1. XXXII. q. VI. *cum paria crimina compensatione mutua deleantur*, *Cap.* 7. *de adult.* L. 39. *solut. matr.* Ius nostrum exceptionem hanc probat, siue accusator ante, siue post condemnationem adulterantis idem scelus admiserit; immo si postea id perpetrauit, dimissam recipere, ad eamque redire tenetur. Cap. 7. *cit.* Cap. 4. 5. *de diuort.* Lex *Bad.* §. 66. exceptionem fidei coniugialis, *ante* violatae, quod ad impediendam dissolutionem matrimonii attinet, non admittit; satisfactionis tantum petendae ius vel penitus, vel ex parte accusatori adimit. (*c*) Can. 24. XXVIII. q. II. Cap. 6. *de eo, qui cognou. consang.* Lex *Bad.* §. 66. *cit.* ea de re, sicut de fide *ante* violata, statuit. (*d*) §. 11. Instit. *de Iniur.* L. 11. Cod. *ad leg. Iul. de adult.* Cap. 25. in fin. *de iureiur.* Condonasse iniuriam *tacite* censetur, qui adulterii conscius consueta coniugis officia nocenti nihilominus sponte exhibuit. Hinc a coniuge adulterii manifeste reo priuatim discedere licet,

ne scilicet remanens illud condonasse videatur. Cap. 9. *de sponsal.* Cap. 4. *de diuort.* (*e*) Can. 4. XXXII. q. V. (*f*) Can. 6. XXXIV. q. I. II. (*g*) Can. 1. *ibid.*

§. 788. Effectus separationis a toro.

Facta firmataque per iudicis sententiam separatione a toro et mensa, manet vtique vinculum coniugiale; eadem quoque, si cohabitationem excipis, manent officia et iura coniugum (*a*), tum inter se, tum erga liberos, apud innocentem nimirum, nisi alibi melius essent, educandos (*b*). Quod autem ad bona attinet, refert, an ob adulterium, an aliam ob causam separatio facta sit. Si ob adulterium, tum nocens partem ex bonorum communione alioquin sibi debitam amittit (*c*); alias vxor dotis et dotalitii, maritus donationis propter nuptias priuatione multatur (*d*), ita tamen, vt, si adsunt liberi, his proprietas, innocenti vsus fructus tantum obueniat (*e*), vtque amissa per reconciliationem recuperari possint (*f*). Si autem separatio ob aliam quamuis causam facta est, coniugum bona, et, quae his nituntur, iura et officia, siue lege, siue pacto definita, salua manent, cum in aliam praeter adulterium separationis causam nulla poena iure communi constituta sit.

(*a*) Cap. 2. *de diuort.* (*b*) Auth. ad L. 1. Cod. *diuort. fact.* Ex lege *Bad.* §. 68., decreta separatione, antequam litterae eam concedentes coniugibus tradantur, parochus denuo operam det, vt reconciliationem efficiat. Ea non secuta, litterisque traditis, rursus coire coniugibus non licet, nisi ex iusta causa, parochi testimonio probata, coeundi facultatem a iudice impetrauerint. Secundum legem *Austriacam*

coniuges separati, quandocunque voluerint, ad pristinam vitae consuetudinem redire possunt, modo iudicem concordiae inter se redintegratae certiorem reddant. Constit. 87. *cit.* §. 103. (c) Cap. 10. *de consuet.* (d) L. 8. §. 5. Cod. *de Repud.* Nouell CXVII. Cap. 8. 9. Cap. 4. *de donat. int. vir. et vxor.* Lex *Badensis* §. 49—51. siue ob adulterium siue aliam ob causam diuortium, proprie sic dictum, fiat, coniugi innocenti quartam bonorum, ad nocentem spectantium, partem adiudicat, de reliquo sua cuique bona attribuit; vbi autem separatio a toro, et ad certum tempus duntaxat facta est, salua vtriusque coniugis ratione bonorum iura relinquit, nisi alia causa aliud forte postulet. (e) Nouell. cit Cap. 8. §. 2 Idem lex *Bad. cit.* de quarta illa bonorum parte statuit. (f) Cap. 4. *de donat. int. vir. et vxor.*

SECTIO III.

DE RITIBVS ET ACTIBVS SACRIS PRAETER SACRAMENTA.

CAPVT I.

DE RITIBVS SACRAMENTALIBVS.

I. 15. De sacra vnctione.
III. 44. De custodia eucharistiae, chrismatis et aliorum sacramentorum.
— 47. De purificatione post partum.

§. 789. Rituum et actuum praeter sacramenta species.

Ritus et actus praeter illos, qui in sacramentorum administratione adhibentur, praescripti sunt 1. *Ritus*, qui *sacramentales* vocantur. 2. Of-

ficium diuinum, speciatim sic dictum. 3. *Dies festi* eorumque celebratio. 4. *Ieiunia* religiosa. 5. *Veneratio Sanctorum*, *reliquiarum* et *imaginum* sacrarum. 6. *Sepultura* et *exequiae sacrae*. Quibus expositis, canones de *voto* ac *iureiurando* subiungemus.

§. 790. Ritus sacramentales

Omnes ritus, ad dignam sacramentorum celebrationem instituti, *sacramentales* dici possunt. Sed hoc nomine illos *speciatim* intelligimus ritus, qui, velut sacramenta, *materiam* et *formam* habent, et sacrorum *ministrum* requirunt. Huius autem generis sunt *vnctiones*, *consecrationes* et *benedictiones*, eaeque non solum ad sacramenta, sed ad alias quoque functiones sacras adhibentur (*a*).

(*a*) Alii plures, et alios atque alios ritus actusque huc referunt, in confusa nempe sacramentalium notione acquiescere soliti, non habent, vbi pedem figant. Vid. Zech. *de iur. rer. eccles.* P. I. pag. 520.

§. 791. Vnctiones, chrisma, et olea sacra.

Vnguentum, quo ecclesia apostolorum exemplo (*a*), et ex antiqua traditione (*b*), vtitur, est *oleum oliuarum*, idque vel balsamo mixtum, hoc est, *chrisma*, vel *simplex*, quod prout ad baptismum, vel ad extremam vnctionem praecipue praeparatum est, vel *catechumenorum* vel *infirmorum* dicitur (*c*). Vtrumque oleum et chrisma singulis annis in coena Domini ab episcopo benedicendum, dein ad parochos mittendum est (*d*), diligenti ab his custodia asseruandum (*e*). Quodsi intra annum alterutrum deficere incipit, olei non benedicti admistione defectum supplere licet (*f*).

(*a*) *Vngebant oleo multos aegros, et sanabant.* Marc. VI. 13. (*b*) *Benedicimus aquam baptismatis, et oleum vnctionis, ex qua scriptura? Nonne ex occulta et mystica traditione? Quid, ipsam olei vnctionem, quis sermo scriptus docuit?* BASILIVS ap. *Gratian.* Can. 5. Dist. XI. (*c*) Cap. vn. §. 2. *de sacr. vnct.* (*d*) Can. 4. Dist. XCV. Can. 18. Dist. III. *de consecr.* In ecclesia Graeca benedictio olei simplicis presbyteris commissa est. (*e*) Cap. 1. *de custod. eucharist.* (*f*) Cap. 3. *de consecr. eccles.*

§. 792. Benedictiones et consecrationes.

Ritus, quo super personam vel rem preces ad Deum funduntur, vt illius functiones secundare, huius vero vsum salutarem reddere dignetur *benedictio*; quo persona vel res, adhibita sacra vnctione, Deo cultuique diuino mancipatur, *consecratio* dicitur. Vtriusque formulae, pro personarum et rerum varietate diuersae, in libris *missalibus*, *pontificalibus* et *ritualibus* habentur.

§. 793. Consecrationes personarum ac rerum.

Ita nempe 1. *consecrationes* fiunt in *baptismo* per oleum catechumenorum et chrisma (*a*), in *confirmatione* per chrisma, in sacramento *ordinis* per oleum catechumenorum. 2. *Episcopi* (*b*), *ecclesiae*, *arae*, *calices* et *patenae* (c) per chrisma consecrationem recipiunt; 3. *Fons baptismalis* per oleum catechumenorum et chrisma, *campanae* per oleum infirmorum et chrisma consecrantur.

(*a*) Cap. vn. §. 6. *de sacr. vnct.* (*b*) Cap. *cit.* §. 3. 4. (*c*) Cap. *cit.* §. 8.

§. 794. Benedictiones earundem.

Omnes consecrationes adiunctis benedictionibus fiunt. Sola autem *benedictione* afficiuntur

1. *principes*, cum sacro oleo tinguntur (*a*); 2. *clerici*, cum ad *ministerium* ordinantur, *abbates* et *abbatissae* (§. 594.), *coniuges* (§. 702.), et *mulieres post partum*, antequam ecclesiam ingrediantur (*b*); 2. *ecclesiae*, *coemeteria*, *vestes* et *paramenta* ad sacrificium missae necessaria, *aqua lustralis*, et qua ecclesiae consecrantur, reconlianturue; 3. *subsidia vitae* maxime necessaria, veluti panis, vinum, salia, carnes, herbae, domus, naues, agri, arma et vexilla bellica, aliaeque res ad augendam siue pietatem, siue prosperitatem nostram comparatae.

(*a*) Cap. vn. §. 5. *de sacr. vnct.* (*b*) Non, quod ecclesiam ingredi prohibeantur; *si tamen ex veneratione aliquamdiu voluerint abstinere, deuotionem earum non credimus improbandam.* Cap. vn. *de purif. post. part.* Can. 1. 2. 3. Dist. V.

§. 795. Ministri sacramentalium sacerdotes.

Sicut sacramentorum, ita quoque sacramentalium ministri sunt soli sacerdotes (§. 33.). Quorum rituum executio episcopis reseruata, aliisue priuilegii aut consuetudinis titulo permissa sit, supra (§. 500 — 502.) indicauimus; reliquorum omnium *publica* et *solennis* dispensatio ad parochum intra fines suae parochiae (§. 539.) pertinet (*a*).

(*a*) Legibus *Austriacis* cautum est, ne aliae benedictiones adhibeantur, quam quae conceptis verbis in *Rituali Romano* praescriptae sunt. Constit. 538. Collect *cit.* Suffitus aliaeque cerimoniae, quibus aeditui pridie natalis Domini et epiphaniae domos afficere solebant, speciatim interdictae sunt. Constit. 537. 547. *loc. cit.*

CAPVT II.

DE OFFICIO DIVINO SPECIATIM SIC DICTO.

III. 41. De celebratione missarum, et diuinis officiis.

§. 796. Ius statas ac solennes preces praescribendi.

Insignem liturgiae partem constituunt statae ac solennes preces, diuinique Numinis celebrationes. Et de precibus quidem iugiter fundendis, de psalmis item et hymnis in laudem Dei canendis, Christi (*a*) et Apostolorum (*b*) exempla et praecepta habemus (*c*). Ius autem praescribendi, quae qualesque preces, cantiones et lectiones pro varia sacrorum ratione faciendae sint, regiminis ecclesiastici esse (§. 646.), vix est, vt moneamus (*d*).

(*a*) Luc. XVIII. 1. Matth. XXVI. 30. (*b*) I. Thessal. V. 17. Ephes V. 19. (*c*) Can. 54. Dist. I. *de consecr.* (*d*) Suo quidem iure principes vel ob calamitates publicas, vel ob beneficia diuina precationes vel laudationes Dei solennes decernunt; sed precum formulas praescribendi, ipsaque sacra ordinandi cura ad rectores ecclesiae pertinet. G. L. Boehmer Princip. Iur. Can. §. 283.

§. 797. Officium diuinum, seu horae canonicae.

Hoc iure nititur *officium diuinum*, *speciatim* sic dictum, ex psalmis, hymnis variisque precibus et lectionibus eum in finem compositum, vt clerici illud, ceu peculiarem cultus diuini

partem, in ecclesia, cui adscripti sunt, tum recitando, tum cantando certis quotidie horis (§. 617.) peragerent (*a*). Ex eo officii huius partes *horae canonicae* appellatae (*b*), earumque ad dicta *Dauidis* (*c*) *septem*, tum nocturnae tum diurnae, constitutae sunt (*d*). Vnde etiam *nocturnum diurnumque officium* vocatur (*e*).

(*a*) Can. 9. Dist. XCII. Can. 13. 14. Dist. V. *de consecr.* L. 42. §. 10. *de episcop. de cler.* (*b*) Cap. 2. *de offic. archipresb.* Cap. 1. 2. *de offic. custod.* (*c*) Psalm. CXVIII. 62. 164. (*d*) Ad *nocturnas* pertinet *Matutinum* cum *Laudibus*. Aliae omnes *diurnae* sunt, videlicet *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Vesperae* et *Completorium*. Can. 2. Dist. XCI. Cap. 1. *de celebr. miss.* (*e*) Cap. 9. *eod.* Cap. 1. *eod.* in Clem.

§. 798. Breuiarium Romanum.

Volumen, quod psalmos, hymnos, preces, et reliqua, ex quibus totum officium constat, complectitur, *Psalterium*, ordine dispositum, dicebatur (*a*). Id vero, cum plus aequo productum esset, magis magisque sensim decurtatum, et ideo *Breuiarium* appellatum est. Eius recensendi, et emendandi curam concilium Tridentinum sedi apostolicae commisit (§. 648.). Tum summi pontifices illud *breuiarii Romani* nomine ediderunt (*b*), addito praecepto, vt omnes eodem imposterum vterentur, iis tantum exceptis, qui vel ex concessione pontificia, vel ex vetustissima consuetudine alium ea in re ordinem ac ritum haberent.

(*a*) Can. 24. 33. Dist. V. *de consecr.* (*b*) Sed nondum satis emandatum et purgatum esse Breuiarium, cordatiores dudum fassi sunt. Quod autem emendan-

dum est, hoc ipso penitus abrogandum esse, nemo sanus dixerit.

§. 799. Ecclesiae, in quibus horae canonicae quotidie agendae sunt.

Etsi vero horarum canonicarum solennitas ad omnes ecclesias, earumque clericos olim pertinuisse videatur; vsus tamen contrarius in omnibus fere ecclesiis parochialibus iam dudum obtinuit. In concilio certe Viennensi CLEMENS V. id tantum constituit, vt diurnum ac nocturnum officium in ecclesiis *cathedralibus*, *collegiatis* et *regularibus* horis debitis quotidie *decantetur*; in *aliis* vero ecclesiis *conuenienter ac debite*, ita nempe *celebretur*, vti vel lege peculiari, vel vsu et consuetudine definitum est (*a*).

(*a*) Cap. 1. *de celebrat. miss.* in Clem.

§. 800. Recitatio earum priuata.

De obligatione horas canonicas extra ecclesiam *priuatim* recitandi ius commune silet. Dubia sane, et obscura sunt loca (*a*), ex quibus interpretes, obligationem hanc clericis, et speciatim beneficiariis impositam esse, colligunt. Quod autem LEO X. in concilio Lateranensi, et PIVS V. ea de re statuerunt, vt beneficiarii, qui horas canonicas recitare negligunt, fructus beneficiorum suorum pro rata omissionis suos non faciant, quin et beneficiis priuentur (*b*), vim iuris communis non habet. Caeterum, quid communis consuetudo hac in re ferat, supra (§. 617.) indicauimus.

(*a*) Can. 2 Dist. XCI. Can. 54. Dist. 1. *de consecr.* Cap. 1. *de celebr. miss.* Cap. 15. *de Rescript.* in VI.
(*b*) Cap. 1. 2. *de fruct. benef. restit.* in VII.

CAPVT III.

DE DIEBVS FESTIS.

II. 9. De Feriis.

§. 801. Dies Festi.

Dies *festi* dicuntur, qui cultui diuino externo, communiter obeundo, speciatim dicati sunt, iique *ordinarii*, qui certis diebus singulis annis celebrantur, vel *extraordinarii*, qui ob peculiarem causam extra ordinem indicuntur. *Illi* vel *immobiles* sunt, vel *mobiles*, prout vel iidem semper anni dies, vel diuersi iis respondent.

§. 802. Ius eos instituendi.

Ius dies festos instituendi, hoc est, eos tum indicendi, tum sacra iisdem obeunda definiendi, est pars iuris liturgiam ordinandi (§. 646.), ideoque ad rectores ecclesiae pertinet (§. 34.). Tales sunt *episcopi* pro suis quique dioecesibus (*a*), penes quos etiam est ius, ea in re *dispensandi* (§. 496.); non autem abrogandi (§. 307.) illos dies festos, quos maior auctoritas religioni consecrauit.

(*a*) Can. 1. Dist. III. *de consecr.* Cap. 5. *h. t.* Conc. Trid. XXV. Cap. 12. *de Regular.*

§. 803. Quinam primo et deinceps instituti.

Sicut Apostoli in locum sabbathi, per legem christianam abrogati (§. 22.), diem solis, rediuiui a morte Christi memoriae sacrum, *Do-*

minici nomine, substituerunt (*a*); ita deinceps alii dies *diuini Seruatoris* nostri (*b*), tum *beatissimae virginis*, dein aliorum Sanctorum, *Apostolorum* inprimis et *Martyrum*, denique et *Confessorum* (*c*) honoribus consecrati sunt (*d*).

(*a*) I Cor. XVI. 2. Act. XX. 7. Apocal. I. 10. Can. 13. Dist. III. *de consecr.* In ecclesia *Graeca* Sabbathum quoque quasi festum agere (Can. Apost. 65. Can. 9. XXXIII. q. IV.; in *Latina* autem diem dominicum, quin et alios dies festos a vespera in vesperam celebrare moris erat Can. 5. Dist. LXXV Cap. 1. 2. *h. t.* Et adhuc *Vesperae* ad diem festum sequentem referri, eiusque veluti initium haberi solent. Sed in foro, et quod ad cessationem a laboribus attinet, dies festi a media nocte in mediam noctem computantur. L. 8. *de fer et dilat.* Cap. 24. *de off. et potest. iud. deleg.* (*b*) Can. 11. Dist. XII. (*c*) Inter primos, quibus hic honor obtigit, erat egregius ille confessor, beatus *Martinus*, Turonensis quondam episcopus. (*d*) Designationem dierum festorum, qui Seculo XII. in ecclesia Latina agebantur, Can. 1. Dist. III. *de consecr.*; similem ex Seculo XIII. Cap. 5. *h. t.* exhibet.

§. 804. Praecepta ecclesiae de iis seruandis.

De celebratione dierum festorum duplex nunquam non fuit ecclesiae praeceptum, *affirmatiuum* alterum, quod cultui diuino, sacrisque operari nos iubet; alterum *negatiuum*, quod ad exemplum legis Mosaicae (*a*), operas, quae a cultu diuino auocant, eumque impediunt, suscipere interdicit (*b*), et hoc ipso *ferias*, seu operum laborumque requietem imperat (*c*). Prioris tuendi causa imperatores christiani alterum legibus ita firmarunt, vt dies festi in ecclesia

etiam festi in foro, et *feriae ecclesiasticae* simul *ciuiles* essent (*d*).

(*a*) Exod. XX. 8. 10. (*b*) Can. 62. Dist. I. et Can. 16. Dist. III. *de consecr.* Cap. 1. 3. *h. t.* (*c*) *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium et iurgiorum, in seruis operum et laborum* CICERO de legib. II. (*d*) L. 3. 7. 11. Cod. *de Fer.* Lingua ecclesiastica omnes septimanae dies *ferias* dicit, ita vt dominicus sit feria prima, dein secunda, et sic porro retento tamen nomine *Sabbathi*, et diei *dominici*.

§. 805. Sacra ex praecepto affirmatiuo obeunda.

Praecepti *affirmatiui* seruandi causa constituta sunt *sacra*, tum *antemeridiana*, tum *postmeridiana*. Ad illa *conciones*, et diuinum *missae* sacrificium, praecipue pertinent; haec in publica *catechesi*, et solennitate *vesperarum* (*a*) consistunt. Vtraque faciendi, gregique commisso ministrandi curam parochis speciatim iniunctam, eorumque muneri propriam esse, supra (§. 537. 540.) memorauimus. Caeterum hic notamus: 1. Nemo de rebus diuinis ad populum dicere audeat, nisi ab episcopo approbatus sit (*b*). 2. Diaconis quidem et inferioribus clericis conciones et catecheses habendi potestas fieri potest (§. 47.); mulieres autem aliosque laicos ius nostrum ab hoc munere plane submouet (*c*).

(*a*) Etsi horarum canonicarum recitatio in plerisque ecclesiis parochialibus cessauerit; in pluribus tamen remansit vsus, *vesperas* diebus festis decantandi, earumue loco alias preces publice recitandi. (*b*) Cap. 13. §. 6. *de haeret.* Conc. Trid. V. Cap. 2. XXIV. Cap. 4. (*c*) Can. 20. Dist. IV. *de consecr.* Cap. 12. 14. *de haeret.* Cap. 10. *de poenit. et remiss.*

§. 806. Missae auditio.

De sacris die festo communiter obeundis canones id tantum expresse statuunt, vt omnes, rationis vsu praediti, sanctissimo missae sacrificio pie intersint (*a*). Verum praecepti huius ratio plane postulat, vt sacras etiam conciones audire, et ad alia pietatis exercitia animum applicare non negligamus (*b*). Nec mirum est, quod canones auditionem missae potius, quam sacrae concionis praescribant. Ponunt enim, concionem inter missarum solennia, dicto nempe euangelio, haberi. Id quod etiam Concil. Trident. non obscure indicat (*c*).

(*a*) Can. 64—66. Dist. I. *de consecr.* (*b*) Can. 62. 63. Dist. *cit.* Can. 16. Dist. III. *de consecr.* Conc. Trid. XXIV. Cap. 4. (*c*) Sess. XXII. Cap. 8. *de sacrif. miss.* XXIV. Cap. 7.

§. 807. Actus ex praecepto negatiuo interdicti.

Ex praecepto *negatiuo*, ciuili lege (§. 802.) munito, 1. abstinendum est ab operis rusticis et mechanicis, a nundinationibus et negotiis forensibus (*a*), nisi eiusmodi quid agere vel necessitas vrgeat, vel pietas suadeat (*b*) 2. Omnes actus *iudiciales* non solum prohibiti, sed, etsi partes forte consenserint, ipso iure nulli sunt, iis tantum permissis, qui sine causae cognitione absolui possunt, vel moram non ferunt (*c*). 3. Venia operas interdictas obeundi a magistratu ecclesiastico, vel ciuili petenda, et ab alterutro non nisi sciente altero concedenda est (*d*). 4. Cognitio de profanatione feriae sacrae mixti quidem fori est, ciuili autem iudici relinqui solet.

(*a*) Can. 1. 2. 3. XV. q. IV. Leges *patriae* nundinas tum hebdomadales, tum annales, venditiones aliasque auctiones, mercaturas item publicas speciatim interdicunt; cauponarum frequentationem, saltationes aliasque hilaritates solennes non, nisi peractis antemeridianis, et pomeridianis sacris, permittunt. *Constit.* 190. in Collect. cit. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1805. pag. 1. (*b*) L. 3. Cod. *de Fer.* Cap. 5. *eod.* (*c*) L. 2. 8. 10. Cod. *de Fer.* Cap. 1. 5. *eod.* Qui siue publicum, siue priuatum religionis suae exercitium habent (§. 138.), sacras quoque ferias agendi iure fruuntur. Hinc suis diebus festis neque ad operas manuum cogi, neque in ius vocari possunt: id quod de Iudaeis speciatim sancitum est. L. 2. Cod. *de Iudae.* (*d*) Vbi periculum in mora est, aut magistratus commode adiri non potest, solam pietatis aut necessitatis causam sufficere, ad summum parochi et praefecti loci consensum expetendum esse, interpretes tradunt.

§. 808. Dierum festorum ad iustum numerum reuocatio.

Ita quidem principes religiosam dierum festorum celebrationem tuendi officio functi sunt; tum vero, cum eorum multitudo reipublicae molesta esset, ex *iure inspectionis secularis* postularunt, vt vltra iustum numerum inducti abrogarentur, et noui posthac non, nisi impetrato placito regio, introducerentur (*a*).

(*a*) Hac ratione dierum festorum numerus, qui nunc apud nos obtinet, constitutus est. *Constit.* 196. 198 in Collect. cit. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1811. pag. 53.

§. 809. Dies festus princeps pascha.

Omnes per annum *mobiles* festi dies a principe die festo *paschali* ita pendent, vt, hoc constituto, facile sit, illorum cuiuis diem suum assignare. Ex decreto autem Concilii *Nicaeni* I.

pascha non cum Iudaeis ipsa die decima quarta primi mensis lunaris (*a*), sed dominica, eam proxime insequente, celebrandum est (*b*). Primus autem mensis anni lunaris est is, cuius luna decima quarta aut in ipsum aequinoctium vernum, XXI. Martii affixum, aut post illud incidit. Quo sumto, primus ille mensis semper incipiet a die nouilunii, quod inter diem octauam Martii, et quintam Aprilis contingit, et propterea *nouilunium paschale* vocatur (*c*).

(*a*) Exod. XII. 2. 18. (*b*) Can. 22. 23. 26. Dist. III. *de consecr.* (*c*) Hinc pascha vnius anni a paschate alterius anni XXXIV. diebus distare potest.

§ 810. Calendarii Iuliani vitia.

Qua in re, vti Concilium Nicaenum I., ita deinceps ecclesia *calendarium Iulianum* sequebatur. Sed hoc calendarium duplici vitio laborare, post plura demum secula compertum est. Nam 1. trecentos sexaginta quinque dies, et sex horas integras anno solari tribuit, cum tamen vndecim circiter minuta horis istis desint; 2. decimo nono quoque anno redeunte, nouilunia et plenilunia in easdem dies et horas redire ponit, cum tamen nouilunium fere sesquihora citius redeat. Ita vero an. 1582. aequinoctium vernum decem diebus, et luna decima quarta primi mensis lunaris quatuor diebus prius contigerat, quam calendarium Iulianum monstrabat.

§. 811. Calendarium Gregorianum.

Frustra de tollendis hisce calendarii vitiis,

et auertenda, quae inde imminebat, temporum inuersione iam initio seculi XV. actum est. Denique summus pontifex GREGORIVS XIII., adhibitis doctissimorum virorum consiliis, nouum calendarium an. 1582. proposuit, in quo tum aequinoctium vernum, tum nouilunium paschale ad conuenientes cum astrorum motu terminos reuocatum, atque ita stabilitum est, vt ab astronomicis rationibus notabiliter deflectere deinceps non possit. Ex eo tempore *calendarium*, quod antea *Iulianum* dicebatur, GREGORIANVM appellatum, et in omnibus ecclesiae catholicae partibus receptum est (*a*).

(*a*) Diu Protestantes in Germania, aliique principes a sacris catholicis alieni Gregorianam emendationem respuebant, non quod, necessariam esse, non intelligerent; sed quod a pontifice eam accipere nollent, causantes insuper, *ius calendarii* ad iura ecclesiae et potestatis ecclesiasticae pertinere. Anno 1700. protestantes in Germania aequinoctium quidem vernum ad normam calendarii noui constituerunt, ex eoque *calendarium* suum *correctum* vocarunt, ab exteris etiam regnis, protestantium religioni addictis, postea adoptatum; reiecta tamen Gregoriana nouilunium paschale computandi ratione. Tandem et hanc, cum aptiorem frustra conquisiuissent, totumque adeo calendarium Gregorianum, sed, quod nomen inuisum esset, sub nomine *calendarii imperii* an. 1776. receperunt.

§. 812. Dies paschalis aliorum festorum index.

Constituto igitur die paschali, 1. retro ab eo per sex hebdomades *tempus quadragesimale*, et feria quarta hebdomadis septimae *diem cinerum* habemus. 2. A paschate vsque ad *penteco-*

sten septem hebdomades numerantur, in quarum sexta post tres *rogationum*, seu *litaniarum dies* feria quinta *ascensio Domini* celebratur. 3. Prima post pentecosten dominica *Sanctissimae Trinitatis*, et post hanc feria quinta *Sanctissimi Corporis Christi mysterio* consecrata est. 4. Dies dominici, pentecosten insequentes, numeris signantur vsque ad *Aduentum Domini*, qui semper a die dominica, diei trigesimae Nouembris propinquiori, initium capit, vt scilicet post dominicam quartam aduentus *dies natalis Christi*, Seruatoris nostri, celebrari possit (*a*).

(*a*) Vid. ZECH de Iur. Rer. Eccles. P. I. Sect. II Tit. 19.

CAPVT IV.

DE IEIVNIIS ET VIGILIIS.

III. 46. De Obseruatione ieiuniorum.

§. 813. Ieiunium eccles. abstinentia.

Ieiunium sacrum*, seu *ecclesiasticum*, religionis scilicet, et poenitentiae studio susceptum, est abstinentia ab alimentis per totum diem vsque ad coenam, eamque frugalem, et carnis expertem (*a*). Tempus autem coenae est vtique vespertinum (*b*). Sed ex vsu et consuetudine ad meridiem coena anticipatur, *coenula*, seu, vt aiunt, *collatione* (*c*) tantum ad vesperas permissa. Si, quot volueris, mensas habere licet, mo-

do ne carne vescaris, sola haec ab esu carnium *abstinentia* minus proprie ieiunium vocatur.

(*a*) Ex iure communi ab iis quoque abstinendum est, *quae sementinam carnis trahunt, originem, vti a lacte, caseo et ouis.* Can. 6. §. 2. Dist. IV. Sed in terris nostris consuetudo id immutauit. (*b*) Can. 50. Dist. I. *de consecr.* Cap. 13. *de temp. ordinat.* (*c*) Can. 9. Dist. XLIV.

§. 814. Stata ieiuniorum tempora.

Stata ieiunia ad exemplum CHRISTI et *Apostolorum* ab ecclesia nascente *sponte* primum suscepta, frequenti vsu dein, ac *consuetudine* firmata, scriptis denique *legibus* sancita sunt, videlicet 1. *Ieiunium quadragesimale* (*a*) per sex hebdomades ante pascha, quibus ecclesia Romana diem cinerum, et tres sequentes addidit, vt, demtis diebus dominicis (*b*), numerus XL. dierum compleretur (*c*). 2. *Ieiunia quatuor temporum* feria quarta, sexta et sabbatho post tertiam dominicam aduentus, post primam dominicam quadragesimae, post dominicam pentecostes, et post diem anniuersarium exaltationis sanctae crucis (*d*). 3. *Ieiunia hebdomadalia*, *semiieiunia*, vel *stationum* dicta, olim feria quarta et sexta, nunc sexta et sabbatho seruanda (*e*).

(*a*) Can. Apost 68. Can. 3. Dist. XVIII. Can. 7. 8. Dist. III *de consecr.* (*b*) Iam inde a primis ecclesiae temporibus mos ita obtinuit, vt diebus dominicis, et apud Graecos etiam sabbathis, sancto duntaxat sabbatho excepto, nullum ieiunium esset. Can. Apost. 65. Can. 7. 47. Dist. XXX. Can. 9. 14. 15. Dist. III. *de consecr.* Cap. 14. §. 1. *de V. S.* Ex eo, quod omnes dies a paschate vsque ad pentecosten quasi dominici habeantur, nullum quoque intra eos ieiunium in-

dicendum est. Can. 8. 10. 11. Dist. LXXVI. (*c*) Can. 16. Dist. V. *de consecr.* Ieiunium *quadragesimale* dictum est, antequam ad XL. dies productum fuerit; varius enim fuit, quod ad dierum et hebdomadum numerum attinet, diuersarum ecclesiarum vsus. Can. 4. 5. Dist. IV. (*d*) Can. 1—7. Dist. LXXVI. (*e*) Can. 11. Dist. XII. Can. 11. 13. 16. Dist. III. *de consecr.*

§ 815. Vigiliae.

Alia insuper ieiunia pridie dierum festorum magis solennium inducta sunt, adiunctis *vigiliis*, quae de nocte in templis precando et psallendo agebantur, quo maiori religione dies festus celebraretur (*a*). Tales erant Vigiliae natalis Domini, paschatis, pentecostes, assumtionis beatissimae Virginis, SS. Ioannis Baptistae et Laurentii, omnium Sanctorum, et singulorum Apostolorum, vt tamen Vigiliae SS. Philippi et Iacobi, et Ioannis Euangelistae sine ieiunio essent (*b*). Ipsis Vigiliis dudum abolitis, remansit ieiunium pridie diei, Vigilias olim exigentis, seruandum (*c*).

(*a*) Dies rogationum olim et festi erant, et ieiunosi. Can. 1. 3. Dist. III *de consecr.* (*b*) Can. 9. Dist. LXXVI. Cap. 1. 2. *h. t.* Cap. 14. §. 1. *de V. S.* (*c*) Apud nos pridie illorum dierum festorum, qui abrogati sunt (§. 808.), nullum est ieiunium; contra vero tempore *Aduentus* feriis quarta et sexta ieiunia indicta sunt. *Constit.* 196. in Collect. cit.

§. 816. Canones de ieiunio et abstinentia.

De statis hisce ieiuniorum temporibus annotamus: 1. Ex eo, quod ieiunium quadragesimale abstinentiam a carne exigat (*a*), consequi videbatur, idem in aliis ieiuniis obseruan.

dum esse. 2. Diebus dominicis per quadragesimam, vtpote non ieiunosis, a carne abstinendum esse, nusquam expresse praeceptum (*b*), vsu tamen receptum est. 3. Ieiunium hebdomadale consuetudo iam dudum ita temperauit, vt sola àbstinentia seruetur (*c*).. 4. Dies natalis Seruatoris nostri siue feria sexta, siue sabbatho celebretur, lege abstinentiae solutus est (*d*). 5. Ieiunium, quod dies festus in feriam secundam incidens requirit, sabbatho praecedente agendum est (*e*).

(*a*) Can. 6. Dist. IV. Can. 8. Dist. III. *de consecr.* (*b*) Can. 7. 8. Dist. III. *de consecr.* de aliis quadragesimae diebus praeter dominicos intelligendi sunt, et Can. V. §. 1. Dist. IV. Can. 16. Dist. V. *de consecr.* non obscure hos eximunt. (*c*) Can. 31. Dist. V. *de consecr.* Cap. 3. *h. t.* (*d*) Cap. 3. *cit.* (*e*) Cap. 1. *h. t.*

§. 817. Quinam iis teneantur.

Ex interpretatione doctorum et consuetudine ieiuniorum lege, quatenus solam ab esu carnis abstinentiam iniungit, omnes infantia maiores, quatenus praeter carnis abstinentiam vnam tantum mensam et coenulam permittit, ii tantum obstringuntur, qui annum XXI. aetatis expleuerunt, nisi et hos vel *infirmitas* corporis, vel *labor* grauis ac durus excuset. Ea de re tradunt porro 1. an ex alterutra causa secundam mensam habere liceat, cuiusque conscientiae relinquendum; 2. ad carnes autem comedendas praeter iustam causam *dispensatione* opus esse; 3. huius dandae facultatem non solum episcopum, sed etiam parochum habere,

4. caeterum hac in re plurimum referre, quid vsus et consuetudo ferat (*a*).

(*a*) Can. 11. Dist. XII. In hisce regionibus episcopi iam per multos annos, quod ad abstinentiam ab esu carnis attinet, dispensare solent, id tantum vrgentes, vt singulis feriis sextis, et a feria quarta hebdomadis sanctae vsque ad pascha abstinentia seruetur. Alii censent, ieiunia religiosa consiliis potius et monitis, quam legibus regenda esse. Conc. certe Trid. in Contin. Sess. XXV. *de delectu ciborum et ieiuniis* admonere magis, quam praecipere videtur.

CAPVT V.

DE VENERATIONE SANCTORVM, SACRIS RELIQVIIS ET IMAGINIBVS.

III. 45. De Reliquiis et veneratione sanctorum.

§. 818. Venerationis sanctorum ratio.

Eos, qui ex hac vita, summa cum virtute transacta, migrarunt, coelo receptos, summe *beatos* et *sanctos* esse, minime dubitamus. Hos ergo, tanquam virtutum exempla praedicare, tanquam coelestis patriae ciues venerari, tanquam deprecatores apud Deum inuocare, rationi plane consentaneum, aequum et salutare esse, asserimus (*a*); contra vero contumelias in sanctos iactas, blasphemiae *mediatae* nomine damnamus (*b*).

(*a*) Conc. Trid. XXV. *De inuocat. et venerat. et reliq. sanct. et sacr. imag.* (*b*) Cap. 2. *de Maled.*

Iniuria nempe, seruis aut filiis illata, in dominum patremue redundat. L. 1. §. 3. L. 15. §. 44. *de Iniur.*

§. 819. Ius beatos sanctosque renuntiandi.

Quinam vero in Sanctorum numero habendi, et quo speciatim ritu colendi sint, eorum est diiudicare, penes quos est ius de liturgia statuendi (§. 646.). Hoc iure episcopi olim, et concilia, suffragante clero populoque acclamante, initio solis fere *martyribus*, qui pro Christo vitam cum sanguine profuderunt, postea *confessoribus* quoque, et *virginibus*, sanctimoniae et miraculorum fama inclitis, coelitum honores decernere solebant. Sed inde a seculo XII., ex quo ALEXANDER III. edixit, nefas esse, absque auctoritate sedis apostolicae quemquam quasi sanctum venerari (*a*), ius in sanctorum numerum referendi summo pontifici reseruatum est (§. 467.). Is autem duplici modo illud exercet, *canonizando*, vt aiunt, et *beatificando* (§. 230.). Vnde *Sancti* eximie dicuntur, quibus omnem cultum, sanctis exhiberi solitum, per vniuersam ecclesiam exhibere licet; *beati* vero, quos non nisi definito modo, et per certam ecclesiae partem colere permissum est.

(*a*) Cap. 1. *h. t.*

§. 820. Pontificum ea in re auctoritas.

Quamquam vero ea in re nec summi pontificis, nec ipsius ecclesiae iudicium infallibile est (§. 73.); confidere tamen possumus, re vera sanctos esse, quos sacrorum antistites non sine grauissimis argumentis vt tales ecclesiae propo-

nunt. Quodsi veritas deest: cogitatio, et animus, Deum in sanctis colendi, eundemque per sanctos inuocandi, errorem absque dubio expurgat.

§. 821. Venerationis sacrarum reliquiarum et imaginum ratio.

Simili modo 1. *sacras reliquias*, sanctorum nempe corpora horumque partes, nec non vestes, vasa et instrumenta, quibus vsi sunt, cum viuerent, 2. *imagines sacras*, veluti Iesu Christi, praesertim crucifixi, Deiparae virginis et aliorum Sanctorum, sanctaeque crucis (*a*) pie asseruamus, in honore habemus, et veneramur, non quod putemus, eas vi iuuandi praeditas, aut propter se colendas esse; sed vt fidei virtutisque christianae exempla ante oculos habeamus, et honorem, quo prototypa prosequimur, palam significemus (*b*). Quod vti plane decet et expedit: ita nefas omnino ac impium est, sacras reliquias et imagines violare, pedibus conculcare, confringere, comburere aliisue modis dehonestare (*c*).

(*a*) Reuerentiae erga effigiem sanctae crucis argumentum est, quod, qui scribere nesciunt, signum crucis instrumentis apponere soleant. L. 22 §. 2. Cod. *de Iur. deliber.* Nouell XC. in praef. (*b*) Can. 27. 28. Dist. III. *de consecr.* (*c*) Can. 27 cit., Cap. 2. *de offic. ordin.* in VI. Hinc nefas quoque est, sacras imagines, praesertim Iesu Christi in tabulis, humi positis, pingere, vel insculpere. L. vn. Cod. *Nem. lic. sign. Saluat.*

§. 822. Canones eam in rem.

Qua de re canones hasce cautelas praescri-

bunt: 1. Corpora et reliquiae sanctorum magis insignes non in aedibus priuatis, sed in ecclesiis collocentur, et 2. non nudae, sed in capsis seu thecis clausae exhibeantur, neque venales habeantur. 3. Nouae reliquiae non recipiantur, et imagines insolitae neque in ecclesiis neque in aliis locis exponantur, nisi ab episcopo recognitae, et approbatae fuerint (*a*).

(*a*) Cap. 2. *h. t.* Conc. Trid. *loc. cit.* Ex lege *Austriaca* statuae et vestes imaginum non praeferant materiam aliam praeter eam, ex qua ipsaemet constant, adeoque si fuerint lapideae, vestes earum itidem non sint nisi ex lapide. *Constitut.* 536. 540. in Collect. cit.

CAPVT VI.

DE SACRIS EXEQVIIS ET SEPVLTVRIS.

III. 28. De Sepulturis.

§. 823. Doctrina ecclesiae Catholicae de precibus pro defunctis.

Constans atque perpetua est ecclesiae Latinae et Graecae, etiam *non vnitae* doctrina, 1. vita functorum animas, scelere contaminatas ad *inferos* detrudi, perfecte iustas in *coelum* deportari, haud satis puras, donec debitam Deo expiationem fecerint, in *purgatorio* detineri; 2. afflictas hasce animas viuorum precibus, eleemosynis, aliisque pietatis operibus, potissimum vero missarum sacrificiis adiuuari (*a*); 3. nostrum igitur esse, non quidem pro *sanctis*, bea-

titate iam donatis (*b*), nec pro *impiis*, iustissimo Dei iudicio ad inferos deturbatis (*c*), sed pro animabus, in purgatorio detentis, vota et preces ad Deum fundere, vt, eo miserante, veniam vitamque beatam obtineant (*d*).

(*a*) Can. 22. XIII. q. II. Conc. Trid. XXV. *Decret. de purgat.* (*b*) Cap. 6. §. 2. *de celebr. miss.* (*c*) Can. 17. 21. XIII. q. II. (*d*) AVGVSTINVS ap. *Gratian.* Can. 19. 23. *loc. cit.* Catholicam ea de re doctrinam egregie explanauit ENGELBERT KLÜPFEL in Dissertat. *De precibus pro defunctis.* Friburgi Brisg. 1773.

§. 824. Exequiae, et sepultura sacra.

Quam ob rem ecclesia nostra non tantum corpora defunctorum, vt honeste sepeliantur, ex *humanitatis officio* curat; sed de animabus potissimum, vt purgatorii poenis liberentur, *religionis studio* solicita est. Hinc 1. *Exequiae sacrae*, seu psalmi et preces, *officium* scilicet *defunctorum* (*a*), et *missae*, quae coram corpore defuncti, ad ecclesiam delato, antequam illud sepultura afficiatur, ex solenni ritu fiunt (*b*). 2. *Sepultura sacra*, quae per sacerdotem fit, adhibitis cerimoniis et precibus, quas sacrorum rituum liber praescribit.

(*a*) Ex pio Christianorum more, psalmos et preces coram funere per noctem sepulturae praeuiam recitandi *officium defunctorum* ortum est, ex eoque *vigiliae defunctorum* adhuc appellantur. (*b*) Exequiae in funeribus paruulorum cessant, aliisque precibus eos funeramus, Deum laudantes, quod coelo eos receperit, simulque precantes, vt nos cum iis sociare dignetur.

§. 825. Exequiae post sepulturam.

Nunc quidem sepultura plerumque fit, non

praemissis exequiis; sed hae ex antiquissimo ritu post sepulturam tertio, septimo et trigesimo die adhuc repeti, nec non anniuersariae celebrari solent (*a*). Cumque exequiarum ad sepulturam ea sit ratio, vt, illis praemissis, haec sequatur; ideo in additis hisce exequiis feretrum vacuum adhibetur, coram quo, quasi praesente corpore defuncti, sacerdos, sacris peractis, ita preces pro illius anima fundit, ac si nunc demum terrae mandandum esset. Caeterum *exequiae breuiores*, omisso nempe officio defunctorum, plerumque aguntur.

(*a*) Can. 24. XIII. q. II. Can. 7. Dist. XLIV. Can. 35 Dist V. *de consecr.*

§ 826. Sacrorum funebrium locus parochia, minister parochus.

Nemo, antequam de morte eius satis constet, sepeliendus est (*a*). Locus autem sepulturae, et exequiarum est coemeterium, atque ecclesia, et quidem illius parochiae, cuius parochianus fuerat defunctus, (§. 534.), aut in qua alius forte mortem obiuit, nemine corpus eius petente (*b*). Ad officium nempe parochiale pertinet, parochianis, vt viuis sacramenta, ita defunctis sacra funebria ministrare, tum et alios, intra fines parohiae mortuos, ibique relictos (§. 539.), iusta sepultura afficere (*c*).

(*a*) Legibus nostris cautum est, vt nemo, nisi praeuia cadaueris inspectione, et elapsis ab obitu XLVIII. horis sepeliatur. *Ephem. reg. Bad.* an. 1809. pag. 105. (*b*) Cap 10. *h. t.* Cap. 2. *eod.* in VI. Hinc extra suam parochiam mortuus in eam transferendus

est, siquidem commode id fieri potest. Cap. 3. *h. t.* in VI. Si non, vtique in coemeterio loci, in quo decessit, sepeliendus est. (*c*) Lex *Austriaca* conciones funebres ruri habere vetat, nisi peculiaris causa subsit. *Constit.* 541. in Collect. cit.

§. 827. Sepultura in ecclesiis interdicta.

Ex antiquorum canonum sententia nequaquam in ipsa ecclesia, sed in eius atrio tantum, porticu aut exedris sepulcra facienda sunt (*a*). Postquam vero episcopis, abbatibus, presbyteris et *fidelibus laicis* sepultura in ecclesiis data est (*b*), eundem honorem impetrare omnes facile poterant. Nunc autem leges ciuiles, occlusis, quae in ecclesiis, monasteriis et hospitalibus habebantur, cryptis et catacumbis, sepulturas in illis penitus interdicunt, quin et praecipiunt, vt coemeteria, iuxta habitationes sita, in locis, ab iisdem remotis, vt primum occasio se offert, constituantur (*c*).

(*a*) Can. 15 XIII. q. II. (*b*) Can. 18. *ibid.* (*c*) *Constitut.* 244. 245. in Collect. cit. *Ephemer. reg. Bad.* an. 1804. pag. 22.

§. 828. Sepulturae electio quatenus libera.

Sepultura parochialis cessat, si quis alibi vel sepulcrum maiorum habet (*a*), vel sepulturam elegit. Electio autem sepulturae, modo locus, quem quis elegit, sacer sit (*b*), et iure sepulturae praeditus (*c*), adeo libera est, vt nec maritus vxorem (*d*), nec pater filium filiamue puberem (*e*) ea in re impedire queat. Testamenta et codicilli, quatenus de sepultura disponunt, solennitatibus non astringuntur, cum

sepulturae electio simplicis mandati rationem habere censeatur.

(*a*) Cap. 1. 3. *h. t.* Secundum leges *Austriacas* (5. Septemb. 1787. et 12. August. 15. Septemb. 1788.) *sepulcra maiorum* seu *gentilitia* non nisi in coemeteriis publicis haberi possunt. (*b*) Cap. 3. *cit.* Cap. 2. §. 1. *h. t.* in VI. (*c*) Ius sepulturae *fratribus praedicatoribus* et *Minoritis* aliisque religiosis ita concessum erat, vt in monasteriis et ecclesiis suis sepelire possent omnes, quicunque sepulturam in illis elegerint. Cap. 1. *h. t.* in VI. Cap. 2. *h. t.* et Cap. 3. *de Poen.* in Clem. Cap. 3. *h. t.* et Cap. 1. *de Priuileg.* Extrau. com. Nunc autem ius hoc legibus *cit.* penitus sublatum est, ipsique regulares non amplius in suis monasteriis, vti Cap. 5. *h. t.* in VI. statuit, sed in communi coemeterio sepeliendi sunt. (*d*) Cap. 7. *h. t.* Alioqui vxor in sepulcro mariti, et quidem vltimi, si plures habuit, condenda est. Can. 2. 3. XIII. q. II. Cap. 3. §. 1. *h. t.* in VI. (*e*) Cap. 4. *h. t.* in VI. Pro impuberibus patris est electio. Cap. 7. *h. t.*

§. 829. Iura stolae parochialis circa sepulturam et exequias.

Pro sepultura et exequiis quidquam *exigere* canones quidem vetant (*a*); *dandi* tamen consuetudinem laudant (*b*). Ex hac igitur parochi ob sepulturae et exequiarum curam praeter *oblationes*, quae alicubi ad aram fiunt (*c*), honoraria quoque accipiunt, suoque iure insuper petunt, vt, si *sepultura* extra parochiam facta est, *exequiae* tamen in ecclesia parochiali celebrentur (*d*), praesertim cum vsu contrario vbique fere sublata sit *portio canonica*, seu *quarta funeralis*, quae de oblationibus et aliis donationibus, ratione sepulturae alteri ecclesiae factis, parocho alioquin persoluenda erat (*e*).

(*a*) Can. 12. 14. 15. XIII. q. II. Cap. 8. 9. *de Simon.* (*b*) Cap. 42. *eod.* (*c*) Mos in baptismo, copulatione nuptiali et exequiis oblationes ad altare faciendi lege *Austriaca* abrogatus est. *Constit.* 545. in Collect. cit. (*d*) Ius alibi sepulturam habendi, non nisi *salua iustitia ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur*, concessum esse, intelligitur. Cap. 9. *h. t.* (*e*) De hac *portione canonica* vid. Cap. 1. 2. 8. 9. *h. t.* Cap. 2. *eod.* in VI. Cap. 2. §. Verum *eod.* in Clem. Conc. Trid. XXV. Cap. 13.

§. 830. Quibus canones sacram sepulturam negent.

Sepulturae et exequiarum sacrarum solennitas pro iis instituta est, qui in ecclesiae catholicae communione ex hac vita migrarunt, nec malefactis eo honore indignos se reddiderunt. Hinc sacra sepultura priuantur I. ob *seiunctionem* ab ecclesia catholica (*a*) 1. *infideles*, vt ethnici, Iudaei, Mahomedani (*b*); 2. *haeretici* eorumque in tuenda haeresi adiutores (*c*); 3. *excommunicati* et *interdicti*, siquidem nominatim et publice, vt tales, denuntiati sunt (*d*). II. ob *malefacta*, veluti 1. *duellantes*, qui in ipso conflictu occubuerunt (*e*); 2. qui sponte ac voluntarie se ipsos necarunt (*f*); 3. qui in ipso crimine perierunt (*g*); 4. qui per annum integrum confessionem sacram, et communionem paschalem neglexerunt (*h*); qui 5. ob scelera vltimo supplicio affecti sunt (*i*).

(*a*) *Nos, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.* Can. 1. 3. XXIV. q. II. *Careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica vnitate praecisi.* Cap. 12. *h. t.* (*b*) Can. 27. 28. Dist. I. *de consecr.* Infantes sine baptismo mortuos in parte coemeterii non sacra se-

peliendos esse, *libri rituales* monent. Lex *Austriaca* (31. Mart. 1785.) morem hunc merito abrogauit. (*c*) Cap. 8. 13. §. 5. *de haeret.* Cap. 2. *eod.* in VI. Idem de *schismaticis* Can. 3. XXIV. q. II. et libri rituales tradunt. Ex legibus nostris alterius religionis christianae consortes, proprio coemeterio destituti, in publico parochiae, ad quam pertinent, coemeterio sepeliendi sunt, omissis scilicet ritibus sacris, si in loco religionis catholicae alterius religionis consors humandus est. Sacram quippe sepulturam non locus facit, sed ritus. *Lex Austr.* 12. August 1788. *Edict. Constit. Bad.* I. §. 25. (*d*) Cap. 11. 14. *h. t.* Cap. 20. *de sent. excom.* in VI. (*e*) Conc. Trid. XXV. Cap. 19. (*f*) Can. 12. XXIII. q. V. In dubio, an quis sanae mentis fuerit, eius cadauer silentio sepeliri solet. (*g*) Can. 32. XIII. q. II. (*h*) Cap. 12. *de poenit. et remiss.* (*i*) His si poenitentes fuerint, *ius commune* sacram sepulturam concedit. Can. 30. XIII. q. II. Can. 12. XXIII. q. V.; *consuetudo* autem, et in multis terris *leges* eam negant.

§. 831. Denegationis huius ratio.

His aliisue cum ecclesia nostra sacrae sepulturae solennitatem denegat, tantum abest, ut de salute eorum propterea desperet, vt potius pro omnibus sine discrimine defunctis preces ad Deum iugiter fundat (*a*). Scimus enim, solennitatem istam eius quidem rationis, quam defunctus ad ecclesiam, non autem illius, quam ad diuinum iudicium habeat, argumentum esse. Quo sumto perspicuum est, quod ecclesia nostra communione non coniunctos eadem solennitate prosequi haud possit (*b*).

(*a*) *Sacrificia altaris pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur.* AVGVSTIN. ap. *Gratian.* Can. 23. XIII. q. II. Immo et pro non baptizatis. Nam *sa-*

ius hominis ex vtroque (sacramento baptismi et conuersione cordis) *completur. Nec si vnum eorum defuerit, ideo putare debemus, consequens esse, vt et alterum desit.* Idem ap *eund.* Can. 34. §. 4. Dist. IV. *de consecr.* (*b*) *Horum causa Dei iudicio reseruanda est, in cuius manu fuit, vt talium obitus non vsque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.* Leo I. ap. *Gratian.* Can. 1. XXIV. q. II.

CAPVT VII.

DE RELIGIONE VOTI.

III. 34. De voto et voti redemptione.

§. 832. Natura et religio voti.

Votum est promissio Deo facta aliquid praestandi, ad quod lege *cogente* non tenebamur, quae si vltro et deliberate de re honesta et salutari facta est, et sine alterius detrimento impleri potest, hanc sua natura vim habet, vt, salua reuerentia Deo debita, recedere ab ea non liceat (*a*).

(*a*) Can. 1. XVII. q. I. Cap. 6. *h. t.* Differt *votum* a simplici *proposito.* Illud enim animum Deo se speciatim obligandi ponit, qui in dubio non praesumitur. L. 47. *de O. et A.* Cap. 3. *h. t.*

§. 833. Vota irrita.

Nullam igitur obligationem inducunt vota 1. vi et metu extorta, si vis grauis, iniusta, et ad votum eliciendum ab altero illata (*a*);

2. ex errore, quo cognito quis plane non vouisset, nuncupata (*b*), 3. de re illicita, vel ad obtinendum finem illicitum facta (c); 4. non nisi cum laesione alterius persoluenda (*d*); 5. de re nullius ad fouendam augendamque pietatem momenti edita.

(*a*) Cap. 1. *de his, quae vi met. etc.* (*b*) L. 116. *de R. I.* Vota religiosa, etsi ex errore, qui causam dedit, facta sint, nihilominus seruanda esse, interpretes ex Cap. 14. *de conuers. coniug.* colligunt Verum sententia pontificis in Cap. *cit.* errorem ponit haud satis probatum, aut facile tollendum. Quo sumto nihil est, cur vota religiosa hic excipiamus. (*c*) Can. 1, 5, 15. XXII. q. IV. (*d*) Can. 2. 6. XXXIII. q. V.

§. 834. Votum reale, personale, mixtum.

Votum de re in gratiam tertii praestanda *reale*, de facto vouentem tantum attingente *personale*, de re et facto simul *mixtum* vocatur. Ea de re notamus: 1. Votum reale tertio, in cuius gratiam factum est, ius tribuit, rem voto promissam, a vouente eiusque heredibus exigendi (*a*). 2. Votum *personale* vouentem tantum obligat, non eius successorem, nisi is defuncti obligationem sponte susceperit (*b*). Et sicut ipse vouens illud implere debet, nec per alium id exequi potest; ita nec per alium implere tenetur, si ipse per se illud praestare non potest (c). 3. Votum ergo *mixtum* heredem vouentis eatenus tantum afficit, quatenus reale est.

(*a*) L. 2. *de pollicit.* Cap. 6. *de Testam.* Cap. 18. *de censib.* (*b*) Cap. 6. *h. t.* (*c*) Singulare prorsus, nec ad consequentia producendum est, quod in Cap. 8. *h. t.* habetur, eos nempe, qui votum expeditionem

cruciatam (§. 452.) adiuuandi per se adimplere nequeunt, illud per alios exequi debere.

§. 835. Votum simplex vel solenne.

Votum *personale* a sacro ordine, vel professione religiosa *solenne*, aliud quoduis *simplex* appellatur (§. 718.). *Illud* ex humana lege eam vim habet, vt vouentem ad actus voto contrarios inhabilem reddat; *hoc* id tantum efficit, vt actus contrarii illiciti sint, non autem inualidi (*a*).

(*a*) Votum praeterea vel *expressum* est, seu verbis editum, vel *tacitum*, seu actui, quem quis agit, a lege inditum. Sed haec diuisio ad religiosa tantum vota pertinet (§. 432. 434.). Alii enim actui, illique speciatim, quo ordo sacer tribuitur, votum per se inesse, nusquam legimus.

§. 836. Voti obligatio tollitur irritatione.

Obligatio ex voto orta duplici potissimum modo, *irritatione* nempe et *dispensatione*, tollitur. *Illa* contingit, cum is, cui vel voluntas vouentis, vel materia voti subiecta est, illud non iure factum, ideoque nullum esse declarat. Hac ratione parentes liberorum impuberum (*a*), superiores regulares suorum sodalium (*b*) vota *simpliciter*; coniuges autem, parentes et domini coniugum (*c*), liberorum et famulorum vota, *quatenus* iuribus suis aduersantur (§. 833.), irrita reddere possunt.

(*a*) Can. 14. XXXII. q. II. (*b*) Can. 2. XX. q. IV. Cap. 27. *de Elect.* in VI. Excipe votum seueriorem vitae religiosae disciplinam amplectendi. Cap. 18. *de Regular.* (*c*) Quo iure maritus in vxorem Can. 11. 16. XXXIII. q. V., eodem vxor in maritum hic vtitur, nisi quod votum mariti *vltramarinum* impedire non

potuerit. Cap. 9. §. pen. *h. t.* Id quod rursus omnino singulare est.

§. 837. Item dispensatione.

Dispensatio in voto fit, cum eius vinculum vel plane soluitur, vel, vt plerumque fieri solet, *commutatur*, vt nempe vouens aliud opus pium peragendi obligationem suscipiat (*a*). Qua de re annotamus: 1. facultatem dispensandi in votis, eaque commutandi ex iure communi habent episcopi, iique, qui iurisdictione quasi episcopali vtuntur (*b*), exceptis quinque votis, summo pontifici reseruatis (*c*). 2. Iusta dispensandi causa hic est, si votum vel initio minus iustum fuit, vel eiusmodi rerum mutatio accidit, vt saluo maiori bono seruari amplius non possit (*d*). Quamquam in vtraque specie obligatio voti per se cessat; eius tamen sanctitudo, et rectae conscientiae ratio postulat, vt dispensatio petatur.

(*a*) In opus euidenter melius quiuis votum commutare potest. Cap. 4. *h. t.* (*b*) Cap. 1. *h. t.* Eandem facultatem ex priuilegiis pontificiis habent superiores religiosorum mendicantium, immo omnes religiosi mendicantes, quibus eorum superior huius facultatis vsum non interdixit. (*c*) Videlicet vota 1. integrae et perpetuae castitatis, 2. statum religiosum assumendi, 3. peregrinandi Romam, seu ad limina Apostolorum, 4. peregrinandi Hierosolymam, et 5. ad S. Iacobum Compostellam. Cap. 5. *de poenit. et remiss.* Extrau. Com. Sed huc quoque pertinet, quod de iure dispensandi episcopali supra (§. 325.) monuimus. (*d*) Cap. 2. 7. *h. t.* Ad dispensationem in voto reali, manifesto, et palam edito, tertii quoque, in cuius fauorem factum est, consensus requiritur, nisi forte ex causa publica hoc iure priuandus sit.

CAPVT VIII.

DE RELIGIONE IVRISIVRANDI.

II. 24. De Iureiurando.

§. 838. Iusiurandum, assertorium, promissorium.

Iusiurandum est asseueratio religiosa, qua quis Deum inuocat, tanquam testem veri et vindicem, si sciens fefellerit. Quod si de factis praeteritis fit, *assertorium*, si de futuris, a iurante exequendis, *promissorium* vocatur. Illud porro, quod interueniente iudicis auctoritate praestatur, *iudiciale*, quod ad firmandas pactiones extra iudicium adhibetur, *extraiudiciale* seu *priuatum* dicitur (*a*).

(*a*) Iusiurandum sic differt a voto, quod huic semper insit promissum, non illi, et quod vouens *immediate* et *directe* Deo, iurans alteri aliquid promittat. Caeterum cum voto iusiurandum coniungi potest, vt si quis dicat: *Voueo ac iuro.*

§. 839. Iurisiurandi sanctitas.

Quicunque rerum omnium auctorem rectoremque Deum agnoscunt, et venerantur, nullum ad astringendam fidem vinculum iureiurando arctius esse, semper existimarunt. Hinc non modo reuerentiae, aduersus Deum adhibendae, sed fidei etiam et societatis inter homines seruandae officium quam maxime postulat, vt iurisiurandi religio summa cura et cautione colatur (*a*).

(*a*) Huc pertinet *Lex Badensis*, ad tuendam iurisiurandi religionem edita, quae plures iurisiurandi *iudicialis* species, hucusque in foris vsitatas, tanquam minus necessarias, abrogat, earumque in locum *sponsiones per dationem manus* substituit; alias porro cautiones, deinceps memorandas, praescribit, et speciatim §. 3. iuramenta *extraiudicialia* sub poena X. floren., ab vtraque parte soluenda, interdicit, praestita tamen nihilominus *valida* relinquit, et secundum regulam, iure canonico constitutam (§. 844.) seruari iubet.

§. 840. Comites iusti iurisiurandi.

Quod vt fiat, *tres comites* iusiurandum habeat, necesse est (*a*), videlicet 1. *veritatem*, vt praestetur ad mentem eius, qui id exigit, accipiendo scilicet verba eo sensu, quem ex communi loquendi vsu habent, absque omni cauillatione, distortione, et *mentali*, vt vocant, reseruatione (*b*); 2. *iudicium*, vt iurans rem, de qua iurat, et vim iurisiurandi plane intelligat (*c*); 3. *iustitiam*, vt de re illicita et turpi omnino non, de re licita non temere, et sine necessitate praestetur (*d*).

(*a*) Can. 2 XXII. q. II. Cap. 26. *h. t. Gratian.* ad Can. 23 XXII q. V. (*b*) Can. 9. *ibid.* (*c*) Eo iudicio puberes, id est, XIV. annis maiores valere, ius commune ponit. Can. 15. 16. XXII. q. V. Sed lex *Badensis* cit. §. 1. ad iustum iusiurandum aetatem XVIII. annorum requirit, et puberes, ea inferiores, non nisi vrgente necessitate, et impetrata dispensatione ad iurandum in iudicio admittit. Eadem lege §. 22—26. cautum est, vt, qui munus honorificum non gerit, ad iurandum non admittatur, nisi a proprio, quoad eius fieri potest, parocho adiurandam verborum formulam edoctus, de grauitate item iurisiurandi, et malitia periurii admonitus fuerit, eiusque rei testes lit-

teras iudici exhibuerit. (*d*) Can. 5. 14. XXII. q. I. Can. 8. XXII. q. IV. Lex *Badens.* cit. §. 2. ob suspectam fidem blasphemos, ad ergastulum plus quam annuum damnatos, periuros et infamia notatos a dictione iurisiurandi tamdiu remouet, donec, probata morum emendatione, restitutionem famae obtinuerint.

§. 841. Verba, quibus iurisiurandi vis insit.

Natura iurisiurandi in inuocatione Dei, tanquam testis et vindicis consistit. Sicut ergo quaecunque verba, hanc inuocationem satis exprimentia, iurisiurandi vim habent (*a*); ita eam vim non habent asseuerationes quaeuis aliae, et quantumuis religiosae (*b*). Neque verum iusiurandum est, si quis se refert ad iusiurandum, prius praestitum (*c*), aut *iurisiurandi loco* aliquid asseuerat (*d*), eoquod eiusmodi verbis Deus, vt testis, non inuocetur.

(*a*) Can. 7. 14. XXII. q. I. In Cap. 4. *h. t.* haec probatur formula: *Ita me Deus adiuuet, et sancta eius euangelia.* Ius Austriacum hanc habet: *Sic me Deus adiuuet.* Lex *Badens.* cit. §. 21. vtramque probat. (*b*) Cuiusmodi sunt contestationes sub *fide nobili* aut *sacerdotali*; asseuerationes *per coelum*, per *sanctos* aut *animam* suam. Obtestationis *per salutem principis*, qua Christiani, ne *per genium Caesaris* dicerent, olim vtebantur, vestigia exstant in L. 41. Cod. *de transact* et in Can. I. q. I. (*c*) Cap. 35. *h. t.* (*d*) Ambiguam hanc asseuerationis formulam lex *Badens.* cit. §. 40. penitus reprobat.

§. 842. Quinam iurare possint.

Caeterum nihil refert 1. cui religioni iurans addictus sit, modo verum, per quem iurat, Deum agnoscat, et veneretur (*a*); quin et ab eo, qui falsos Deos colit, iusiurandum accep-

tare licet (*b*); 2. vtrum iusiurandum ore detur, an per litteras (*c*), vtrum ab ipso iurante, an eius nomine ab alio, speciali mandato ad id instructo (*d*), qua in specie iusiurandum *in alterius animam* vocatur.

(*a*) Ita *Iudaei* ad iurandum recte admittuntur; quia vero ex leuissimis causis iurisiurandi religionem eludere solent: magna ad fidem eorum astringendam cautela opus est. Hanc lex *Badens.* cit. §. 37. praescribit. (*b*) Can. 16. XXII. q. I. (*c*) Ex lege *Badens.* cit. §. 34. iusiurandum scriptum in iudicio tum demum locum habet, si iurans munus honorificum sustinet, eumque dignitas, vel valetudo, vel absentia excusat, et is, cuius res agitur, contentus est. (*d*) Cap. 6. 7. *de Iur. calum.* Cap. 3. *eod.* in VI. Excipe causas, in quibus leges diserte requirunt, vt *propria manu, proprio iuramento* fides praestetur, vti Cap. 4. *de sent. excom.* Cap. 47. *de testib.* Lex *Badens.* cit. §. 35. plane exigit, vt, qui iusiurandum *assertorium* dicturus est, per se ipsum id dicat, eaque tantum in specie procuratorem admittit, si eius pariter interest, isque, vt mandans, certam rei notitiam habet, et ideo *in suam* aeque ac *alterius animam* iurare potest.

§. 843. Iusiurandum corporale et simplex.

Ad firmandam iurisiurandi religionem variae ceremoniae adhiberi solent, veluti vt iurans sacra euangelia, vel sceptrum tangat, aut dextera vel sursum porrecta, vel pectori admota iuret (*a*). Si iusiurandum, adhibita eiusmodi ceremonia, dicitur, *solenne* seu *corporale*, si solis verbis, *simplex* vocatur. Quocunque autem modo dicatur, iudicis est curare, vt a ieiuno, adeoque tempore antemeridiano dicatur (*b*).

(*a*) Ex lege *Badens.* cit. §. 28. 31. 32. iurisiuran.

dum in loco, actui huic sacro conuenienti, proposito vel sacro codice, vel Christi crucifixi imagine, et a viris quidem dextera sursum porrecta, a feminis pectori admota praestandum, et recipiendum est. (*b*) Can. 16. XXII. q. V. Idem lege *Badens.* cit. §. 33. constitutum est.

§. 844. Canones de vi iurisiurandi promissorii.

Iustum rectumque iusiurandum, si *assertorium* est, animum duntaxat et sermonem veracem, si *promissorium*, non modo sinceritatem in promittendo, sed omnem quoque diligentiam in promisso adimplendo requirit. Et hac de re ius canonicum sicut plane reprobat iusiurandum morum honestati aut iustitiae contrarium (*a*), ita, quod sine peccato et iniustitia seruari potest, sanctissime seruandum esse, inculcat (*b*).

(*a*) *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum.* Cap. 58. *de R. I.* in VI., *cum non, vt esset iniquitatis vinculum fuerit institutum.* Cap 18 *h. t.* (*b*) Omnino seruandum est iusiurandum, *quod non vergit in aeternae salutis dispendium, nec redundat in alterius detrimentum.* Cap. 28. *h. t.* Cap. 2. *de pact.* in VI.

§. 845. Consectaria.

Hinc 1. nullam vim habet iusiurandum, quo quid promittitur, quod legi diuinae repugnat (*a*), vel ius tertii quaesitum impedit (*b*), vel ob vtilitatem publicam penitus interdictum est (*c*). Contra vero 2. iusiurandum non solum negotio, ex se valido, nouum robur addit; sed etiam actus et contractus, qui fauore iurantis et ob ipsius vtilitatem a lege infirmati, vel recissioni subiecti sunt, validos et irreuocabi-

les efficit (*d*), ita vt eos seruandi obligatio ad heredes iurantis transeat (*e*).

(*a*) Can. 2. 3. 4. 6. 8. 22. XXII. q. IV. (*b*) Veluti quo quis pactum posterius in fraudem prioris firmare, aut alterius potestati subiectus iuri superioris detrahere vellet, quia *in iuramento debet intelligi ius superioris exceptum*. Cap. 19. *h. t.* (*c*) Tale est iusiurandum ab episcopo contra vtilitatem ecclesiae Cap. 27. *h. t.*, a rege contra ius et honorem coronae editum. Cap. 33. *eod.*, item quo quis, se nolle testem agere, promisit. Cap. 18. *de Testib.* Cap. 4. *de Testib. cog.* (*d*) Exempla habemus in donatione inter coniuges, et alienatione fundi dotalis Cap. 28. *h. t.*, in renuntiatione successionis Cap. 2. *de pact.* in VI., et in contractibus puberum. L. 1. et Auth. Cod. *si aduers. vendit.* (*e*) Cap. 6. *de Testam.*

§. 846. Obligatio iurisiurandi accessoria.

Ex eo autem, quod obligatio ex iureiurando promissorio *accessoria* tantum sit, ideoque actus, cui adiicitur, naturam sequatur, consequens est 1. iusiurandum ad ea tantum, quae diserte promissa sunt, pertinere, nec ad alia produci posse (*a*); 2. eidem tacite inesse omnes conditiones, quae in natura actus alioquin insunt (*b*); 3. sublata per remissionem aut compensationem obligatione ex pacto, sublatam quoque esse obligationem ex iureiurando (*c*); 4. iusiurandum vi metuque iniuste extortum, aut dolo elicitum (*d*), aut promissioni, quam stipulator sine violatione legis acceptare non potest, vtut voluntarie appositum (*e*), firmam obligationem haud inducere; ob eius tamen sanctitatem absolutionem a legitimo superiore petendam esse (*f*).

(*a*) Cap. 20. 35. *h. t.* (*b*) Cap. 3. 25. 29. *h. t.* Vnde sponsalia iurata non obstare videntur, quo minus iurans statum religiosum amplecti possit (§. 436.). Alium se expediendi modum pontifex in Cap. 16. *de sponsal.* suadet. (*c*) Cap. 2. *eod.* (*d*) Iurisiurandi religione eum duntaxat teneri, qui *sine metu et dolo sponte* illud dedit, in Cap. 28. *h. t.* et Cap. 2. *de pact.* in VI. diserte constitutum est. Aliud dicendum, si tale pactum postea spontaneo iureiurando firmatum esset, de qua re in Cap. 3. 4. *de his, quae vi. etc.* sermo esse videtur. (*e*) Eiusmodi est promissum iuratum, vsuras illicitas soluendi. Soluendas, dein vero repetendas esse, Cap. 6. *h. t.* traditur. Sed promittens exceptione doli sat tectus videtur. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.* Cap. 59. de R. I. in VI. (*f*) Cautio haec in Cap. 2. 8. 15. *h. t.* commendatur; denegatae autem absolutionis exemplum in Cap. 6. *de his, quae vi etc.* habetur.

§. 847. Absolutio ab ea a quo et quomodo fiat.

Legitimus superior hic est vel ecclesiasticus vel ciuilis, prout actus, iureiurando vestitus, huius vel illius iurisdictioni obnoxius est (*a*). Vtrinque autem absolutio duplici modo fieri potest, per sententiam nempe 1. iusiurandum, habita vel iurantis, vel materiae, vel rerum adiunctarum ratione, ex se irritum esse (*b*); 2. iurantem ex valido licet iureiurando non amplius obligatum esse, eoquod is, cui iuratum est, iure quaesito priuandus, vel actus iuratus rescindendus sit.

(*a*) Causas ciuiles ob additum iusiurandum ad iudicium ecclesiasticum pertinere, iure canonico quidem constitutum (§. 190.); sed contrario vsu dudum oblitteratum est. (*b*) Cum nempe *non tam absolutio est necessaria, quam interpretatio requirenda.* Cap. 18. *h. t.*

SECTIO IV.

DE REBVS ECCLES. TEMPORALIBVS, SPECIATIM DE SACRIS ET RELIGIOSIS.

CAPVT I.

DE REBVS ECCLES. TEMPORALIBVS GENERATIM.

§. 848. Res eccles. temporales duplicis generis.

Res *ecclesiasticae*, proprie sic dictae, seu *temporales* (§. 641.), quae ad ipsum cultum diuinum, et quidem *directum*, ceu instrumenta eum rite obeundi, adhibentur, *sacrae*; quae eum in finem comparatae sunt, vt fructus, ac prouentus afferant, sumptibus, quos cultus illius ratio exposcit, respondentes, *ecclesiasticae* speciatim, seu *bona ecclesiastica* appellantur.

§. 849. Res sacrae.

Rerum *sacrarum* duae sunt species; quaedam scilicet solenni *benedictionis* aut *consecrationis* ritu (§. 792.) sacratae sunt, vti *templa*, *arae* et *coemeteria*, quaedam *simpliciter* cultui diuino addicuntur, vti *lampades*, *candelabra*, *imagines* aliaque ornamenta, cultusque diuini subsidia (*a*). Tum *hae*, tum *illae*, quod sanctione poenali aduersus iniurias hominum munitae sint, *sanctae* appellantur (*b*).

(*a*) L. 6. §. 3. L. 9. *de diuis. rer.* §. 8. Instit. *de rer. diuis.* Falso obiiciunt, *haec omnia paganam superstitionem redolere, nosque credere, res ita sacras fieri per consecrationem aut benedictionem, vt dominium earum Deo offeratur, et religio quaedam res illas videatur occupare.* Heinecc. Instit. Iur. ciuil. §. 320. Enimuero, res illas, quibus ad cultum Dei externum vtimur, religioso ritu Deo dedicare, quis non conueniens et decorum, quis superstitiosum esse existimet? Rerum autem sacrarum dominium ecclesiis, seu coetibus religiosis, tribuimus, eamque religionem res sacras occupare merito putamus, vt profanarum instar eas tractare nefas sit. (*b*) L. 8. pr. L. 9. §. 3. *de diuis. rer.* §. 10. Instit. *eod.*

§. 850. Res eccles. speciatim sic dictae.

Ex eo tempore, quo beneficia ecclesiastica constituta sunt (§. 546.), *res ecclesiasticae*, speciatim sic dictae, veluti *aedificia*, *fundi*, *decimae*, aliaque *iura fructifera*, in duas potissimum species abierunt; prout enim earum vsus et fructus vel sacrorum ministris pro sustentatione, et stipendii loco assignatus, vel ad comparandas, et conseruandas aedes aliasque res sacras destinatus est, *bona* vel *beneficii* seu *mensae*, vel *templi* seu *fabricae*, alias *peculium ecclesiae* appellantur (*a*).

(*a*) Cap. 8. 10. *de reb. eccles. alien.*

§. 851. Vtraeque mobiles vel immobiles.

Res porro eccles. temporales pariter vel *corporales* sunt, vel *incorporales*, seu iura (§. 644.). *Illae* vel *mobiles* sunt, quae saluae de loco in locum moueri possunt (*a*), vel *immobiles*, quae vel plane non, vti res soli, vel citra corruptio-

nem, vti aedificia, loco moueri non possunt (*b*). Res sua natura mobiles, siquidem vel immobilibus, vt earum partem constituant, iunctae, vel perpetui vsus causa in iis positae sunt, immobilium iure aestimantur (*c*).

(*a*) L. 93. *de V. S.* (*b*) Res soli et aedificia, prouti vel habitationi tantum, vel vsui oeconomico destinata sunt, *praedia*, vel *vrbana*, vel *rustica* vocantur. L. 198. *de V. S.* (*c*) L. 13. §. 31. L. 17. §. 4. L. 14. 15. 18. *de act. em.* Iura, quae rei immobili inhaerent, vel ad rem immobilem consequendam parata sunt, rebus immobilibus, quae in rem mobilem sunt, vel ad eam consequendam tendunt, mobilibus accensentur. *Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* L. 15. *de R. I.* etsi re ipsa *minus est actionem habere, quam rem.* L. 204. *eod.*

§. 852. Ius circa res vel in re, vel ad rem.

Ius, quod circa res versatur, vel *in re*, vel *ad rem* esse dicitur (*a*). *Ius in re* seu *reale*, (*dominium* sensu latiori) est illud, quod *immediate* in rem ipsam, adeoque sine respectu ad certam personam habetur, et ideo contra quemcunque eius rei inuasorem, vel detentorem exerceri potest. *Ius ad rem*, seu *personale* est, quod in certam personam, ad dandum, vel faciendum aliquid nobis obligatam (*b*), habemus, quodque propterea non nisi contra istam personam exercere possumus (*c*).

(*a*) Distinctionem hanc ius *ciuile* quidem indicat L. 3. pr. L. 25. pr. *de O. et A.*; vocabula autem ius *canonicum* exhibet, et ad *spiritualia* quoque officia ac iura (§. 645.) transfert. Cap. 8. *de concess. praebend.* in VI. Cap. 40. *de Praebend.* in VI. (*b*) Vnde

ius obligationis vocatur in §. vii. Instit. *de reb. corp. et incorp.* (c) De suo iure, siue *in rem*, siue *ad rem* illud sit, disponere quiuis libere potest, sed eo discrimine, vt *ius ad rem* non nisi contra sibi obligatum, *ius in re* contra quemque rei possessorem exerceri possit.

§. 853. Vtriusque species.

Iuris in re quatuor sunt species, videlicet: 1. *dominium* sensu strictiori, 2. *hereditas*, seu ius hereditarium, 3. *seruitus*, et 4. *pignus*, seu *hypotheca*. Triplicis autem generis sunt facta, quae alteri aliquid dandi, vel in eius vtilitatem faciendi obligationem inducunt, adeoque *ius ad rem* pariunt, scilicet 1. *conuentiones*, *pacta* et *contractus*, seu promissiones, alteri factae, ab eoque acceptatae, 2. *delicta* seu *maleficia*, quae damnum resarciendi, poenamque ferendi obligationem imponunt, 3. *variae causarum figurae*, causae nimirum aliae, quibus leges vel ob aequitatem, vel ob vtilitatem publicam vim obligandi tribuunt (a). Sed harum rerum pertractatio, et euolutio ad *ius ciuile* pertinet; ex eo igitur iuris canonici studiosi cognitionem illarum hauriant, necesse est.

(a) Huc pertinent obligationes, quae *immediate* a lege alteri erga alterum imponuntur, et quae *quasi ex contractu*, vel *quasi ex delicto* originem ducunt.

§. 854. Ius res acquirendi ecclesiis datum.

Quaeuis sodalitas, seu *vniuersitas*, quae *legibus probata*, adeoque in ciuitatem recepta est (a), *personae vice fungitur* (b), eoque nomine bona quaeuis, quoad per leges licet, acquirendi et

possidendi iure gaudet (*c*). Patet igitur, *ecclesias, ciuiliter approbatas* (§. 139.), eodem acquirendi, et possidendi iure praeditas esse (*d*). Nempe per *ecclesias* hic intelligimus ecclesias *parochiales*, tum *dioecesanas*, tum *cathedrales*, seu *episcopales*, quatenus clerici, illis inseruientes, vna cum populo eorum curae ac regimini concredito, *peculiares* respectu vniuersae ecclesiae *vniuersitates* constituunt. Huc porro *sacella* et *sacellanos*, vtpote parochialis, intra cuius fines sunt, ecclesiae (§. 534.) partes et appendices, referimus.

(*a*) L. 1. pr. *Quod cuiusque vniuers. nom.* (*b*) L. 22. *de Fideiuss.* (*c*) L. 1. *cit.* §. 1. (*d*) L. 1. Cod. *de SS. eccles.* Can. 15. XII. q. I.

§. 855. Dominium earum rerum penes ipsas ecclesias.

Ex quo plane consequitur, *dominium*, seu *proprietatem rerum ecclesiasticarum temporalium* penes ipsas illas ecclesias parochianas esse, in quarum fauorem res tales collectae, et legitime congestae sunt (*a*). Itaque res ecclesiasticae eatenus tantum, quatenus in nullius priuati bonis sunt, *res nullius* (*b*), quatenus vsus earum, puta *sacrarum*, omnibus ecclesiae membris patet, *communes* (*c*), quatenus pars earum ad eleemosynam destinata est, *patrimonium pauperum* (*d*), ratione finis autem, ad quem vltimo referuntur, *res Dei*, et *patrimonium Iesu Christi* vocantur (*e*).

(*a*) Dominium hoc non solum ad *res dotales*, sed etiam posthac *acquisitas* pertinet. Summa enim rerum, ecclesiae cuidam initio attributarum, *res vniuersalis* est, vti *hereditas*, atque ita *iuris nomen est, quod et accessionem et decessionem in se recipit.* L. 178. §. 1. *de V. S.* Ad hoc plani iuris est,

nostrum fieri, quidquid vel naturae beneficio, vel opera et industria rei nostrae accedit, nec antea alterius fuit. Ita sane *dicendum est, dominium rerum ecclesiae residere penes ecclesiam illam particularem, cui talia bona applicata sunt pro dote, vt suadetur* ex Can. 13. XII. q. I. Can. 6. XVI. q. III. Cap. 13. de V. S.; *non autem est dominium penes ecclesiam vniuersalem, et multo minus penes ecclesiam materialem, seu lapideam, prout muris comprehenditur.* GONZALEZ. Commentar. Tom. III. in Cap. 2. *de reb. eccles. alien.* (*b*) L. 1. pr. *de diuis. rer.* §. 7. Instit. *eod.* (*c*) §. 6. Instit. *eod.* (*d*) Can. 59. XVI. q. I. Cap. 2. *de reb. eccles. alien.* (*e*) L. 26. Cod. *de SS. Eccles.* Cap. 16. *de praebend.* Cap. 34. *de Elect.* in VI. Conc. Trid. XXV. Cap. 1.

§. 856. Dominium scilicet limitatum.

Ita vero res ecclesiasticae temporales in dominio ecclesiarum sunt, vt eadem iura principum in illas sint, quae in aliarum vniuersitatum bona, in territorio ciuitatis sita, (§. 131.) locum habent. Hinc 1. cura suprema de his, quae ad conseruationem et administrationem illarum rerum spectant, vtrique regimini, ecclesiastico et ciuili communis est (§. 496.); vtrumque suo iure eam agit. 2. Ipsum quoque dominium, quod ecclesiae habent, vtrique regimini ita obnoxium est, vt res, vni ecclesiae minus necessariae, alteri attribui, ad aliosue pios vsus (§. 553.) vtriusque iudicio (§. 559.) adhiberi possint (*a*). 3. Res ecclesiasticae non sunt *res publicae* eo sensu, quod reipublicae eiusue imperantis propriae sint, vt adeo ecclesiae eodem proprietatis iure res suas possideant, quo priuati suas tenent (*b*). 4. Vi *dominii eminentis*

res ecclesiasticae in publicum redigi, aliosue vsus profanos impendi possunt, si tamen *ratio status*, salus scilicet reipublicae totius, vel maioris partis id plane postulat (*c*). 5. Tum vero damna, salutis publicae causa ecclesiis illata, quoad eius fieri potest, ex publico resarcienda esse, omnia iura clamant (*d*).

(*a*) Quocirca lege *Austriaca* (*Constit.* 235. §. 3. et *Constit.* 314. Collect. *cit.*) et *Badensi* (Edict. Constit. I. §. 12. 20.) cautum est, vt alterutrum regimen de eiusmodi causis non nisi audita alterius sententia statuat, et in Edict. *cit.* §. 9. speciatim sancitum est, res ecclesiasticas in vsus reipublicae ciuilis nunquam, in alios autem pios vsus non nisi iudicio regiminis ecclesiastici, accedente principis consensu, impendi posse. (*b*) *Bona ciuitatis* (vniuersitatis) *abusiue publica dicta sunt: ciuitates enim priuatorum loco habentur.* L. 15. 16. *de V. S.* (*c*) Hoc titulo ecclesiarum cathedralium, collegiatarum et regularium res non solum *profanae*, sed etiam *sacrae* pretiosiores per vniuersam fere Germaniam aerariis principum adiectae, ab iisque occupatae sunt. Qua ratione factum, hoc sit, ex actis publicis notum est. (*d*) L. 9. Cod. *de oper. publ* Vt subditis ius quaesitum auferatur *ex vi supereminentis dominii, primum requiritur vtilitas publica, deinde vt, si fieri potest, compensatio fiat ei, qui suum amisit, ex communi.* Hvgo Grot. de I. B. et P. Lib. II. Cap. 14. § 7. Sed damna ecclesiarum Germaniae compensatione debita nondum lenita sunt. Lenientur ne in posterum?

CAPVT II.

DE ECCLESIIS ET ARIS GENERATIM.

III. 27. De capellis monachorum, et aliorum religiosorum.

§. 857. Ecclesia, seu templum.

Ecclesia hic aedes significat, quibus ecclesia,

seu coetus Christianorum, ad sacra celebranda congregatur (*a*). Ad hunc finem Christiani initio quidem aedibus locisque priuatis vsi sunt, quandoque apud sepulcra martyrum conuenerunt; eos tamen vel ipsis vexationum temporibus peculiares ad sacra facienda aedes habuisse, annales perhibent. Reddita autem ecclesiae pace, corpora sanctorum martyrum in vrbes translata, aedesque in illorum memoriam tot superaedificatae sunt, vt ecclesiae a martyrum sepulcris ortum habere dicantur.

(*a*) Aedes has Christiani a destinatione *domus Dei*, *et orationis*, *Dominica*, et *Oratoria*, a martyrum reliquiis, ibidem reconditis, *martyria*, seu *memorias martyrum*, a magnificentia *basilicas*, communi nomine *ecclesias*, et tum demum *templa* appellarunt, postquam templa idolorum vel euersa, vel in christianas ecclesias commutata sunt.

§. 858. Oratorium domesticum, seu capella.

Praeter ecclesias, ad publicum omnibusque communem cultum diuinum aedificatas, nunquam non in vsu fuerunt *oratoria priuata*, seu *domestica*, id est, cubicula et tempella, ad rem diuinam cum suis ibidem peragendam, constituta. Talia imperatores et reges in suis palatiis, optimates et nobiles, praesertim ruri degentes, in aedibus et castellis suis, monachi item in coenobiis suis habere consueuerant, *capellarum* nomine posthac insignita (*a*). Inde *capellae palatinae* seu *regiae*, capellae *villaticae* (*b*), et *monasteriales* (§. 427.) dictae, clerici porro et sacerdotes, capellis inseruientes, *Capellani* vocati sunt.

(*a*) Ita vero, vt historici testantur, appellata sunt a *Capa B. Martini*, episcopi Turonensis, quam Reges Francorum in oratorio palatino inter alias sacras reliquias singulari veneratione asseruabant. (*b*) Can. 35. Dist. I. *de consecr.* Cap. 4. *de seru. non ordin.*

§. 859. Capellae in ecclesias mutatae.

Nunc autem 1. *capellae regiae*, earumque capellani exemtionis ab episcoporum potestate aliisque priuilegiis exornari solent (*a*), adeoque ecclesiis pares, quin et digniores censentur. 2. Capellae nobilium *villaticae* progressu temporum in ecclesias parochiales abierunt. 3. Capellae *monasteriales*, etsi hoc nomine in iure nostro adhuc veniant (§. 550.), vel ideo in ecclesiarum numero habendae sunt, quod pro suis *quasi parochiales* sint (§. 539.) aliisque omnia fere sacra (§. 428.) in iisdem ministrentur.

(*a*) Cap. 16. *de Priuileg.* Conc. Trid. XXIV. Cap. 11.

§. 860. Ecclesiae, proprie sic dictae.

Ex hodierno igitur loquendi vsu illae aedes sacrae, in quibus eucharistia perpetuo asseruatur, *ecclesiae* proprie, aliae omnes *capellae* dicuntur. *Ecclesia* ad id instituta, vt episcopus in ea munus suum obeat, *cathedralis* seu *matrix* (*a*), vt clerici *seculares* diuinum in ea officium, seu *horas canonicas* quotidie decantent, *collegiata*, vt *regulares* pro instituti sui ratione rem diuinam in ea peragant, *conuentualis*, vt certae viciniae habitatores sacra in ea suscipiant, *parochialis*, seu *baptismalis*, eoque respectu etiam *primaria* seu *matrix* vocatur, quo minor ecclesia, veluti *parochialis secundaria*, seu *filia* (§. 542.), ab ea pendet (*b*).

(*a*) Cap. 1. *de praescript.* Cap. 22. de V. S. (*b*) Cap. 3. *de eccles. aedific.*

§. 861. Capellae publicae et priuatae.

Capellae autem prout ad cultum Dei publicum vel priuatum constitutae sunt, *publicae* vel *priuatae* vocantur. Et *huius* quidem generis sunt capellae tum *domesticae*, seu conclauia, precibus piisque exercitationibus dicata, tum *vulgares*, seu aedicule, pietatis causa in agris et viis publicis constructae.

§. 862. Arae.

Ecclesiarum et capellarum publicarum partes praecipuae sunt *Arae*, seu *Altaria*, id est, mensae, sacris eucharisticis dicatae. Primi Christiani sicut templa, ita et aras se habere, negarunt, eiusmodi scilicet aras, in quibus idolis sacrificatur, pro eucharistiae autem sacramento, et mystico sacrificio haud dubie mensam adhibuerunt, quam apostolus *mensam Domini* appellauit (*a*), sancti patres *mensam mysticam*, *tremendam*, *spiritualem*, *diuinam*, et *aram incruentam* vocarunt.

(*a*) I. Cor. X. 21. Conc. Trid. XXII. Cap. 1. *de sacrif. miss.*

§. 863. Arae lapideae.

Altaria Christianorum initio *lignea* erant; inde autem a seculo IV. receptum est, vt non nisi *lapidea* adhiberentur (*a*), columnis vel operi latericio imposita, tumulique formam referentia, eoquod super corpora sanctorum martyrum, tanquam sepulcra eorum, ponerentur

(§. 857.). Inde fluxisse videtur, quod adhuc in aras consecrandas sanctorum reliquiae includantur (*b*), et locus arae, quo reconditae sunt, *sepulcrum* appelletur (*c*).

(*a*) Can. 31. 32. Dist. I. *de consecr.* (*b*) Can. 26. Dist. *cit.* (*c*) Cap. 1. *de consecr. eccles.*

§. 864. Arae fixae et portatiles.

Olim in eadem ecclesia vnum duntaxat altare fuit. Sed iam seculo VI. plures in eadem ecclesia aras ponendi mos obtinuit. Latini in aediculis, intra ecclesiam aedificatis, Graeci in sacellis, ecclesiae adiunctis, eas collocare solent. Sunt porro apud nos altaria vel maioris molis, et *fixa*, quae fulcro suo firmiter inhaerent, vel *portatilia*, *viatica*, seu tabulae saxeae, quae de loco in locum transferri facile possunt (*a*), eaque, vbi fixa desunt, adhibentur (*b*).

(*a*) Cap. 30. *de priuileg.* (*b*) Can. 30. Dist. I. *de consecr.* Graeci eorum loco *Antimensiis* vtuntur, quo nomine veniunt mappae consecratae, et sacris reliquiis impletae, quibus mensam, arae vicem sustinentem, tegunt.

CAPVT III.
DE CONSECRATIONE ECCLESIARVM ET ALTARIVM.

III. 40. De consecratione ecclesiae vel altaris.

§. 865. Ecclesiae et Arae consecrandae.

Ecclesia, recens extructa, vt diuina officia

in ea celebrare liceat, quam citius fieri potest, *consecranda*, aut saltem *benedicenda* est (*a*); *arae* autem, vt super illis missae sacrificium facere liceat, necessario *consecrandae* sunt (*b*). Ad consecrationem ecclesiae sacris reliquiis, sub altari primario recondendis, opus esse, omnes affirmant; eandem vero necessitatem, quod ad aras secundarias, tum fixas, tum portatiles, attinet, plures iuris nostri interpretes negant, testanturque, vsum inualuisse, aras, praesertim *portatiles*, sine reliquiis consecrandi.

(*a*) Can. 11. 13. Dist. I. *de consecr.* Cap. 10. *h. t.* (*b*) Can. 18. 25 31. 32. Dist. cit.

§. 866. Ius consecrandi penes episcopos.

Munus ecclesias et aras consecrandi cuique in sua dioecesi episcopo demandatum est (*a*). Idem munus abbatibus, aliisque presbyteris a summo quidem pontifice, non autem ab episcopo committi posse, ius commune statuit (*b*); quin et addit, sine summi pontificis auctoritate ne episcopos quidem ecclesias consecrare posse (*c*). Sed hoc vsu receptum non est, de *illo* autem supra (§. 501. 502.) disputauimus.

(*a*) Can. 28. VII. q. I. Can. 26. XVI. q. VII. Can. 14 15. 25. Dist. *cit.* Cap. 1. *de religios. dom.* (*b*) Can 4. Dist. LXVIII. Cap. 1. 9. *h. t.* (*c*) Can. 4—8. Dist. *cit.*

§. 867. Ritus consecrationis ecclesiae.

Consecratio ecclesiae quouis die fieri potest (*a*), decentius tamen die dominico aut festo peragitur, seruatis ritibus ac ceremoniis, in pontificali Romano descriptis, cuiusmodi prae-

cipue sunt: 1. Eligitur *patronus*, vel *titulus* (persona vel res sancta), cuius memoriae dedicanda, et a quo deinceps appellanda sit ecclesia (*b*). 2. Pridie diei consecrationis ieiunium seruatur, et vigiliae coram sacris reliquiis, in aram simul consecrandam includendis, aguntur (*c*). 3. Duodecim cruces, in parietibus depictae, chrismate inunguntur. 4. Super altari, recens consecrato, consecrans vel per se, vel, si nimio labore fatigatus sit, per alium missam facit (*d*). Ad haec constitutum est, dedicationis solennia octo diebus celebranda, et quotannis recolenda esse (*e*).

(*a*) Cap. 2. *de consecr. eccles.* (*b*) Olim ecclesiae sub nomine, et in honorem *martyrum* (§. 857.) plerumque dedicabantur. Can. 5. Dist. I. *de consecr.* Tum *confessoribus* quoque idem honor habitus est. Ad initium seculi V. supra corpus B. MARTINI. in vrbe Turonensi basilicam aedificatam esse, et Iustinianum Imp. in honorem S. ANNAE templum splendidissimum exstruxisse, ex annalium fide constat. (*c*) Can. 26. 29. Dist. I. *de consecr.* (*d*) Can. 3. Dist. *cit.* (*e*) Can. 16 17. Dist. *cit* Cap. 14. *de poenit. et remiss.* Cap. 3. *eod.* in VI. Ex legibus nostris encaenia in omnibus locis vna eademque die, Dominica nempe tertia mensis Octobris, celebranda sunt. *Constit.* 187. 210. in Collect. cit.

§. 868. Benedictionis ratio.

Cum solennis ecclesiae consecratio non semper haberi possit; ecclesiam autem exstructam exornatamque diuinis officiis carere non conueniat; illius loco sensim introducta est *benedictio*, vi cuius ecclesia perinde, ac si consecrata esset, apta redditur ad officia diuina pera-

genda, modo pro missarum celebratione, ara consecrata adsit. Qua de re notamus: 1. Benedictio ecclesiae, ad normam in *libro rituali* praescriptam facienda, per sacerdotem, ab episcopo delegatum, fieri potest. 2. Ea adhibetur in subsidium consecrationis, et per modum prouisionis, vsque dum consecratio sequatur. 3. Benedictio ecclesiae anniuersariam eius celebrationem, seu encaenia non inducit. 4. Ecclesiae minores, et capellae publicae sola benedictione affici solent.

§. 869. Ecclesiae aut Arae execratio.

Ecclesias, capellas et aras, quatenus de earum consecratione aut benedictione constat (*a*). rursus consecrare aut benedicere non licet (*b*). Facta autem earum *execratione*, hoc est, sublata consecratione vel benedictione, alterutra renouanda est. Et *ecclesia* quidem, vel *capella* execrationem subiit, si tota, vel maiori ex parte diruta, aut crusta interioris parietis deiecta est (*c*). *Altare* vero execratum censetur, si tabula lapidea a fulcro suo disiuncta, vel disrupta est, aut, fracto sepulcro, sacrae reliquiae ablatae sunt (*d*). Ex eo autem, quod alia aedis, alia altaris sit consecratio, consequens est, vt execratio vnius execrationem alterius non inferat.

(*a*) Can. 16. 18. Dist. I. *de consecr.* (*b*) Can. 20. Dist. *cit.* Can. 3. Dist. LXVIII. (*c*) Cap. 6. *de consecr. eccles.* (*d*) Can. 19. Dist. I. *de consecr.* Cap. 1. 3. *de consecr. eccles.*

§. 870. Ecclesiae pollutae reconciliatio.

Ecclesia, manente consecratione aut bene-

dictione, *polluta* dicitur, si *publice notum* est, certa quaedam delicta intra ipsam perpetrata fuisse. Eiusmodi delicta sunt 1. homicidium, vel vulneratio iniusta et sanguinolenta (*a*), 2. lasciua seminis humani effusio (*b*), 3. sepultura hominis infidelis, aut publice et nominatim excommunicati (*c*). Haec enim, a loci sanctitate adeo aliena esse, censentur, vt iam nefas sit, diuina in eo officia obire, donec reconciliatus, et quasi expurgatus fuerit. *Reconciliatio* autem ex ritu praescripto facienda est ab ipso episcopo, si de ecclesia consecrata (*d*), ab alio sacerdote, etiam non exspectato episcopi iussu, si de benedicta tantum sermo est (*e*). Caeterum, ecclesia polluta, altaria quoque polluta sunt, eoquod praecipuam illius partem constituant (*f*).

(*a*) Cap. 4 *de consecr. eccles.* (*b*) Can. 19. Dist. I. *de consecr.* Cap. 5. *de adulter.* Cap. vn. *de consecr. eccles.* in VI. (*c*) Cap. 27. 28. Dist. I. *de consecr.* Cap. 7. *de consecr. eccles.* (*d*) Cap. 9. *eod.* Quanquam consuetudo, simplicem sacerdotem delegandi in Cap. *cit.* corruptela dicatur, eam tamen in multis locis vigere, interpretes testantur. (*e*) Cap. 10. *de consecr. eccles* (*f*) Cap. vn. *eod.* in VI.

CAPVT IV.

DE SACRA ECCLESIARVM SVPELLECTILE ET COEMETERIIS.

III. 28. De Sepulturis.
— 44. De custodia eucharistiae, chrismatis et aliorum sacramentorum.

§. 871. Supellex ecclesiarum, vasa sacra.

Ad liturgiam in ecclesia, praesertim paro-

chiali, ex praescripto agendam, tum apparatu ornatuque haud tenui, tum coemeterio opus est. Ad *illum* varia tum *vasa*, tum *vestimenta*, et *instrumenta* pertinent. Et vasa quidem haec praecipue: 1. Ad missae sacrificium *calix* cum *patena* consecratus (§. 446.), aureus, vel argenteus, cogente inopia saltem stanneus, (a), 2. pro conseruanda eucharistia *ciborium* ad sacram communionem in ecclesia ministrandam, aliaque *pyxis*, in qua ad aegrotos deferri possit; item *hierotheca*, in qua sacrosanctum corporis Christi mysterium populo monstretur (b). 3. Ad asseruandum sacrum oleum et chrisma (§. 791.) pyxides accommodatae. Qua de re cautum est, *vt in cunctis ecclesiis* (parochialibus vel quasi) *chrisma et eucharistia sub fideli custodia* (in tabernaculo) *clauibus adhibitis conseruentur* (c).

(a) Can. 44. 45. Dist. I. *de consecr.* (b) Can. 93. Dist. II. de consecr. Conc. Trid. XIII. Cap. 5. 6. *de SS. eucharist sacram.* Eucharistiam, in ciborio asseruatam, singulis octo diebus renouandam esse, ex Cap. 57. *de sent. excom.* quidam colligunt. (c) Cap. 1. *h. t.* Add. Can. 94. Dist. *cit.* Cap. 10. *de celebr. miss.* Ex generali, per legem *Austriacam* expresse probata consuetudine est, vt ante sacrarium, in quo eucharistia asseruatur, die noctuque lampas ardeat. *Constit.* 548. Collect. cit.

§. 872. Vestes, mappae et campanae.

Huc porro pertinent 4. *vestes sacerdotales*, quibus sacrorum ministros, cum munia sua obeunt, ornatos esse decet (a); 5. *mappae* linteae ad aras tegendas, et *corporalia* pariter lin-

tea, quibus sacra hostia et calix imponitur (*b*); 6. *campanae*, seu *nolae* ad populum in ecclesias conuocandum, monendumque, vt preces fundat (*c*). Et hae quidem vestes, mappae, ac campanae *benedictionis* ritu sacratae sint, oportet (*d*).

(*a*) Eius generis sunt *amictus* seu *humerale*, *alba*, *cingulum*, *orarium* seu *stola*, *manipulus*, *casula*, *tunica*, *dalmatica* et *pluuiale*. Can. 9. Dist. XXIII. (*b*) Can. 46. Dist. I. *de consecr.* (*c*) Cum capellae monachorum ius ecclesiarum habeant (§. 859.), campanas quoque habere possunt. Cap. 10. *de priuileg.* Cap. 16. *de excess. praelat.* Religiosis mendicantibus ius commune vnam tantum campanam permittit. Cap. vn. *de offic. custod.* Extrau. Com. Coelo tonante campanas pulsare moris erat, quasi earum sono vis tempestatis frangi, aut arceri posset. *Lege Austriaca* (16. Nouemb. 1783.) et *Badensi* mos hic penitus sublatus est. *Ephem. reg. Bad.* an. 1808. pag. 111. (*d*) Can. 42. 46. Dist. I. *de consecr.* Benedictionum istarum formulas *Rituale Romanum* exhibet.

§. 873. Imagines, et varia instrumenta.

Huiusmodi res praeterea sunt 1. *imagines* Christi crucifixi, beatissimae virginis et aliorum sanctorum (*a*), 2. *candelabra*, *cerei* et *lampades*, *thus* et *thuribulum*, *peluis* aquae lustralis et *adspergillum* (*b*), 3. *organum* aliaque *instrumenta musica*, inde a seculo X. in ecclesias introducta (*c*). Hanc autem, omnemque aliam templorum supellectilem tum ad excitandam fouendamque pietatem, tum ad dignam decentemque sacrorum celebrationem comparatam esse, nemo non intelligit.

(*a*) Can. 27. 28. Dist. III. *de consecr.* (*b*) Anti-

quissimum horum instrumentorum in sacris vsum esse, omnes sacrorum rituum libri, aliaque monumenta loquuntur. De *incenso* Can. apost. 3. speciatim mentionem facit. (*c*) *Cantus*, qui plana et graui voce sine instrumentis musicis, aut organo tantum adhibito fit, *ecclesiasticus* vocatur, *figuratum* vero dicunt, vbi varia instrumenta musica consonant. De huius in ecclesiis vsu et abusu vid. Cap. vn. *de vit. et honest. cler* Extrau. Com.

§. 874. Coemeterium.

Coemeterium, latine *dormitorium*, seu *domus*, *vt ita dixerim*, *defunctorum* (*a*) est locus publicus, sepulturae Christianorum dicatus. Initio Christiani, prout apud Romanos moris erat (*b*), extra vrbes et pagos prope vias publicas sepulcra posuere. Postquam vero sanctorum martyrum corpora in vrbes translata, eorumque honoribus ecclesiae superaedificatae sunt, iuxta saltem, si non intra eas sepeliri plerique desiderarunt. Inde coemeteria, ecclesias ambientia, originem ducunt (c).

(*a*) L. 4. Cod. *de sepul. viol.* (*b*) L. 3. §. 5. *de sepul. viol.* L. 12. Cod. *de relig. et sumt. fun.* (*c*) Nouell. Leon. LIII. Can. 15. XIII. q. II.

§. 875. Eius benedictio.

Ecclesiae nostrae coemeteria, siue templis, tanquam partes earum, *contigua*, siue ab iis *separata*, et, quod magis conuenit, extra habitationum pomoeria sita sint (§. 827.) non solum honestae sepulturae, sed cultus quoque diuini causa instituta sunt. Merito igitur receptum est, ea ecclesiarum instar *benedictionis* ritu ab episcopo, vel sacerdote delegato sa-

cranda (*a*), nec non regimini episcopali obnoxia esse (*b*).

(*a*) Ritum benedicendi coemeterium *Rituale Romanum* exhibet. (*b*) Cap. 13. *de sepult*. Cap. 2. *de immunit. eccles.* in VI.

§. 876. Eiusdem reconciliatio.

Coemeterium igitur ob similitudinem, quam cum ecclesia habet, iisdem modis, quibus illa, polluitur. Quo facto sepelire quemquam sacro ritu non licet, donec reconciliatio facta sit (*a*). Polluta autem ecclesia coemeterium quoque, siquidem contiguum est, pollutum censetur; non tamen vicissim, ne, quod minus dignum et accessorium est, maius et principale ad se trahere videatur (*b*).

(*a*) Ordinem coemeterium violatum reconciliandi *Romanum rituale* pariter exhibet. (*b*) Cap. vn. *de consecr. eccles.* in VI.

CAPVT V.

DE AEDIFICANDIS ET REPARANDIS ECCLESIIS.

III. 48. De ecclesiis aedificandis vel reparandis.

§. 877. Capellae priuatae conditio.

Capellam *domesticam*, et, quoad per ordinem disciplinae publicae licet, *vulgarem* (§. 861.), vt quiuis in suo ponere sibique habere, ita rursus tollere, et ad vsus profanos reducere

potest. *Pia* tamen eiusmodi *loca* non solum, ne quid indecens, et a religione alienum in iis fiat, *visitationi* episcopali obnoxia sunt (*a*); sed nec missas in illis facere, nec alias sacri ministerii functiones in illis obire licet (*b*), nisi facultate, ab episcopo speciatim impetrata (*c*).

(*a*) Conc. Trid. XXII. Cap. 8. (*b*) Excipe capellas domesticas, quas religiosi in monasteriis, aut villis suis habent. Cap. 27. *de cens.* Cap. 10. *de priuileg.* (*c*) Can. 33. 34. Dist. I. *de consecr.* Nouell. LVII. Lex *Austriaca* ad mentem Conc. Trid. XXII. in *decret. de celebr. miss.* episcopos monet, ne hanc facultatem facile concedant. *Constit.* 235. §. 2. in Collect. cit.

§. 878. Ecclesias et capellas publicas aedificandi ratio.

Sed *ecclesiae* et *capellae publicae* eam rationem ad liturgiam habent, vt sine auctoritate ecclesiastica construi non possint. Hanc vero episcopus dioecesanus recte interponit, si causa cognita, apparet, 1. pietatis salutisque animarum rationem subesse (*a*); 2. dotem ad sacram supellectilem comparandam, ministros alendos et sarta tecta seruanda sufficientem haberi (*b*); 3. sine alterius damno rem fieri posse (*c*). Tum episcopi est, vt vel per se, vel per sacerdotem delegatum locum et atrium designet, crucem in loco figat, in quo altare esse debeat, et primarium lapidem in fundamento ponat (*d*).

(*a*) Can. 10. Dist. I. *de consecr.* Cap. 3. *de eccles. aedif.* (*b*) Nouell. LXVIII. Cap. 2. Can. 9. Dist. *cit.* Cap. 8. *de consecr. eccles.* (*c*) Cap. 1. 2. *de N. O. N.* Quam ob rem audiendi sunt omnes, quorum interesse potest, ne aedificetur, inprimis vero principis consensus deposcendus est. (*d*) Can. 10. XVIII. q. II. Nouell. cit. Cap. 1. Ad constituendam eccle-

siam *collegiatam*, aut aliam, in qua *dignitas* sit, episcopi auctoritatem non sufficere, sed pontificia opus esse, quidam tradunt; idoneo autem argumento non probant.

§. 879. Dos sufficiens vnde petenda.

Dos autem sufficiens vel a benefico fundatore offertur (§. 604.), vel publica auctoritate constituitur. Atque hoc fit, quoties bonum commune ecclesiae parochialis *primariae*, vel saltem *secundariae* (§. 860.) creationem postulat (§. 536.). Qua in specie ius nostrum praecipit, vt congrua portio ex fructibus ad ecclesiam veterem quomodocunque pertinentibus, decerpatur; dein et populus, de cuius commodo agitur, ad ea, quae desunt, subministranda compellatur (*a*). Populo autem inopia laborante, vel ad communem bonorum ecclesiasticorum massam (§. 546.), vel ad principem, vt munificum ecclesiae aduocatum (§. 133.), recurrendum erit.

(*a*) Cap. 3. *h. t.* Conc. Trid. XXI. Cap. 4. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1808. pag. 114. peculiarem *de aedificandis et reparandis ecclesiis* legem exhibent, qua praeter alia, deinceps memoranda, §§. 5. 14. 17. cautum est, vt si ecclesia parochialis, vbi antea nulla fuit, constituenda sit, decimatores tum demum sumptus dare debeant, cum *ineuitabilis* necessitas vrget; extra hanc eatenus tantum pecunias contribuere teneantur, quatenus ex ea re commoda illis enata sunt, iusto iudicis arbitrio aestimanda; vt porro, si decimator immunis, et veteris ecclesiae fabrica soluendo non sit, aedificationis, sicut commodum, ita et onus in nouos parochianos recidat.

§. 880. Reparationis onus penes fabricas.

Exstructas aedes ecclesiasticas, tum sacras,

tum sacrorum ministrorum habitationi destinatas, conseruandi, reparandi et instaurandi onus aerario illarum, id est, *fabricae* incumbit, vtpote cui ad sarta tecta seruanda (§. 850.) bonorum eccles. pars relicta est (*a*). Sed fabrica ad conseruandam sacram supellectilem persaepe vix sufficit, multo minus aedificationum sumptus sustinere potest.

(*a*) Can. 23. 25 — 31. XII. q. II.

§. 881. Capellarum reparatio.

Tum vero refert, an de *parochiali ecclesia*, an de *capella* tantum agatur. *Hac* enim collapsa, et inope, episcopus beneficium quod in ea fuit, cum emolumentis et oneribus in ecclesiam matricem, aliamue eiusdem loci, vel vicinam transferre potest (*a*).

(*a*) Conc. Trid. XXI. Cap. 7. Ex *lege Bad.* cit. §§. 16. 20. capellae et capellanorum aedes, sumptibus reparationum impares, intereunt si decimator immunis sit, nec sponte quis eas sustentare voluerit.

§. 882. Ecclesias parochiales reparandi obligatio.

Vbi autem de reparanda, amplificanda vel restituenda ecclesia parochiali, etsi secundaria tantum (§. 860.), sermo est, is 1. sumptus suppeditare debet, de quo constat, quod *speciatim*, puta ex pacto, re iudicata, consuetudine aut praescriptione obligatus sit (*a*). Si talis non est, 2. omnes tenentur, quicunque fructus aliquos, ex ecclesia opis indiga prouenientes, percipiunt, singuli nimirum pro rata fructuum (*b*), veluti sunt *decimatores* (*c*), *beneficiarii*

pro ea prouentuum parte, quae congruam sustentationem superat (*d*), *patroni*, siquidem praeter iura patronatus bonis ecclesiae fruantur (*e*). His forte deficientibus 3. ad *parochianos* res deuoluitur (*f*), iique ex consuetudine fere communi semper *operas* seruas *manuum* et *curruum* praestare debent (*g*).

(*a*) Ex lege *Bad.* cit. §. 1. 2. 3. is, qui antea ad reparationem notabilem sumptus attulit, eos in posterum afferendi obligationem agnouisse censetur, nisi ex mera beneficentia se hoc fecisse, probare possit. Attamen, hoc etiam non probato, non absolute, sed in fabricae subsidium duntaxat se obstringere voluisse praesumitur. (*b*) Conc. Trid. XXI. Cap. 7. (*c*) Decimas *seculares* hoc onere exemtas esse, non nulli tradunt. Sed ex *lege Bad.* cit. §. 7. 8. in subsidium fabricae obligati sunt omnes decimarum *veterum*, non autem *noualium*, possessores, cuiuscunque conditionis sint, et quocunque titulo eas possideant, et §. 9. is tantum decimator liber est, qui vel documentum libertatis, vel rem iudicatam de ea habet, vel probare potest, se antea liberum fuisse, et ob id quidem, quod sumptus vel ab alio, decimarum experte, suppeditati, vel extra ordinem veluti mendicando collecti fuerint. (*d*) Cap. 1. 3. 4. *h. t.* Ex *lege Bad.* cit. §. 8. beneficiarii eatenus tantum contribuere debent, quatenus decimas habent, et prouentus eorum annui summam 750. flor. excedunt. (*e*) Patronos, vt tales, obligatos esse, leges *Austriacae* ponunt. *Constit.* 241. Collect. cit. Sed *lex Bad. cit.* §. 31., sicut iura quaedam patronorum sustulit (§. 609), ita eos onere aedificandi soluit, nisi aut domini fundi, aut bonis ecclesiae praediti, aut ex alio peculiari titulo obstricti sint. Vid. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1811. pag 135. (*f*) Lex *Bad. cit.* §. 26. parochianorum nomine hic omnes fundorum, intra fines parochiae sitorum, possessores comprehendit, iubetque, vt sumptus ab il-

lis eadem, qua tributa dare solent, ratione conferantur. (g) Idem statuit lex *Bad. cit.* §. 15., nisi parochiani, id quoque onus fabricae vel decimatoris esse, probent, hac tamen probatione contra fabricam, minus forte valentem, penitus exclusa.

§. 883. Leges ea de re peculiares.

Ita quidem *ius commune* generaliter statuit. Sed plures ea de re quaestiones identidem occurrunt, quas nec illud, nec *consuetudo*, vtpote dubia plerumque, plane dissoluit (*a*).

(*a*) Quam ob rem *Lex. Bad.* cit. sic porro constituit. 1. Qui *ecclesiam parochialem* reparare tenetur, *aedes* quoque *parochiales* tum ad habitationem, tum ad vsus oeconomicos necessarias, *coemeterium* item ecclesiae *contiguum*, ceu atrium ecclesiae, conseruare debet. Et, sicut aedes parochiales decimatori potius, quam fabricae oneri esse, praesumendum; ita, si fabrica ecclesiam aedesque parochiales simul sustinere nequit, harum seruandarum onus illi imponendum est. §§. 18. 19. 28.

2. Parochi et capellani pro ratione *temporalium* (§. 549.) beneficii 5. 7. 11. 15. flor. quotannis in necessarias et vtiles aedium meliorationes impendant, quod, si neglexerint, heredes eorum exsoluant. §. 21.

3. In dubio, quae partes ecclesiae a fabrica, quaenam a decimatore seruandae sint, illa *nauis ecclesiae*, hic *chori* et *sacristiae*, vterque atrii, pro sua quisque parte, curam habeat. §§. 10. 11.

4. Partes ecclesiae interiores, ad quas aedificandi et reparandi obligatio pertinet, sunt *cathedra*, *scamna*, et *altare primarium* sine peculiari ornatu. Hunc vti et *aras secundarias*, *organa*, *campanas* et *turrim*, *coemeterium* item *separatum*, nec non *contigui amplificationem* aut *translationem* parochiani vniuersi, *horologium* vero incolae loci curare debent. §§. 12. 13. 28.

CAPVT VI.
DE DOMIBVS RELIGIOSIS.

III. 36. De religiosis domibus, vt episcopo sint subiectae.

§. 884. Domus religiosae.

Aedes, et institutiones, quae cultus diuini *indirecti* causa, ad exequenda scilicet charitatis christianae officia conditae sunt, in iure nostro *domus religiosae* et *venerabiles*, item *loca pia* et *venerabilia* vocantur (*a*). Eius autem generis sunt *hospitalia* et *monasteria*, et *scholae publicae* et *clericorum seminaria*, aliaque instituta his similia.

(*a*) *Causa pia* est omnis institutio, quae ad seruandum fouendumque cultum Dei siue *directum*, siue *indirectum* comparata est. Eo igitur nomine ecclesiae et domus religiosae comprehenduntur, *sacrosanctae ecclesiae* nimirum, *et cetera venerabilia loca, quae religionis vel pietatis intuitu honorantur*. §. 7. Instit. *de oblig. quae quas. ex contr.*

§. 885. Rerum suarum dominae.

Cum domus religiosae ratione personarum, quae illis tum praesunt, tum subsidia et commoda inde praecipiunt, vniuersitates sint, in republica approbatae, consequens est, eas bona acquirendi ac possidendi iure pariter praeditas esse (§. 854), bonorumque honeste quaesitorum dominium ad ipsas pertinere (§. 855.), eodem fere modo, quo illud penes ecclesias esse (§. 856.) diximus.

§. 886. Res earum quasi ecclesiasticae.

Cum porro domus religiosae pietatis erga Deum religionisque studio institutae sint, mirum haud est, quod vna cum bonis, ad eas pertinentibus, rerum ecclesiasticarum instar semper habitae fuerint, earundemque iure adhuc aestimentur (b).

(a) Plerique domos religiosas ab auctoritate, qua institutae sint, in *ecclesiasticas* et *laicales* distinguunt, eoque respectu vel *ecclesiasticas* vel *seculari iurisdictioni* subiectas esse tradunt. Sed leges et canones de locis religiosis, quauis auctoritate instituta sint, generaliter statuunt. Equidem in Cap. 4. *h. t.* locus, auctoritate pontificis hospitalitati dicatus, religiosus dicitur; at locum religiosum non esse, nisi auctoritate ecclesiastica constitutus sit, nusquam legimus. (b) L. 17. 22. 23. Cod. *de SS. eccles.* L. 35. Cod. *de episcop. et cler.* Nouell. VII. et CXX. Hinc, cum de iure bona acquirendi et possidendi quaeritur, *ecclesiae* nomine non solum templa, capellae et monasteria, sed omnes generaliter domus religiosae intelliguntur.

§. 887. Hospitalia.

Nunquam non episcopi, apostolorum exemplo edocti (§. 56.), singularem pauperum curam gesserunt. Vnde, auctis ecclesiae rebus, speciatim sancitum est, vt quarta prouentuum pars pauperibus erogaretur (§. 545). Postea tum episcoporum prouida dispositione, tum principum ac priuatorum pia largitate domus peculiares, in quibus miseri, ac inopia laborantes alerentur, exstructae, et pro varia personarum, veluti *aegrorum*, *pupillorum*, *infantum expositorum*

conditione variis nominibus appellatae sunt; nunc autem generali *hospitalium* nomine veniunt.

§. 888. Eorum cura episcopis olim demandata.

Hospitalia, ab episcopis condita, et instituta, ab ipsis episcopis (*a*), alia a suis quaeque conditoribus gubernabantur. Tum vero IVSTINIANVS omnium sine discrimine hospitalium supremam quasi curam episcopis demandauit (*b*). Vnde iuris communis instar receptum est, hospitalia episcoporum, in quorum dioecesi sita sunt, iurisdictioni ita obnoxia esse (*c*); vt episcopus illa visitare, et omnia, quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, et pauperes sustentandos instituta sunt, cognoscere, et exequi, adeoque et rationes ab administratoribus quotannis exigere possit (*d*).

(*a*) Episcopi hospitalibus suis non modo *diaconum* ad *temporalia*, sed etiam *presbyterum* ad *spiritualia* procuranda praeponere solebant. Et nunc pleraque hospitalia capellam habent, aliquando et proprium sacerdotem, quasi parochum. Cap. 2. *de eccles. aedif.* Cap. 2. §. 3. *h. t.* in Clem. In *eodem*. Cap. §. 1. 2. cautum est, vt hospitalium administratio non amplius diaconis aliisue clericis, sed *viris laicis prouidis, bonis et idoneis committatur*, exceptis hospitalibus ordinum militarium, et aliorum religiosorum. Id quod Conc. Trid. VII. Cap. 15. confirmauit. (*b*) L. 42. §. 9. L. 46. §. 3. Cod. *de episcop. et cler.* Nouell. CXXXI. Cap. 10. (*c*) Cap. 3 *h. t.* Cap. 2. pr. *eod.* in Clem. (*d*) Conc. Trid. XXII. Cap. 8. 9. XXV. Cap. 8 Nunc autem hospitalia et similia loca nec rationes episcopo reddere, nec visitationem illius, quod ad *temporalia* attinet, subire solent, quandoquidem principes primam atque praecipuam earum rerum curam susceperunt.

§. 889. Monasteria.

Monasterii nomine non solum aedificia, ad habitationem et vsum sodalitatis vitae religiosae disciplinam profitentis (§ 425.), constituta intelligimus; sed bona quoque ac possessiones, quae ad istam sodalitatem pertinent. Hoc autem respectu canones de monasteriis statuunt: 1. Nouum monasterium non condatur, nisi auctoritate episcopi dioecesani (*a*), iisque seruatis, quae in nouarum ecclesiarum exstructione (§. 878.) seruanda sunt (*b*). 2. Monasteria, legitime constituta, perpetuo maneant, nec in collegia clericorum secularium mutentur, quamdiu regulares haberi possunt (*c*). 3. Bona eorum, tanquam res ecclesiasticae (§. 886.), in vsus profanos non impendantur (*d*).

(*a*) Can. 10. 11. XXVIII. q. II. Conc. Trid. XXV. Cap. 3. *de Regular.* (*b*) Vbi enim monasterium, ibi quasi parochus (§. 539.), et capella, iure ecclesiae (§ 869.) praedita. (*c*) Can. 26. XVIII. q. II. Cap. 5. *h. t.* (*d*) Can. 4. XIX. q. III. *Edict. Bad.* Constit. I. §. 9. statuit, sodalitatum religiosarum facultates non esse res *ecclesiasticas*, sed *publicas*, seu *fisci*; illis ergo sublatis, aut extinctis, ad hunc recidere. Ita nempe, postquam monasteria eorumque bona vi *dominii eminentis* in publicum redacta sunt, cum onere tamen et obligatione, alio modo ea sufficienter fundandi, quae pro cura animarum, eruditione iuuentutis, sustentatione aegrotorum, alioue eius generis fine instituta sunt. Sed quid de rebus et peculiis illorum fratrum, qui *ex toto mendicantes* sunt (§. 437.), ideoque bona, vt sibi suoue sodalitio propria, nec acceptare, nec possidere vnquam potuerunt? Ioannes XXII. in Cap. 3. *de V. S. ecclesias* illorum et *res sacras* sedi apostolicae vendicat, res *immobiles*,

domos scilicet ac fundos, a datoribus, prout libet, repeti, sibique asseri posse, statuit; de reliquis bonis *mobilibus* nihil definit, etsi dominium earum, quod Nicolavs III. in Cap. 3. *de V. S.* in VI' ecclesiae Romanae tribuisse videbatur, diserte repudiauerit. Sed magis est, vt dicamus, res, a fratribus istis mendicando acceptas, eiusdem plane conditionis esse, cuius sunt capellae aliae, earumque res intra fines parochiae sitae (§. 854.), illarum ergo dominium ad hanc ipsam ecclesiam atque vniuersitatem parochianam pertinere. Quid porro de decimis, fundis aliisque bonis illarum parochiarum, quae ratione spiritualium et temporalium monasteriis, nunc extinctis, *incorporatae* (§. 555.) erant? Per incorporationem *persona parochi* tantum mutata, et *vsus fructus* tantum bonorum, ad mensam parochi spectantium (§. 850.), in monasterium translatus est. *Dominium* ergo eiusmodi bonorum penes ecclesias parochiales, vt antea fuit (§. 855.), sic, facta incorporatione, permansit, nisi, ademptum illud ecclesiis fuisse, dicatur.

§. 890. Scholae episcopales.

Iam a primordiis rei christianae apud maiores quasdam ecclesias *scholae* erant, in quibus catechumeni primis fidei christianae principiis, et iuniores clerici necessariis ad sacra munia doctrinis, proinde et humanioribus litteris imbuebantur (*a*). Inde conciliorum atque pontificum decreta, vt *ab vniuersis episcopis magistri et doctores* constituantur, *qui studia litterarum, liberaliumque artium dogmata assidue doceant* (*b*). Quod cum non vbique, vt oportet, seruaretur, iterum iterumque cautum est, 1. vt in omnibus ecclesiis cathedralibus, aliisque, quarum facultates sufficere poterunt, *magister* constituatur, qui clericos aliosque scholares pau-

peres in *grammatica facultate* ac aliis erudiat; 2. vt in ecclesia metropolitana praeter magistrum *theologus* assumatur, qui sacerdotes et alios in *theologica facultate*, scilicet in sacris litteris, et in his praesertim, quae ad curam animarum spectant, gratis instituat; 3. vt porro vtrique *competens beneficium assignetur, quo et docentis releuaretur necessitas, et via pateret discentibus ad doctrinam* (c).

(*a*) Inter has celeberrima fuit *schola catechetica Alexandrina*, a sancto MARCO euangelista, vt traditur, instituta, quae praeter plures alios, summa eruditione illustres, ATHENAGORAM et ORIGENEM magistros habuit. (*b*) Can. 12. Dist. XXXVII. Can. 1. 3. XII. q. I. HIERONYMVS ap. *Gratian.* Can. 10. Dist. *cit.* has *artes liberales*, videlicet *grammaticam*, *dialecticam*, *geometriam*, *arithmeticam* et *musicam* commemorat. Caeterum abbates quoque in suis monasteriis magistros constituerunt, qui non solum monachos et pueros oblatos, sed etiam iuuenes laicos erudirent; vnde *scholae monasteriales*, quae, cum *episcopales* passim frigescerent, tunc fere solae rem litterariam, ne penitus corrueret, sustinuerunt. (*c*) Cap. 1. 4. 5. *de magistr.* Conc. Trid. V. Cap. 1. Quibus summorum pontificum constitutionibus CLEMENS V. in Cap. 1. *de magistr.* hanc addidit, vt in *scholis curiae Romanae, Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi et Salamantina viri catholici teneantur, qui linguas Hebraicam, Arabicam et Chaldaeam solicite doceant.*

§. 891. Vniuersitates studiorum.

Inter episcopales hasce scholas iam inde a seculo XII. longe celeberrimae erant *Bononiensis* et *Parisiensis*, vtpote in quibus praeter *artes illas liberales*, et *theologiam* etiam *ius ciuile* et *ca-*

nonicum, deinde et *physica*, seu *scientia medica* litterarum studiosis tradebantur, quae porro, cum facultatibus *iuridica* et *medica* auctae essent, ab hac facultatum coniunctione *vniuersitates studiorum*, seu *studia generalia* nominabantur.

§. 892. Academiae et Gymnasia.

Ad eundem plane modum, ad quem scholae Bononiensis et Parisiensis conformatae erant, aliae deinceps studiorum vniuersitates, seu, vt mox vocabantur, *academiae* inde a seculo XIV. in omnibus ecclesiae Latinae partibus, et in nostra praesertim Germania a generosissimis eius principibus conditae (*a*), vt porro litterarum studia facilius latiusque diffunderentur, *gymnasia* quoque, seu *lycea* ideo praecipue instituta sunt, quod academici gramaticae magistri subtiliores philosophiae doctrinas potius, quam litteras illas humaniores docere coeperint.

(*a*) Huc pertinet *academia nostra*, quam immortalis memoriae princeps, ALBERTVS VI. *Archidux Austriae* an. 1456. *non solum ad terrarum, sibi subiectarum, sed aliarum mundi partium, incolarum et habitatorum, ac reipublicae vtilitatem in vrbe sua Friburgensi, tanquam loco insigniori, et magis ad hoc idoneo, in quo aeris viget temperies, victualium vbertas ceterarumque rerum, ad vsum vitae humanae pertinentium, copia reperitur*, piissime instituit, a CALLISTO III. pont. et FRIDERICO IV. imp confirmatam, *vt ibidem simplices erudiantur, et fides catholica dilatetur.* Vid. RIEGGERI commentatio *de origine et institutione academiae Albertinae*, in eiusd. opuscul. pag. 427.

§ 893 Scholarum episcopalium cessatio.

Ex eo tempore theologiae et iuris canoni-

ci scientias tradendi prouincia academiis, litterarum autem humaniorum cura gymnasiis et scholis monasterialibus relicta est. Ita vero magistri et theologi apud ecclesias cathedrales docendi munere liberati sunt (§. 520.), et scholae episcopales tandem penitus interciderunt, magno quidem scientiarum commodo, sed haud minori disciplinae clericorum secularium detrimento, cum iam sacrorum ordinum candidati liberiori vitae academicae plerumque assueti, raro ea animi affectione praediti essent, quae ad officium sacerdotis animarumque pastoris necessaria est (*a*).

(*a*) Vtinam omnes, qui studiorum causa in academias confluunt, eo animo communiti essent, quo Gregorivs *Nazianzen.*, et Basilivs, cum Athenis litteras colerent, fuerunt! *Pestiferae quidem aliis, quod ad animae salutem attinet, Athenae sunt; nobis autem nihil detrimenti ab iis allatum est; vtpote animo communitis et obseptis.* Gregor. *Naz.* Orat. XIX.

§. 894. Seminaria clericorum.

Huic malo remedium quaerens Concilium Tridentinum scholas episcopales instaurari iussit (*a*), eumque in finem sanxit, vt in quauis ecclesia cathedrali collegium instituatur, in quod adolescentes duodecim annis maiores, legitime nati, animumque Deo et ecclesiae perpetuo inseruiendi praeseferentes, praecipue pauperes adoptentur, in eoque, accepta tonsura et veste clericali, religiose educentur, atque ecclesiasticis disciplinis informentur; vt porro in abeuntium loca mox alii substituantur, vt ita per-

petuum Dei ministrorum seminarium constituatur (*b*). Ex hoc decreto *seminaria clericorum*, at vero non ad eum, quem concilium praescripserat, modum instituta. Vnde variae etiam eorum formae sunt, pro varia nimirum dioecesium conditione (*c*).

(*a*) Can. 1. 3 XII. q. I. (*b*) Sess. XXIII. Cap. 18. Dotem ad eiusmodi collegia instituenda et conseruanda necessariam concilium colligere iusserat ex fructibus integris mensae episcopalis et capituli cathedralis, et quarumcunque dignitatum, ac beneficiorum, ex quibuscunque porro prouentibus aliorum collegiorum ecclesiasticorum et monasteriorum. Sed nunc, vbi sumptibus opus est, in tota fere Germania praeter bona templi, seu fabricae, plerumque minus habentis, beneficia minora tantum supersunt, quorum prouentus congruam sustentationem raro superant. (*c*) Apud nos seminarium est domus religiosa, in quam illi, qui scientiis theologicis probe imbuti sunt, ab episcopo eiusue vicario generali assumuntur, vt in sacri ministerii functionibus per annum fere exercitati, et singulis ordinibus gradatim initiati, dignitatem sacerdotii obtinere mereantur.

§. 895. Scholarum publicarum ad ecclesiam ratio.

Quandoquidem academiae ex scholis episcopalibus sensim enatae sunt, et initio clerici tantum magistri et doctores earum fuerunt, mirum haud est, episcopos et pontifices tantam in academias, quantam olim in scholas illas episcopales, potestatem exercuisse. Vnde plani etiam iuris esse videbatur, eas iurisdictioni ecclesiasticae obnoxias, et tum demum ratas firmasque esse, si a summo pontifice confirmatae sint (*a*). Nunc quidem aliter res se habet;

adhuc tamen *vniuersitates studiorum*, aliaeque *scholae publicae*; quae causam religionis attingunt, *domus* sunt vere *religiosae*, et eatenus vere *ecclesiasticae*, earumque possessiones rerum ecclesiasticarum instar habendae; adhuc ergo episcoporum est, curam de illis habere (§. 496.), eamque in his praesertim ponere, quae ad studia theologica, et doctrinas religionis catholicae pertinent.

(*a*) Apud omnes in confesso est, pontifices fundamenta academiarum iecisse, eorumque auctoritate plerasque constitutas esse. Sed hac in re pontifices *statum hierarchicum*, et *regnum clericale*, *imperium papale* et *monopolium papaeum*, non veram eruditionem, litterarumque salutem respexisse, praeter spem vero rem aliter cecidisse, HEVMANN. in *conspect. reip. litter.* Cap. IV. §. 26. 40. §. 63. BOEHMER in notis ad FLEVRY *instit. iur. can.* Cap. XX. §. 1. 2., aliique huius generis inepte non minus, quam inique venditant.

CAPVT VII.

DE AEDIVM RERVMQVE SACRARVM SANCTITATE.

III. 49. De immunitate ecclesiarum, coemeterii et rerum ad eas pertinentium.

§. 896. Canones contra profanam rerum Sacrarum tractationem.

Aedes et res sacrae tanti ad seruandam colendamque religionem monenti sunt, vt earum

non solum violatio criminosa (*a*), sed quaeuis etiam profana ac indecens tractatio maximopere praecauenda sit. Hinc leges et canones sanciunt, 1. ne in locis sacris conclamatio, strepitus aut impetus fiat. 2. Conuentus et concilia de rebus profanis, negotiationes et nundinae in iisdem non habeantur. 3. Nec ciuilia, nec criminalia iudicia in illis exerceantur, et nullae atque irritae sint sententiae, ibidem forte prolatae. 4. Cessent in iis profana colloquia, deambulationes, et omnia, quae diuinum turbare officium possunt, *vt domus Dei vere domus orationis esse videatur*, ac *dici possit* (*b*).

(*a*) L. 10. Cod. *de episc. et cler.* Can. 21. XVII. q. IV. (*b*) L. 5. Cod. *de his, qui ad eccles. confug.* Cap. 5. *h. t.* Cap. 2. *eod.* in VI. Conc. Trid. XXII. in decret. *de celebrat. miss.*

§. 897. Continuatio.

Ad haec 5. Res sacrae ad vsus profanos, veluti nuptiarum aut theatrorum ornatum non adhibeantur (*a*). 6. Ludi theatrales in ecclesiis non celebrentur (*b*). 7. Vasa, vestes aliaque instrumenta sacra munda et nitida conseruentur, res autem 8., quae in profana supellectile sunt, nisi vrgente necessitate, in ecclesias non inferantur (*c*). 9. Imagines insolitae, aliaeque res, quae vel miracula noua referunt, vel a ratione sacri apparatus alienae sunt ex ecclesiis remoueantur (*d*). 10. Arceantur ab iisdem eiusmodi musicae, siue organo, siue aliis instrumentis, siue cantu fiant, quae vel ob strepitum, vel ob modulationem pias animi af-

fectiones impediunt magis, quam adiuuant, atque profanas, quin et impudicas excitant (e).

(a) Can. 41. 43. Dist. I. *de consecr.* (b) Cap. 12. *de vit. et honest. cler.* (c) Cap. 2. *de custod. euchar.* (d) Conc. Trid. XXV. decret *de inuocat. et venerat. sanct.* Huc pertinent *leges Austriacae* de tabulis et imaginibus cum inscriptione *ex voto* tollendis, remouendisque *donariis*, quae, quasi miraculorum signa, in ecclesiis posita, et parietibus affixa sunt. *Constit.* 536. 540. in Collect. cit. (e) Can. 1. Dist. XCII. Conc. Trid. XXII. decret. *de celebr. miss.* Contra vero in ecclesiis saepe non solum permistos vocum instrumentorumque omnis generis sonos, sed etiam tubarum clangorem, et tympanorum strepitum, quin et musicas, quibus milites ad proelia animantur, audimus. De recto et peruerso musicae in ecclesiis vsu vid. ZECH *de rur. rer. eccles.* P. I. pag 125. seq.

§. 898. Asylum ecclesiasticum.

Sicut ethnici in templis idolorum, ita Christiani in ecclesiis suis contra legum poenalium duritatem perfugium quaerere, episcopi autem confugientium vitam corporisque integritatem a iudicibus deprecari solebant, eamque gratiam vel ideo saepius consequebantur, quod diuturnae ac graues poenitentiae publicae afflictationes, quas criminum rei illo tempore subire debebant, poenarum ciuilium loco esse viderentur (a). Quapropter imperatores christiani etiam leges dederunt, vt, qui iudiciorum metu ad sacrosanctas ecclesias confugissent, securitatem haberent, ex iisque nec a ciuili magistratu abripi, nec a rectoribus ecclesiarum expelli, et tradi possent, nisi vel confugiens cri-

men hoc fauore indignum commiserit, vel magistratus ciuilis vitam et membra illius saluandi fidem dederit (*b*).

(*a*) Can. 28. XXIII. q. VIII. Can. 1. 2. 3. *ead.* q. V. (*b*) L. 2. 6. Cod. *de his, qui ad eccles. confug.* Can. 36. XVII. q. IV. Cap. 6. *h. t.*

§. 899. Loca eo iure praedita.

Ita vero *ius asyli ecclesiastici* habebant 1. ecclesiae, et capellae publicae, aedesque iis coniunctae, vti sacristia, turris, porticus, immo et area circumiacens, siquidem muro cincta sit, et pro atrio ecclesiae seruiat (*a*); 2. coemeteria, siue contigua, siue separata sint (*b*); 3. domus, ad ordinariam episcopi habitationem comparata (*c*). Idem ius interpretes adscribere solent 3. monasteriis, hospitalibus, aliisque locis religiosis, auctoritate ecclesiastica constitutis (*d*).

(*a*) L. 3. Cod. *de his, qui ad eccles.* Can. 6. 20. 35. XVII. q. IV. (*b*) Cap. 5. 10. *h. t.* (*c*) Can. 36. *loc. cit.* (*d*) Arg. L. 35. Cod. *de episc. et cleric.* et Cap. 4. *de domib. relig.*

§. 900. Crimina excepta.

Frustra autem asylum quaerunt 1. Iudaei, etsi Christi nomen appellent, cum simulate id facere videantur (*a*), 2. homicidae dolosi, adulteri et virginum raptores (*b*), 3. publici grassatores, nocturni agrorum depopulatores et viarum obsessores (*c*), 4. qui in ipsis ecclesiis aut coemeteriis homicidia et mutilationes membrorum committere non verentur (*d*).

(*a*) L. 1. Cod. *de his, qui ad eccles.* (*b*) Nouell. XVII. Cap. 7. Cap. 1. *de homicid.* Cap. 1. *eod.* in VI. (*c*) Can. 6.

XVII q. IV. Cap. 6. *h. t.* (*d*) Cap. 10. *h. t.* Summi pontifices inde a seculo XVI. plures pluresque aliorum criminum reos addiderunt; haud obscure praeseferentes, omnem ea de re statuendi potestatem ad se pertinere (§ 149.). Vnde et iudicium de criminibus exceptis, an nempe confugiens asylo gaudeat vel non, retinendusque adeo sit, vel tradendus, solis episcopis reseruarunt. Sed haec ad illa loca pertinent, in quibus eiusmodi constitutiones pontificiae promulgatae, et receptae sunt.

§. 901. Ius Asyli circumscriptum, alibi sublatum.

Olim quidem tum sacrorum antistites, tum canonum interpretes ius asyli ecclesiastici acerrime, nec immerito defenderunt, vbi nempe pessima fuit iudiciorum criminalium conditio; nimia insuper poenarum capitalium aliorumque cruciatuum frequentia et acerbitas. Nunc autem, qua ratione ius hoc defendi amplius possit, haud sane apparet. Nunc igitur asyla ecclesiastica legibus principum in terris quibusdam valde circumscripta (*a*), in aliis penitus sublata sunt (*b*).

(*a*) Lege *Austriaca* ius asyli ad hunc modum reuocatum est: 1. Delicta grauiora, quorum viginti quatuor speciatim recensentur, asylo carent. 2. Ea tantum loca sacra asylum praestant, in quibus sacramenta administrantur, vel eucharistia asseruatur. 3. Confugientem ad asylum iudex ciuilis repetere, rector ecclesiae sine mora tradere debet. 4. Iudicis est aestimare, an asylo locus, confugu igitur restituendus sit, vel non. 5. Ecclesiarum rectoribus seuerissime interdictum est, confugam occultare, aut fugam eius faciliorem reddere. *Constit.* 459. de an. 1775. in Collect. cit. (*b*) Id quod in terris magni ducatus Badensis *Edict. organ.* IV. §. 14. factum est.

SECTIO V.

DE REBVS, SEV BONIS ECCLES. SPECIATIM SIC DICTIS.

CAPVT I.

DE BONIS ECCLES. PRIMIGENIIS.

III. 30. De Decimis, Primitiis et Oblationibus.

§. 902. Primitiae, oblationes, decimae initio voluntariae.

Bona, queis ecclesiae prioribus tribus seculis sustentabantur, vix alia erant, quam *mobilia* (*a*), quae *oblationum*, et speciatim *primitiarum* et *decimarum* nomine christiani conferebant. Cum enim non solum Iudaei ex lege Mosaica (*b*), sed aliae quoque gentes ex more, ab illis haud dubie recepto (*c*), eiusmodi remunerationes sacerdotibus suis praestare solerent; easdem Christiani sacrorum suorum ministris vltro obtulerunt (*d*), ab his quidem moniti, nulla tamen tunc temporis lege obstricti.

(*a*) Iam illis quidem temporibus ecclesiae bona quaedam *immobilia* habuerunt; sed nec multa, nec *iure fori* munita. (*b*) Exod. XXII. 29. 30. Num. XVIII. 26—30. Leuit. XXVII. 30—32. (*c*) Ita et apud Romanos moris erat, nouos fruges et vina libare, decimas Herculi aliisque Diis vouere. Vnde et VLPIANVS tradit, quid iuris sit, *si decimas quis bonorum vouit*, L. 2. §. 2. *de pollicit.* (*d*) Can. apost. 3. 4. CYPRIAN. ap. *Gratian.* Can. 16. XXI. q. III.

§. 903. Tum canones de iis soluendis editi.

Sicut autem inde a seculo IV. bona tum mobilia, tum immobilia in ecclesias largissime collata sunt; ita oblationes istae, et tributiones voluntariae rariores sensim, et parciores euaserunt (*a*), etsi communis iam consuetudinis esse, ex eaque debitae viderentur. Hinc seuera inde a seculo VI. conciliorum, atque pontificum praecepta, vt omnes Christiani *oblationes* in templis facerent, *primitias* afferrent, et praesertim *decimas* fideliter persoluerent (*b*).

(*a*) Can. 8. XVI. q. VII. (*b*) Can. 2. 3. XVI. q. II. Can. 5. 6. 7. XVI. q. VII. Can. 6. Dist. XXXII.

§. 904. Primitiae oblitteratae.

Primitiae sunt primi fructus terrae et animalium, de quibus quid quantumque soluendum sit, cum lex Mosaica non definiat, interpretum arbitrio constitutum erat, vt, qui plurimum, quadragesimam, qui minimum, sexagesimam partem daret (*a*). At vero primitiae iam pridem penitus oblitteratae sunt.

(*a*) Cap. 1. *h. t.*

§. 905. Oblationes adhuc voluntariae.

Oblationes aliae, prout antiquitus ex variis causis fiebant, adhuc quidem vsitatae, singulorum tamen arbitrio relictae sunt, etsi, vt certis temporibus fiant, consuetudo alicubi obtineat (*a*). Quae inter missarum sollennia, et ex hodierno more in nummis ad altare fiunt, *oblationes speciatim* dicuntur (*b*); aliae tum in nummis, tum in variis rebus, plerumque fungibi-

libus, alio tempore, vel loco datis, consistunt (c). Vtraeque, intra fines alicuius parochiae factae, ex iure communi ad parochum pertinent (d), nisi de alia offerentium intentione constet, vel consuetudo aliud ferat (e).

(a) Differunt oblationes a *iuribus stolae*, quae lege vel consuetudine definita sunt; item a *donationibus*, quae praeter solitum ecclesiae quandoque fiunt. (b) Can. 69. 73. Dist. I. *de consecr.* (c) Cap 13. 29. *de V. S.* (d) Can 13. X. q. I. Can 13 14. 15. X. q. II. Cap. 10. *de praescript.* Excipe oblationes, in ecclesiis regularium factas, quae monasterio relinquendae sunt. Can. 21 23. XVI. q. I Cap. 1. *de stat. monach.* Cap. 16. *de excess. prael.* (e) Leges *Austriacae* ea de re sic statuunt: 1. Oblationes diebus dominicis et festis ita facere liceat, vt nummi non ad ipsum altare, sed ad mensulam, iuxta positam, dentur. 2. Neque oblationes, neque collectae inter missarum solennia, sed ante vel post ea fiant. 3. Cessent oblationes, quae occasione baptismi, nuptiarum, exequiarum, aliorumque actuum sacrorum fieri solebant. 4. Praeter arcam oblationum, pauperibus dicatam, nulla alia in ecclesiis exponatur. *Constit.* 543. 545. in Collect. cit.

§ 906. Decimae in ecclesia Latina legibus praeceptae.

Quanto acerbius *decimae* exigebantur, tanto aegrius plerique populi earum onus susceperunt. IVSTINIANVS quidem decimarum exactiones reprobauit (a), quae propterea in ecclesia Graeca minus vsitatae erant (b); at CAROLVS M. in ecclesiae Latinae partibus quam maxime illas stabiliuit, effecitque, vt vna cum religione christiana in Germania introducerentur, vbi et adhuc admodum vigent.

(*a*) Id testatur Photivs in *Nomocan.* VI. 1., eoque fors spectat L. 39. §. 1. *de episc. et cler.* (*b*) Cap. 11. *de transact.* in *p. d.* Cap. 5. *de paroch.* Cap. 32. *h. t.*

§. 907. Decimae profanae iam antea vsitatae.

Praeter decimas *ecclesiasticas*, ex canonum scilicet praescripto, legibus principum firmato, ecclesiis earumque ministris pendendas, aliae erant decimae, *dominicae*, *indominicatae* dictae, *seculares* igitur, ac *profanae*, quas scilicet praediorum domini colonis suis tributi vel sensus loco imponere solebant. Cum vero canones praecipiunt, vt tum eiusmodi coloni de parte fructuum, quae, deductis decimis dominicis, remanet, tum praediorum domini decimarum suarum decimas ecclesiis redderent (*a*); facile apparet, cur ius canonicum ecclesiasticas tantum decimas memoret, nec praedia ideo decimis exemta agnoscat, quod decimis dominicis obnoxia sint. Quo sumto, dici quidem potest, quod decimae seculares ecclesiasticis fere accreuerint, non autem, quod hae ex illis factae, et enatae fuerint.

(*a*) Cap. 26. et Cap. 33. *h. t.*

§. 908. Decimae sacrorum ministris dicatae.

Id autem satis constat, quod decimae ecclesiasticae, vt primum constitutae erant, variis modis in manus laicorum deuenerint. Equidem canones ponunt, 1. decimas ecclesiis earumque ministris ex *iure diuino* deberi (*a*); 2. causam debendi esse, quod sacrorum ministris stipendia debeantur (*b*); 3. *ius decimandi* a mi-

nisterio sacro pendere (*c*), ius igitur *spirituale*, seu *spirituali annexum* esse (*d*); 4. *monasteria* aliaque *loca religiosa* decimas non nisi episcoporum summorumque pontificum concessione, vel consensu habere posse (*e*); 5. *laicos* autem iuris decimandi plane incapaces esse (*f*).

(*a*) Can. 16. Dist. V. *de consecr.* Can. 47. XVI. q. I. Cap. 14. 25. 26. *h. t.* Conc. Trid. XXV. Cap. 12. Eatenus nempe decimae *iuris diuini* esse dicuntur, quatenus legum diuinarum veteris testamenti exemplo inductae sunt. (*b*) I. Cor. IX. 7 — 15. Quoniam huic debito alia ratione satisfieri potest, ea olim distinctione se expediebant: decimas non quidem *formaliter*, sed *materialiter* spectatas, iuris diuini esse. (*c*) Can. 45. 46. XVI. q. I. Cap. 5. *de paroch.* Cap. 2. *h. t.* Sed decimae, vt aliae res ecclesiasticae temporales, non tantum ad sacrorum ministrorum sustentationem, sed generatim ad cultus diuini celebrationem pauperumque curam comparatae sunt. Can. 66. XVI. q I Cap. 26. *h. t.* Cap. 1. 4. *de eccles. aedif.* (*d*) Cap. 25. *h. t.* Cap. 9. *de rer. permut.* (*e*) Can. 4 I. q III. Can. 2. XVI. q. VII. Can 9. XVI. q. I. Hac ratione monachi ius decimarum inde a seculo IX. demum obtinuerunt. Supposititius est Can. 68. XVI. q. I., *Hieronymo* adscriptus. (*f*) Can. 1. XVI. q. VII. Cap. 17. *h. t.*

§. 909. Decimarum possessio laicis interdicta.

Nihilominus modo *principes* ob publicam necessitatem decimas sibi vendicarunt, virisque, de republica bene meritis, *stipendii* loco assignarunt (*a*); modo *pontifices* et *episcopi* illas pontentioribus laicis, vt eos beneficiis sibi deuincirent, tanquam *feuda* concesserunt. Quod cum ab episcopis crebro nimis, saepe etiam sine iusta causa fieret (*b*), aliisque modis laici

plures decimas occupassent; concilium Lateranens. III. an. 1179. interdictum edidit, *ne laici decimas cum animarum periculo detinentes in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis vero receperit, et ecclesiae non reddiderit, christiana sepultura priuetur* (c).

(*a*) Id a *Carolo Martello* primo factum esse, traditur. Fabulam, de eius damnatione diuulgatam, *Corr. Rom.* Can 59. XVI. q. I. subiunxerunt. (*b*) Can. 13. I. q. III. Can. 3. XVI. q. VII. (*c*) Cap 19. *h. t.*

§. 910. Argumentum interdicti.

Ex his consequi videbatur, 1. laicos decimas, quas huc vsque feudorum titulo habuerunt, retinere posse (*a*); eas tamen nec in alios laicos transferre, nec nouas per infeudationem deinceps accipere posse (*b*); 2, monasteria aliaque loca religiosa illas tantum decimas de consensu episcopi a laicis recipere posse, quae his ante concil. Lateranense in feudum perpetuo concessae fuerint (c); 3. decimas, a laicis vel alio, quam feudi, titulo antea possessas, vel postea feudi nomine *illicite* acceptas, ecclesiis (parochialibus), ad quas spectent, simpliciter restituendas esse.

(*a*) Cap. 25. *h. t.* (*b*) Cap. 19. 34. *h. t.* (*c*) Cap. 3. *de priuileg.* Cap. 7. *de his, quae fi. a prael.* Cap. 2. §. 3. *h. t.* in VI.

§. 911. Tamen laici decimas retinuerunt.

Plures quidem laici, hisce constitutionibus permoti, decimas suas tum ecclesiis, tum et potissimum monasteriis locisque religiosis donarunt; alii tamen eas non solum retinendi,

sed, vt alia patrimonii bona, quouis titulo, in quoscunque voluerint, transferendi facultatem sibi sumpserunt, eaque tanquam ex notissima consuetudine possessores laici adhuc vtuntur, iis tantum exceptis, qui, decimas vt *feuda* ab ecclesia se habere, per *inuestiturae* renouationes expresse agnoscunt.

§. 912. Hinc decimae ecclesiasticae et seculares.

Hinc *decimae*, nulla, vnde ortum ducant, habita ratione, *ecclesiasticae* nunc sunt, quae ad ecclesias domusque religiosas pertinent, omnes autem aliae *seculares* vocantur. *Illae* quidem iure bonorum ecclesiasticorum, *hae* eodem prorsus iure, quo bona quaeuis alia, censentur. De reliquo hae, et illae reguntur 1. *moribus* et consuetudinibus locorum, quas ipsi canones identidem appellant (*a*); 2. *legibus domesticis*, quas principes ea de re tulerunt (*b*). His silentibus 3. *iuris canonici* sanctiones seruantur.

(*a*) Cap. 18. 20 32. *h.* t. (*b*) Sicut *Codex* ille Gallicus, *Napoleonis* istius nomine notatus, ecclesias et domus religiosas, res sacras et causas pias prorsus ignorat, ita quoque de decimis nullam mentionem facit. Cum vero Codex ille in terris Badensibus *iuris prouincialis* nomine receptus sit, in iisque ius decimarum permultum valeat; patet, cur peculiaris *tractatus de decimis* §. 710. subiunctus fuerit. Leges, hoc tractatu constitutas, in notis afferemus.

CAPVT II.
DE DECIMIS SPECIATIM.

§. 913. Ius decimandi, decimae.

Decimarum seu *decimae* nomine hic venit cer-

ta pars fructuum, rei frugiferae *a lege* imposita, a domino eorum alteri, cuius est *ius* illam exigendi (*decimandi*) persoluenda (*a*). Plerumque est *pars decima* fructuum; ex consuetudine autem, vel conuentione maior vel minor esse potest.

(*a*) Alia longe erat *decima*, de qua in Cap. 2. *h. t.* in Clem. et Cap. vii. *eod.* Extrau. Com. sermo est.

§. 914. Decimae reales et personales.

Decimae, quae de fructibus terrae et animalium soluuntur, *praediales*, seu *reales*, quae de quouis prouentu, quauis arte vel industria *licite* quaesito, debentur, *personales* audiunt. *Illae* argumento legis Mosaicae (§ 902.) inductae, *hae* multo post superadditae (*a*), in Germania autem nunquam receptae, dudum certe, sicut in aliis regnis, penitus abolitae sunt.

(*a*) Decimas *personales* exigunt Can. 66. XVI. q. I. et Can. 4. XVI. q. VII., Avgvstino et Ambrosio falso adscripti; eos tamen respexisse videntur pontifices in Cap. 5. 20. 22. 23. 28. *h. t.*

§. 915. Illae maiores vel minores.

Decimis realibus obnoxii sunt omnes fructus, quos terra culta reddit, etsi ex eodem fundo eodem anno saepius prouenjant (*a*), omnes porro fructus, quos animalia proferunt (*b*). Pro frugum autem ratione decimae reales vel *maiores* dicuntur, quas nempe fert vitis et stipula, vel *minutae*, seu *minores*, veluti aliarum frugum, pomorum, et animalium (*c*), quas *sanguinales* seu *carnarias* vocant. Sed, quinam fructus decimis obnoxii sint, vel non, quinam porro ad

maiores, vel minores pertineant, cum iure communi definitum non sit, ex vsu et consuetudine quam maxime pendet (*d*).

(*a*) Cap. 21. *h. t.* (*b*) Cap. 5. 6. *h. t.* L. 28. *de vsur.* Ex lege *Badensi* fructus subterranei, vti metalla, lapides, tubera decimis plane exemti, fructus hortorum aedibus contiguorum, siluarum, et animalium in dubio exemti censendi sunt. (*c*) Cap. 30. *h. t.* Cap. 8. *de transact.* in p. d. (*d*) Lex *Badensis* foenum maioribus, poma, chordum, fructus hortorum, pomoeriorum et animalium minoribus decimis annumerat.

§. 916. Veteres et nouales.

Sunt porro decimae praediales vel *veteres*, quae ex fundis semper cultis, vel *nouales*, quae ex terra nouali proueniunt. *Noualis* autem terra hic dicitur, non quae vno alteroue anno cessauit (*a*), sed quae, quousque hominum memoria pertinet, inculta iacuit, et nunc primum ad culturam redacta est (*b*).

(*a*) L. 30. §. 2. *de V. S.* (*b*) Cap. 21. *de V. S.* Cap. 33. *de priuileg.*

§. 917. Ius decimarum vniuersale vel particulare, plenum vel minus plenum.

Ius decimandi vel *vniuersale* est, quod per totum municipii territorium pertinet, vel *particulare*, quod certa territorii municipalis parte conclusum est (*a*). *Vtrumque*, prouti vel omnes sine discrimine fructus decimanos, vel certam eorum speciem tantum complectitur, vel *plenum*, vel *minus plenum* appellamus. Etsi vero ius decimandi *particulare* sit, tamen *plenum* esse praesumitur, cum *minus plenum* facto, fructuum scilicet diuisione, nitatur, quae probatione indiget.

(*a*) Cum ius decimarum *particulare* aliquos quandoque fundos tantum, vel paruum duntaxat tractum comprehendat; illud ius decimandi, quod per longe maximam territorii partem pertinet, *secundum quid vniuersale* dici potest.

§. 918. Decimae ex iure communi parochis debentur.

Quemadmodum alia bona eccles., ita quoque decimas olim episcopi accipiebant, vt eas quadrifariam diuiderent (§. 545.), ex iisque stipendia sacrorum ministris dispertirent (*a*). Constitutis autem beneficiis, bonisque eccles. ea occasione distractis (§. 546.), decimae ecclesiis parochialibus, ipsisque potissimum parochis ita assignatae sunt (*b*), vt hi quartam earum partem episcopo redderent (*c*). Quanquam vero complures decimae seculares nunc sunt, dudumque ante fuerunt; semper tamen axiomatis instar recepta erat sententia, omnes decimas, intra fines parochiae prouenientes (*d*), vsque eo ad *ecclesiam parochialem*, ipsumque adeo *parochum* pertinere, quoad alius, eas sibi deberi, probauerit (*e*).

(*a*) Can. 1. XVI. q. VII. (*b*) Can. 42—47. XVI. q. I. (*c*) Cap. 16. *de off. iud. ordin.* Sed quarta haec decimarum episcopalium (§. 498.) vbique fere per praescriptionem sublata est. Cap. 4. *de praescript.* (*d*) De decimis ex praediis, quae non sunt intra fines cuiusdam parochiae, episcopi est statuere. Cap. 13. *h. t.* (*e*) Cap. 29. 30. *h. t.* Cap. 2. *de restit. spol.* in VI. Contra vero lex *Badens.* decimas, quas, suas esse, alius probare non potest, *domino loci* vendicat.

§. 919. Collegiis item ecclesiasticis quasi parochis.

Persaepe autem parochorum personas ge-

runt, eorumque iure hac in re fruuntur canonicorum capitula, monasteria aliaequae domus religiosae (§. 541.), nec non milites illi religiosi (§. 453.), quibus scilicet decimae vna cum parochiis (§. 555.) *incorporationis* titulo obuenerunt. Et hoc quidem respectu decimae longe plurimae re ipsa ecclesiasticae, et quidem parochiales sunt, etsi in plerisque Germaniae prouinciis *publicationis* fatum subierunt.

§ 920 Alii ex priuilegio aut praescriptione eas habent.

Praeter parochos alii quoque *beneficiarii* et *vniuersitates ecclesiasticae* decimas habere possunt, *priuilegii* (*a*), *pacti* (*b*), aut *praescriptionis* iure acquisitas. *Haec* autem, vt contra parochum eumue, qui parochi personam gerit (§. 541.), valeat, possessionem quadragenariam, titulo munitam, alioqui immemorialem requirit (c); si contra aliud beneficium vel collegium ecclesiasticum intenditur, quadragenaria possessio sufficit (*d*); si contra laicum vel clericum, praescriptionis vulgaris iura locum habent.

(*a*) Tale priuilegium is concedere potest, qui liberam de decimis ecclesiasticis disponendi facultatem habet. Hanc summum quidem pontificem Cap. 27. *h. t.* Cap. 2. §. 2. *eod.* in VI., non autem principes habere Cap. 31 *h. t.*, canones ponunt; sed ius hodiernum contradicit. (*b*) Veluti permutationis Cap 6. *de rer. permut*, transactionis Cap. 2. 8 *de transact.* aliusue pacti titulo. Monent interpretes, in eiusmodi pactis cauendum esse, ne pretium pro iure decimarum constituatur Cap. 9 *de rer. permut.* Sed hic scrupulus (§ 908.) facile tolli potest. (*c*) Cap. 6 *de praescript.* Cap. 1. *eod.* in VI. (*d*) Cap. 4. 8. *de praescr.*

§. 921. Laici quoque eas praescribere possunt.

Laici autem secundum *ius commune* decimas *ecclesiasticas*, nec vt feudum *nouum* ac *datum*, multo minus, vt *allodium* vllo pacto acquirere, nec praescriptionis, quantumuis *immemorialis*, iure sibi vendicare possunt (*a*). At vero, cum alia quaeuis bona eccles. ex iusta causa, et ex illorum, ad quos pertinet, consensu alienari possint; cur eodem modo decimae alienari non possint, haud amplius apparet. Eadem nempe consuetudo, ex qua laici complures decimas plenissimo iure nunc possident (§. 911.), illorum eas possidendi, ideoque et praescribendi inhabilitatem, admodum debili caeteroquin fundamento nixam (§. 908.), sustulisse videtur.

(*a*) Id ex Cap. 7. *de praescript.* et Cap. 3. *de R. I.* in VI. colligunt. Quia autem ex immemoriali possessione praesumtio oritur, rem iusto quouis, adeoque et priuilegii titulo acquisitam esse; laici vero decimas ex priuilegio habere, et possidere possunt: consequens est, eos praescriptione immemoriali satis tectos esse, quoad alius illius vitium non probauerit.

§. 922. Plures decimatores in eodem territorio.

Ius decimandi *plenum*, et simpliciter *vniuersale* vnum modo decimatorem ponit, nec fundorum, nec fructuum varietate impeditum. Vbi autem plures decimatores in eodem territorio, diuersarum vtique frugum, siue diuersos, siue eosdem fundos spectas, fertili, concurrunt, tum, quatenus cuiusque ius, mutata praesertim fundorum cultura, pertineat, in quaestionem venit.

§. 923. Regulae tum obseruandae.

Qua de re hasce regulas tenemus: 1. Ius

decimandi *particulare* et *plenum* penes eundem decimatorem, qualescunque fructus ex assignatis fundis proueniant, permanet, vt adeo mutatio culturae decimatorem non mutet. 2. Ius decimandi *minus plenum*, siue *vniuersale*, siue *particulare* sit, pro fructuum variatione ab vno decimatore ad alium transit, sicque mutatio culturae decimatorem mutat (*a*).

(*a*) Cap. 4. 30. *h. t.*

§. 924. Continuatio.

Quodsi ius decimandi ita diuisum est, vt alius maiores, alius minores decimas capiendi ius habeat; refert, an diuisio pro fructuum duntaxat, an pro camporum, hos aliosue fructus alterne ferentium, ratione facta sit. Si *prius*, tum suas quiuis decimator ex quouis fundo, vel maiores, vel minores decimas accipit. Sin *posterius*, rursus refert, an territorium decumanum in duos campos, vt alius hibernos, alius aestiuos fructus ferat (*a*), vel in tres, vt alius nempe quasi veruactum (Brachfeld) maneat, distinctum sit (*b*).

(*a*) Hac in specie lex *Badensis* omnes fructus campi hiberni decimarum maiorum, omnes aestiui minorum domino attribuit. (*b*) Tum vero lex *Badensis* veruactum minoribus decimis relinquit, campum hibernum maioribus tribuit, aestiuum pro ratione fructuum diuidit.

§. 925. Ius parochi in decimas nouales.

Adeo autem certum firmumque ex iure communi est ius decimandi parochiale, vt, et-

si alius decimator, siue laicus, siue ecclesiasticus (*a*), decimas antiquas siue ex priuilegio (*b*), siue ex infeudatione (*c*), siue ex praescriptione (*d*) intra fines parochiae teneat; decimae tamen nouales parocho adiudicandae sint (*e*), *nisi rationabilis causa* (peculiaris scilicet titulus) *ostendatur, per quam appareat, eas ad alium pertinere* (*f*).

(*a*) Non obstat Cap. 27. *h. t.*, vbi de monasterio sermo est, cui parochiae et decimae *incorporatae* erant. (*b*) Cap. 15. 28. 74. *de R. I.* in VI. (*c*) Cap. 25. *h. t.* (*d*) Cap. 3. *de R. I.* in VI. (*e*) Cap. 4. 13. *h. t.* (*f*) Cap 29. *h. t.* Cap. 2. §. 6. *h. t.* in VI. Ex lege *Badensi* decimae *nouales*, sicut *veteres*, in dubio ad *dominum loci* pertinent (§. 918.), et qui praeter illum decimas veteres tenet, propterea nouales, nisi, et has suas esse, speciatim probet, petere non potest, excepto loci parocho, qui si decimas minores habet, easdem ex agris quoque noualibus petere potest.

§. 926. Quinam decimis obnoxii.

Decimas persoluendi lege obstricti sunt omnes, cuiuscunque status et conditionis sint, qui ex praediis decimanis fructus percipiunt, *nisi a praestatione ipsarum specialiter sint exemti* (*a*). Itaque decimas dare tenentur Iudaei (*b*), regulares omnis generis (*c*), clerici non habentes beneficium (*d*), quin et ipsi parochi et beneficiarii ex praediis, extra suas parochias sitis (*e*). Ipso autem iure immunes sunt clerici ratione praediorum, quae beneficii titulo intra fines parochiae suae possident, eoque dictum: *clericus clericum non decimat*, pertinet (*f*).

(*a*) Cap. 24. *h. t.* (*b*) Cap. 16. *h. t.* Cap. 17. *de excess. prael.* (*c*) Cap. 8. *de transact.* Cap. 4. *h. t.* Cap. 2. §. 5. *eod.* in VI. (*d*) Cap. 2. *h. t.* (*e*) Cap. 43. 44. XVI. q. I. (*f*) Cap. 2. *cit.*

§. 927. Decimae ex fructibus debentur.

Quia vero onus decimarum non tam fundis, quam fructibus inhaeret (*a*), consequens est 1. vt dominus praedii, quoscunque fructus voluerit, serere, immo et incultum illud relinquere possit (*b*); 2. vt obligatio soluendi decimas, ab antecessore non solutas, ad successorem singularem non transeat (*c*).

(*a*) Cap. 7. 24. 28. *h. t.* (*b*) Ex lege *Bad.* dominus praedii incultum illud relinquere, vel domum in eo aedificare potest, venia scilicet a magistratu accepta. (*c*) Consentit lex *Bad.*, quae porro decimatori contra debitorem decimarum idem ius in omnes fructus, eo anno collectos, tribuit, quod locatori praedii rustici in fructus coloni concessum est.

§. 928. Modus soluendi decimas.

Quod ad *modum* soluendi decimas attinet, sequentes regulae seruandae sunt: 1. Pars decima fructuum, nisi de alia plane constet, pendenda est, quin tributa, impensas aliaque onera detrahere liceat (*a*). 2. Numeratio in foetibus animalium quidem de anno in annum continuari, in fructibus fundorum contra singulis annis ab initio ita fieri solet, vt de residuo infra decem nihil debeatur (*b*). 3. Decimae ex fundis debentur, simul ac fructus a solo separati, et collecti sunt (*c*); ex animalibus cum foetus sine matre viuere potest. *Hae* decimatori offeruntur, *illae* in campo relinquendae, a

decimatore autem suis sumptibus colligendae sunt (*d*). 4. Ex consuetudine vel conuentione is decimas dandi et capiendi modus locum habere potest, vt soluantur ex fructibus, in horreum, vel cellam iam inuectis, aut in granis frugum, iam excussis, vel in musto, vuis vtpote pressatis (*e*). 5. Ex ipsis fructibus perceptis decimae adeo debentur, vt, etsi decimator per plures annos pecuniam, vel rem aliam decimarum loco acceperit, ipsas tamen decimas rursus petere possit, nisi pacto, vel praescriptione constitutum sit, vt certa pecuniae summa, aut certo frumenti vel vini numero contentus esse debeat (*f*).

(*a*) Cap. 26. 28. 33. *h. t.* (*b*) Lex *Bad.* numerationem ab vno fundo ad alterum, eiusdem fructus nempe et possessoris, reprobat; de residuis tamen quinque vel vltra manipulis dimidium petit. (*c*) Cap. 7. *h t.* (*d*) Nisi debitor peculiari titulo suis sumptibus eas in domum decimatoris importare teneatur. (*e*) Ex lege *Bad.* talis modus, vbi nunc viget, seruandus est, noue autem introduci non potest. (*f*) Plerique ad hanc praescriptionem, nisi debitor quasi possessionem negandi decimas naturales occupauerit, tempus immemoriale requirunt. Sed verius est, eam solo triginta annorum lapsu absolui. Ita certe *lex Bad.* statuit, et propterea ius decimandi in *vectigal solarium* mutatum esse, ponit, si quis decimarum loco certam pecuniae vel frumenti summam per triginta annos eodem constanter modo accepit.

§. 929. Immunitas ex priuilegio.

Immunitas ab onere decimarum variis modis, priuilegio nempe, praescriptione, consuetudine et pacto acquiri potest (*a*). Ex *priuilegio*,

corpori iuris inserto, immunitatem hanc habent monachi Cistercienses et hospitalarii ratione omnium praediorum, quae suis manibus, vel sumptibus colunt, et iam ante concil. Lateran. IV. an. 1215. possederunt. Omnes alii regulares a decimis de animalibus tantum suis ac hortis, item de agris noualibus, quos suis manibus vel sumptibus fecerunt, soluendis immunes sunt (*b*). Quod aiunt, priuilegium, generaliter concessum, ad nouales quoque decimas pertinere, tum verum esse putamus, si is ipse, qui priuilegium dedit, eiusue successor nouales peteret (*c*).

(*a*) Priuilegium eiusmodi a summo pontifice, non a principe concedi posse, tradunt. Cap. 3. 10. 25. *h. t.* Sed priuilegium tale pontificium ne vix quidem locum inueniet (§. 920.); principes autem illis, qui desertos et incultos fundos excolunt, immunitatem a decimis ad certos annos merito dederunt. Ex legibus *Austriacis* terrae nouales X. XX. XXX. annis, prouti res est, immunes sunt. *Constit.* 238. 240. in Collect. cit. Ex lege *Bad.* tempus immunitatis a regimine prouinciali pro re nata definiendum est. (*b*) Can. 47. XVI. q. I. Cap. 10. 11. 12. 34. *h. t.* Cap. 1. *eod.* in Clem. (*c*) Cap. 22. *de priuileg.*

§. 930. Item ex praescriptione.

Per *praescriptionem* ius decimandi perimi, alterumque ab onere decimarum liberari, plani iuris est (*a*). De tempore autem et ratione huius praescriptionis plerique tradunt, contra ecclesiam parochialem tempus quadraginta annorum cum titulo, et sine eo immemoriale requiri: contra alium decimatorem eccles. qua-

draginta annos sine titulo sufficere; contra decimas seculares vulgare praescriptionis tempus seruandum esse (§. 912.). Addunt porro, nullam praescriptionem hic locum habere, nisi praescribens, negando decimas, quasi possessionem libertatis occupauerit, eoquod praescriptio haec *acquisitiua* sit, ideoque solus non vsus iuris decimandi ad illud perimendum non sufficiat. Verum, cur praescriptio, qua ius decimarum ob neglectum eius vsum extinguitur, *acquisitiua* dici debeat, non apparet; praescriptio autem *extinctiua* nec titulum, nec possessionem requirit. Quare rectius sentire videntur, qui ius decimandi, prouti vel ecclesiasticum vel seculare fuerit, solo quadraginta vel triginta annorum lapsu extingui docent (*b*).

(*a*) Cap. 4. *de praescript.* (*b*) Lege *Badens.* generaliter constitutum est, extinctum esse ius decimandi, quatenus quis continuis triginta annis eodem vti neglexerit.

§. 931. Vis consuetudinis.

De illa quidem *consuetudine*, per quam ius decimandi vniuerse, omnisque decimarum obligatio tolleretur, sermo non est. Sicut autem vsus decimarum multiplici respectu a consuetudine pendet, ita per eam immutari ita potest, vt ex certo fructuum, aut fundorum genere decimae non soluantur; vt vel minori quantitate, vel modo minus molesto soluantur. Qui ad introducendam consuetudinem, onus decimarum quodammodo tollentem, aut alleuiantem quadragenarium, quin et immemoriale tem-

pus ideo requirunt, quod de lege ecclesiastica maioris momenti agatur, non animaduertere videntur, consuetudinem ipsius legislatoris voluntate niti, legemque decimarum ciuilem magis, quam ecclesiasticam esse.

§. 632. Immunitas ex contractu.

Per *contractum* immunitas ab onere decimarum vel ad tempus, vel in perpetuum, et a decimatore *seculari* quidem, prout voluerit, dari potest. Decimator *ecclesiasticus* tamdiu solum de iure suo cedere potest, dum eo vtendi fruendi ius habet (*a*); in perpetuum vero decimae ecclesiasticae remitti non possunt, nisi seruatis iis, quae in alienatione rerum ecclesiasticarum seruanda sunt (*b*).

(*a*) Cap. 5. *de transact.* (*b*) Cap. 2. 8. *eod.*

CAPVT III.

DE EMPHYTEVSI, FEVDIS ET CENSIBVS ECCLESIASTICIS.

III. 14. De Precariis.
— 20. De Feudis.

§. 633. Alia bona eccles.

Inter alia bona, quae ad ecclesias domosque religiosas pertinent, praecipua sunt *emphyteuses*, *feuda*, et *bona censitica*. Occurrunt praeterea in iure nostro, quae *praecariarum* nomine in vsu quondam fuerunt.

§. 634. Precariae.

Persaepe fundus ita donabatur ecclesiae, vt haec illius vsumfructum donanti vel ad vitam, vel ad certum tempus concederet (*a*), eamque conuentionem *precariam* seu *praestariam* appellarunt, addita cautione, vt eius renouatio singulis quinquenniis peteretur (*b*). Contra vero quandoque ecclesia praedii sui vsumfructum per modum precariae alteri ea lege concessit, vt is, finito tempore, et praedium datum restitueret, et aliud eiusdem pretii de suo ecclesiae donaret (*c*). Vtrumque precariae genus a *precario* iuris ciuilis multum differt (*d*); vtrumque autem dudum exoleuit.

(*a*) L. 42. pr. *de mort. caus. donat.* L. 35. §. 5. Cod. *de donat.* (*b*) Cap. 1. *h. t.* (*c*) L. 14. §. 5 Cod. *de SS. eccles.* Nouell. VII. Cap. 4. Can. 3. 4. X. q. II. (*d*) L. 1. *de precar.* Cap. 3. *h. t.*

§. 935. Feudum, actiuum et passiuum.

Conuentio, qua quis dominium *vtile*, reseruato dominio *directo*, alteri ea lege concedit, vt certa officia, *fidelitatis* nomine, inuicem praestentur (*a*), *contractus feudalis*, res sic concessa, *feudum*, et quidem ratione domini directi, *actiuum*, ratione domini vtilis, qui *vasallus* dicitur, *passiuum* appellatur. Qui domini vel directi, vel vtilis, seu vasalli personam suo iure sustinet, *prodominus* vel *prouasallus* vocatur.

(*a*) F. II. 6. 47. Can. 18. XXII. q. V.

§. 936. Rectores ecclesiarum Prouasalli.

Vt primum feuda *passiua* ecclesiis concessa

sunt, id ea ratione factum est, vt ipsum dominii vtilis ius penes ecclesiam, illius vero exercitium penes ecclesiae praefectum, ceu *prouasallum*, esset. Hinc episcopi, abbates aliique ecclesiarum, feudis passiuis praeditarum, rectores, sicut alii vasalli inuestiturae renouationem intra annum et mensem petere (*a*), iusiurandum fidelitatis praestare (*b*), seruitia feudalia vel per alium exhibere, vel aere redimere, et in causis feudalibus iurisdictionem domini directi agnoscere tenentur (*c*); ob feloniam porro iuribus, prouasallorum titulo quaesitis, priuari possunt, vt tamen ius ecclesiae saluum maneat (*d*).

(*a*) F. I. 22. II. 24. pr. Tempus hoc computatur a die, quo vel confirmationem (§. 590.) aut institutionem (§. 597.) impetrarunt, vel mutationem in persona domini directi resciuerunt. (*b*) Cap. 30. *de Iurei.* Cap. vn. §. 2. *de stat. regul.* in VI. (*c*) Cap. 6. 7. *de for. comp.* (*d*) F. II. 40. Cap. 76. *de R. I.* in VI.

§. 937. Iidem Prodomini.

Contra etiam bona ecclesiastica aliis in feudum data, sicque feuda *actiua* ecclesiis comparata sunt, tum quod alii bona sua ecclesiis ea conditione obtulerint, vt sibi in feudum redderentur, tum quod ipsi praelati ex patrimonio ecclesiae aliis feuda constituerint. Hoc respectu feudum ecclesiasticum vel *oblatum*, vel *datum* appellatur. Sicut autem praelatus, ceu prouasallus, dominii vtilis, ita et hic, tanquam prodominus, dominii directi iura nomine ecclesiae exercet. Hinc iudex competens vasal-

lorum ecclesiae in causis feudalibus est ipse praelatus (*a*), quo mutato renouatio inuestiturae ab eius successore petenda est. Neque capitulum sede vacante inuestituram dare (*b*), neque vasallus sine consensu praelati, consentiente licet capitulo, feudum alienare, aut oppignerare potest (*c*).

(*a*) Cap. 7. *de for. compet.* (*b*) Cap. 2. *Ne sed. vac.* (*c*) Cap. 7. *de constitut.* Reliqua ex ipso *iure feudali*, et, quod ad terras *Badenses* attinet, ex peculiari de iure feudorum edicto haurienda sunt. *Edict. Constit. Bad. V.* an. 1807.

§. 938. Canones de emphyteusi eccles.

Conuentio, qua vtile dominium praedii ea lege alteri conceditur, vt is in agnitionem dominii directi certam pensionem, seu *canonem* singulis annis exsoluere debeat, *contractus emphyteuseos*, praedium, ex hoc contractu traditum, *emphyteusis*, et, siquidem dominium directum ad ecclesiam pertinet, *ecclesiastica* vocatur (*a*), de qua speciatim annotamus: 1. Emphyteusis ecclesiastica in perpetuum aeque, ac ad tempus constitui potest (*b*). 2. Ad eam vero constituendam scriptura non solum probationis, sed solennitatis causa necessaria est (*c*). 3. Emphyteuta ecclesiasticus ob canonem, per triennium non solutum, expelli, celeri tamen satisfactione moram purgare potest (*d*).

(*a*) §. 3. Instit. *de locat. et conduct.* L. 1. Cod. *de iure emphyt.* (*b*) Nouell. CXX. Cap. 6., quo Nouell. VII. Cap. 3. derogatum est. (*c*) Nouell. CXX. Cap. 5. 6. (*d*) Nouell. *cit.* Cap. 8. Cap. 1. *de locat. et conduct.* Caetera, quae huc spectant, ex iure ciuili, et

quidem Germanico magis, quam Romano discenda sunt, cum *praedia rusticorum*, quae apud nos *emphyteutica* dicuntur, partim moribus, partim feudali, partim Romano iure regantur. Quid hac in re in terris *Badensibus* iuris sit, *additamenta* ad §§. 577. 1831. *Cod. Nap.* edocent, vbi speciatim constitutum est, emphyteusin ob canonem per biennium non solutum tum extingui, si, repetita monitione, tertii canonis dies cessit, antequam triennale residuum solutum fuerit.

§. 939. Census reseruatiuus et constitutiuus.

Conuentio, certam pecuniam aliamue rem fungibilem ex praedio, quod quis pleni dominii iure tenet, alteri singulis annis persoluendi, *contractus censualis*, et praedium illud *censiticum*, seu *censuale*, ipsa autem pensio annua *census* dicitur (*a*). Census, quem dominus, praedium suum alienans, a nouo eius domino stipulatur, *reseruatiuus*, quem dominus praedii, siue pretio, siue gratuito alteri, tanquam emtori aut donatario promittit, *constitutiuus* vocatur (*b*). Eiusmodi census, in Germania dudum vsitatos, omnes fere ecclesiae possident, et *constitutiuos* quidem emtionis potissimum titulo acquisitos, eosque, licet re ipsa vsurae sint, ipsum ius canonicum, vsuris alioqui maxime infestum (*c*), diserte approbauit, modo in pecunia numerata consisterent, et nec *irredimibiles*, nec ex vtraque parte *redimibiles* essent (*d*).

(*a*) Talem censum *siue quis pactum, siue reditum, siue etiam vsuram appellare velit*, in Nouell. CLX. probatum, legimus. (*b*) Vterque ex se *perpetuus*, seu *irredimibilis* est, itaque et ad heredes transit, et ad omnes praedii censualis possessores, nisi forte remissione creditoris, vel vtriusque con-

sensu, vel interitu praedii extinguatur. Census, titulo emtionis venditionis constitutus, prouti ex pacto, contractui adiecto, vel soli debitori, vel etiam creditori, pretio scilicet vel restituto, vel repetito, recedere licet, vel ex illius tantum, vel ex vtriusque parte *redimibilis* appelletur. (c) Cap. 4. *de vsur.* Cap. 5. *de emt. vendit.* (d) Cap. 1. 2. *eod.* Extrau. Com. Cap. vn. *de form. contrah. cens.* in VII. Sed ex vsu, in Germania recepto, census in aliis rebus praeter pecunias consistere, et sicut simpliciter constituti ex se *irredimibiles* sunt, ita ex pacto adiecto vtrinque *redimibiles* esse possunt.

CAPVT IV.

DE IVRE ECCLESIARVM BONA ACQVIRENDI.

I. 35. De Pactis.
III. 24. De Donationibus.
— *26. De Testamentis, et vltimis voluntatibus.*
— *27. De Successionibus ab intestato.*
— *49. De Immunitate ecclesiarum, coemeterii, et rerum ad eas pertinentium.*

§ 940. Ecclesiae in acquirendo vtuntur iure communi.

Ius bona acquirendi ecclesiis et dominibus religiosis ita tributum est, vt, si quo modo siue per actus inter viuos, siue mortis causa ipsis bona obueniant, ea de re secundum ius commune sententia diceretur, nisi aliud forte singulari iure constitutum sit (*a*).

(*a*) Sicut *ius commune* ecclesiis domibusque religiosis valde fauet; ita *leges* nouae, *amortizationis* dictae, ius illarum acquirendi variis modis circumscribunt.

§. 941. Exemplo est donatio vel pollicitatio ecclesiae facta.

Ex hac regula *donatio inter viuos*, quingentos solidos excedens, etsi ecclesiae facta, tamen valida non est, nisi actis iudicialibus, vti lex iubet, inserta fuerit (*a*). Ex iure autem singulari, sicut pollicitatio municipio, ita donatio causae piae facta, nec acceptationem, vt valida sit (*b*), nec traditionem, vt rei donatae dominium in ecclesiam transeat, requirit (*c*),

(*a*) L. 19. Cod. *de SS. eccles.* L. 34. §. 1. L. 35. §. 5. Cod. *de donat.* Excipe donationem *in causas piissimas*, veluti pro redemtione captiuorum L. 34. *pr.* L. 36. *pr.* Cod. *eod.* (*b*) L. 1. 2. 3. *de pollicit.* L. 23. *de except.* (*c*) L. 23. Cod. *de SS. eccles.*

§. 942. Aliud in testamentis et codicillis ad pias causas placuit.

Ex eadem regula dispositiones per *vltimam voluntatem*, etiamsi pro ecclesiis factae, non subsistebant, nisi ad modum, lege praescriptum, compositae essent (*a*). Sed eodem fere tempore, quo IVSTINIANVS vltimarum voluntatum, quae pro causis piis fierent, curam et executionem episcopis speciatim demandauerat (*b*), ex laxiori legum, eiusmodi causis maxime fauentium (*c*), interpretatione opinio sensim inualuit, in testamentis et codicillis, ad pias causas factis, defunctorum voluntates magis, quam iuris solennitates spectandas esse (*d*).

(*a*) L. 13. Cod. *de SS. eccles.* (*b*) L. 46. 49. Cod. *de episc. et cler.* Nouell. CXXXI. Cap. 10. 11. Leges has GREGORIVS M. *piissimas* appellauit in Cap. 3.

de Testam., ex iisque in ius commune abiit, ad episcoporum officium pertinere curam ac solicitudinem, vt piae dispositiones tam in vltimis voluntatibus, quam inter viuos fideliter adimpleantur. Cap. 17. 19. *eod.* Conc. Trid. XXII. Cap. 8. (*c*) L. 46. pr. Cod. *de episc. et cler.* Vnde eaedem leges in legatis ad pias causas detractionem quartae *falcidiae* prohibent. Nouell. cit. Cap. 12. Auth. *Similiter* ad L. 7. Cod. *Ad leg. falcid.* (*d*) Cap. 4. *de Testam.*

§. 943. Vnde priuilegia causarum priarum.

Quae iam pontifices ex hac sententia constituerunt, tanquam *priuilegia causarum piarum* recepta sunt, nimirum 1. actus vltimae voluntatis, quatenus causae piae consulunt, omnibus iuris solennitatibus solutos, satisque firmos esse, dummodo voluntas defuncti duobus saltem testibus probari possit (*a*), de illaue ex monimento litterario plane constet; 2. valere testamentum ad pias causas, a filiofamilias de bonis profectitiis aut aduentitiis, patre consentiente, conditum (*b*); 3. vltimam voluntatem, pro causa pia indefinite declaratam, alterius arbitrio, quod eam definiat, committi posse (*c*); 4. valida esse legata pia, etsi testamentum, quo nituntur, iniustum, aut destitutum sit; 5. nec quidquam obstare, quo minus quis pro causa pia testatus, de reliquo intestatus decedere possit.

(*a*) *Quoniam scriptum est, in ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Cap. 11. *de Testam.* Ex eodem principio ius canonicum omnia testamenta rata habet, quae coram parocho, et duobus personis idoneis facta, immo, quod verius est, duorum modo testium fide munita sunt. Cap. 10. *eod.* Sed hac

in re ius ciuile praeualuit (§. 214.). Contra autem vsu recepta est iuris nostri sanctio, vi cuius liberi, fideicommisso onerati, *legitimam* primum, quasi iure naturae debitam, dein eodem, quo extranei, iure *Trebellianicam* quoque detrahere possunt. Cap. 16. 18. *eod.* (b) Cod. 4. *de sepult.* in VI. (c) Cap. 13. *de Testam.*

§. 944. Domus religiosae quatenus alumnis suis succedant.

Ex eo, quod hereditates clericorum, qui nec testamentum, nec heredem legitimum reliquerunt, ecclesiis, quibus destinati fuerunt, addicantur (§. 629.), interpretes colligunt, domos quoque religiosas, vtpote ecclesiarum iure praeditas (§. 886.), illorum heredes esse, quibus alimenta subministrarunt, quique intestati, et sine herede legitimo decesserunt.

§. 945. Ecclesiae ab oneribus publicis olim immunes.

Imperatores christiani, sicut personis ecclesiasticis priuilegium fori (§. 420.), ita bonis, ad ecclesias domosque religiosas pertinentibus, immunitatem a tributis et vectigalibus concesserunt (*a*). Sed inde a seculo XII. opinio inualuit, tum illud fori priuilegium, tum hoc etiam immunitatis beneficium ecclesiasticae, immo diuinae magis legi, quam principum indulgentiae (§. 149.) acceptum referendum esse (*b*).

(*a*) L. 5. 22. Cod. *de SS. eccles.* L. 1. 2. 13. 35. Cod. *de episc. et cler.* Nouell. CXXXI. Cap. 5. Leges has plenissime firmauit, et dilatauit Frider. II. in Auth. ad L. 2. Cod. *de episc. et cler.* (*b*) Contrarium tradiderunt veteres. Can. 27. 28. XI. q. I. Can. 21. 22. XXIII. q. VIII.

§. 946. Immunitatis huius amplificatio.

Ex hac opinione quasi pro certo habebatur, 1. non tantum bona ecclesiarum (*a*), sed etiam *patrimonialia* clericorum bona immunitatem habere (*b*); 2. vtriusque generis bona immunia esse a quibuscunque tributis, vectigalibus et collectis publicis (*c*); 3. iis tantum exceptis, queis bona, antequam ecclesiae aut clerico obuenerunt, iam affecta erant (*d*).

(*a*) Can. 24. 25. XXIII. q. VIII. Cap. 1. *de cens.* (*b*) Cap. 4. 7. *de immunit. eccles.* Cap. 42. *de R. I.* in VI. (*c*) Cap. 1. *eod.* in VI. Cap. vn. *eod.* in Clem. Cap. 4. *de cens.* in VI. Cap. 3. *eod.* in Clem. (*d*) L. 20. §. 1. *de acq. rer. dom.* Cap. 5. *de pignor.* Cap. 79. *de R. I.* in VI.

§. 947. Bona eccles. iurisdictioni eccles. olim obnoxia.

Inde porro consequi videbatur, vna cum ecclesiis et domibus religiosis (*a*), bona quoque et iura ad eas pertinentia (*b*), iurisdictioni ecclesiasticae obnoxia esse, ideoque, si contra ecclesiam domumue religiosam de iis ageretur (*c*), non nisi iudicis ecclesiastici auctoritate litem dirimi posse (*d*).

(*a*) Can. 10. XVI. q. VII. Can. 17. XVIII. q. II. Cap. 3. *de relig. dom.* (*b*) Huc inprimis referunt ius decimandi. Cap. 25. *de decim.* Cap. 2. *de Iudic.* in Clem. (*c*) Immo et contra laicum, rem ecclesiasticam iniuste detinentem. Cap. 5. *de for. compet.* Cap. 15. *de decim.* (*d*) Can. 1. Dist. XCVI. Can. 24. 25. XVI. q. VII. Cap. 1. *de iudic.* Sed hanc bonorum eccles. immunitatem, et ecclesiasticam in ea iurisdictionem in terris nostris dudum abrogatam esse, supra (§. 418.) iam monuimus. Eam abrogationem repetit *Edict. Constit. Bad.* I. §§. 15. 23.

CAPVT V.

DE ALIENATIONE RERVM ECCLESIASTICARVM.

III. 13. *De rebus ecclesiae non alienandis.*
— 17. *De emtione venditione.*
— 19. *De rerum permutatione.*
— 21. *De pignoribus et aliis cautionibus.*
— 22. *De fideiussoribus.*
— 24. *De donationibus.*

§. 948. Bonorum eccles. administratores.

Dominium bonorum eccles. penes ecclesias (§. 855.) domusque religiosas (§. 885.) esse, diximus. Sed *personae* istae *morales*, cum iura dominii per se ipsas exercere non possint, curatores et administratores habeant, necesse est. Horum autem pro ecclesiarum et domuum religiosarum varietate varia est conditio.

§. 949. Tria eorum genera.

Ex iure communi 1. *praelati* et *praepositi* ecclesiarum cathedralium, collegiatarum et regularium, *magistratus* item, ac *rectores* aliarum praeter monasteria domuum religiosarum, quasi *prodomini*, bona, ad illas pertinentia, 2. *beneficiarii*, tanquam *vsufructuarii*, seu *vasalli*, bona beneficiis assignata, administrant. Ab his differunt 3. *Oeconomi* seu *prouisores*, qui bona sedis alteriusue beneficii vacantis, vel reditus templi, seu fabricae, vel res hospitalium, scho-

larum aliarumque piarum fundationum procurandi munus, *villicorum* instar, susceperunt.

§. 950. Bonorum eccles. alienatio regulariter prohibita.

Antiquissimi autem canones (*a*), principumque inde a seculo V. leges (*b*) omnibus, qui res ecclesiasticas quouis titulo administrant, seuerissime interdicunt, vt ne illas quouis modo alienare audeant, nisi ex iusta causa, et seruata solennitate, ea de re speciatim praescripta (*c*).

(*a*) Can. Apost. 37. Can. 1. X. q. II. Can. 20. 51. 52. XII. q. II. Can. 39. XVII. q. IV. (*b*) L. 14. 17. Cod. *de SS. eccles.* Nouell. VII. et CXX., ex quibus desumtae sunt *Authenticae*, ad L. 14 *cit.*, quas *Gratianus* quoque Can. 2. 3. X q. II. refert. (*c*) Interdictum hoc locum habere, siue alienatio in manus seculares, siue in aliam ecclesiam domumue religiosam fiat, argumento praeter generalem eius formulam sunt Cap. 3. *de emt. vendit.* Cap. 1. *h. t.* in VI.

§. 951. Notio alienationis.

Alienatio sensu arctiori est actus, quo ius in re in alterum transfertur (*a*). Hic autem, vbi de alienatione, in fauorem ecclesiae prohibita, agitur, vox illa, *latiori sensu* accepta, omnem actum significat, qui eo tendit, vt ius siue in re, siue ad rem in alium transferatur (*b*).

(*a*) L. 28. 67. *de V. S.* (*b*) L. 24. Cod. *de SS. eccles.* L. 7. Cod. *de reb. alien. non alien.*

§. 952. Eius explanatio.

Hic ergo alienare censetur, qui 1. rem donat (*a*), permutat (*b*), vendit, in emphyteusin, vel feudum (*c*), vel locationem perpetuam (*d*) tradit, 2. seruitute reali, vel perso-

nali onerat (e), 3. pignori seu hypothecae supponit (f), 4. pecunias aliasue res fungibiles mutuas dat (g), 5. ius in rem, aut ad rem alteri cedit, adeoque donat, vel vendit (h), 6. hereditatem, legatum, vel donationem repudiat (i).

(a) Cap. 2. *de donat.* Dono quasi dat, et quodammode alienat, qui rem, praesertim frugiferam, *commodat*, id est, ad definitum vsum gratis concedit, non autem, qui eam *elocat*, id est, pro certa mercede vtendam tradit Cap. 2. *de locat. et cond.* (b) Cap. 2. *de rer. permut.* (c) Cap. 5. *h. t.* Inter species alienationis in Cap. cit. *conditio* quoque ponitur. De sensu obscurae huius vocis interpretes varie disputant. Alii existimant, eam ab inscio librario assutam, ideoque reiiciendam esse. (d) Cap. 9. *h. t.* In Cap. vn. *eod.* Extrau. Com. *locatio vltra triennium* in numero alienationum prohibitarum habetur. Contrarius vero, in Germania certe, vsus est, vbi res eccles., sicut aliae, ad longius tempus iterum atque iterum elocantur. (e) L. 7. Cod. *de reb. alien. non alien.* (f) Cap. 1. 3. *de pignor.* (g) L. 2. §. 2. *de reb. cred.* (h) L. 6. 23. *de hered. vel act. vend.* (i) L. 5. §. 8. *de reb. eor., qui sub tut.* L. 23. *de acq. vel omitt. hered.* Non obstat. L. 28. *de V. S.*

§. 953. Iusta alienationis causa.

Iusta alienationis *causa* est 1. vrgens *necessitas*, puta, si alia ratione pauperes sustentari, debita solui, aedes et res sacrae conseruari non possunt (a); 2. euidens *vtilitas*, vt scilicet appareat, alienationem non tantum non damnosam, sed cum lucro coniunctam esse (b).

(a) L. 21. Cod. *de SS. eccles.* Can. 13—16. 70. XII. q. II. Cap. 6. *de eccles. aedif.* (b) Can. 52. XII. q. II. Cap. 8. *de his, quae fi. a prael.* Cap. 8. *h. t.* Cap. 1. *eod.* in Clem.

§. 954. Solennitas praescripta.

Vt autem prohibita alioquin alienatio recte atque ordine fiat, non solum iusta causa adsit, sed etiam *solennitas* praescripta adhibeatur, oportet. Hanc vero in praeuio tractatu, in consensu et subscriptione praelati, et capituli (*a*), porro in consensu superioris, immo ipsius summi pontificis (*b*) consistere, tradunt.

(*a*) Can. 52. XII. q. II. Cap. 1. 8. *de his, quae fi. a prael.* Ex hisce locis colligunt, subscriptionem praelati et omnium capitularium necessariam esse. Sed quorsum hae subscriptiones, si alienatio legitimi superioris auctoritate confirmanda est? Itaque tum quidem subscriptionibus opus esset, si praelatus cum capitulo sine superioris consensu alienandi facultatem haberet. Sed etiam in hac specie interpretes vno ore testantur, vi consuetudinis satis esse, si, apposito capituli sigillo, praelatus, et vel decanus, vel senior reliquorum nomine subscripserint. (*b*) Cap. 2. *h. t.* in VI. Cap. vn. *eod.* Extrau. Com. Sed has constitutiones in Germania ratione poenarum, quas intentant, non receptas, et, quod ad necessitatem consensus pontificii attinet, contraria consuetudine abrogatas esse, interpretes pariter testantur. Iusiurandum, quod episcopi summo pontifici de non alienandis bonis eccles. dare solent, ad ea tantum bona pertinet, quae *mensae episcopalis* dicuntur.

§. 955. Modus eam seruandi.

Quod vt rectius intelligas, hasce positiones subiungimus: 1. Si ecclesia *regularis* (§. 445.) vel *collegiata* (§. 524.), vel *cathedralis* (§. 525.) est, ideoque *capitulum* habet, *praelatus* illud ad deliberationem, de causa et obiecto alienationis habendam, conuocare, eiusque *consensum* exquirere tenetur (*a*). 2. Vbi nullum est capitu-

lum, rectores ecclesiae domusue religiosae, de cuius re agitur, deliberationem suscipiunt. 3. Captum de alienatione facienda consilium legitimo superiori proponendum, eiusque approbatio expetenda est (*b*). 4. Legitimus et ordinarius ex iure communi superior hic est episcopus (§. 406.), quiue iurisdictionem quasi episcopalem habet (*c*). 5. Is causam cognoscit, et, prouti res est, decretum de alienando interponit, quin capituli sui assensu astrictus sit (*d*).

(*a*) Sufficit consensus capituli subsequens, si nempe illud alienationem a solo praelato factam, postea ratam habet. Cap. 3. *de his, quae fi. a prael.* Cap. 10. *de R. I.* in VI. (*b*) Ex consuetudine autem fieri, interpretes monent, quod non solum episcopi sine summi pontificis, sed etiam abbates sine episcopi consensu alienationes inire soleant. (*c*) Can. 41. XII. q. II. Alienationem in suum vel capituli cathedralis commodum episcopus ne quidem ex consensu capituli confirmare potest, Cap. 2. *h. t.* in Clem. (*d*) Cum vbique principes supremam bonorum ecclesiasticorum curam susceperint, vbique etiam princeps est legitimus hac in causa superior, eiusque consensus inprimis requirendus. Ex legibus *Austriacis* negotium alienationis regimini prouinciali proponendum est, idque, causa cognita, et collatis cum episcopo consiliis, decretum de alienando interponit. *Constit.* 289. 303. 314. in Collect. cit.

§. 956. Ius ecclesiae facta alienatione iniusta.

Sicut leges alienationem rerum ecclesiasticarum, nisi ex iusta causa, et adhibita solennitate fiat, omnino prohibent; ita prorsus irritam esse, declarant, quae vel sine causa, vel neglecta solennitate inita est (*a*). Vnde res, non legitime alienata, vna cum fructibus a quocun-

que possessore vindicari, aut contra alienantem eiusue heredem ad indemnitatem agi (*b*), alterutra vero actio tum ab ipso alienante, eiusque successore (*c*), tum a capitulo, tum etiam a patrono (*d*) institui potest.

(*a*) L. 14. §. 1. 2. Cod. *de SS. eccles.* Cap. 12. *h. t.* Cap. 1. 2. *eod.* in VI. Cap. vn. *eod.* Extrau. Com. (*b*) Cap. 6. *h. t.* Can. 18. XII. q. II. Cap. 3. *de pignor.* (*c*) Cap. 4. *h. t.* (*d*) Can. 31. 32. XVI. q. VII.

§. 957. Annotationes.

Ad haec annotamus: 1. si in alienatione solennitas iuris seruata est, iustam quoque causam adfuisse, praesumitur, donec contrarium probetur (*a*). 2. Alienatione non legitime facta, ecclesiae alienantis, eiusque superioris est, arbitrari, anne seruare illam et ratihabere expediat (*b*). 3. Contra alienationem vero, quamuis legitime factam, ecclesiae, notabiliter laesae, beneficium restitutionis in integrum praesto est (*c*).

(*a*) Cap. 5. *de probat.* (*b*) Can. 42. XII. q. II. Cap. 61. *de R. I.* in VI. (*c*) Cap. 1. *de restit. in integr.* Cap. 11. *h. t.*

CAPVT VI.

DE ADMINISTRATIONE RERVM ECCLESIASTICARVM.

I. 35. De Pactis.
III. 15. De Commodato.
— 16. De Deposito.
— 18. De Locato et Conducto.
— 23. De Solutionibus.

§. 958. Interdictum alienationis quatenus ad praelatos pertineat.

Pro diuersa illorum, qui res eccles. admini-

strant, conditione (§. 949.), diuersa quoque sunt eorum munia ac iura. *Praelati* aliique, qui ceu *prodomini* res ecclesiasticas administrant, fructus quidem ac prouentus, vtpote summae rerum accrescentes, suos non faciunt; alienationis autem interdicto eatenus tantum tenentur, vt ne bona *immobilia*, nec *mobilia pretiosa* (*a*), ideoque nec iura, in eiusmodi rerum numero posita (§. 851.), sine praescripta solennitate alienent.

(*a*) L. 22. 24. Cod. *de administr. tutor.* Cap. vn. *h. t* Extrau. Com. Quaenam res *pretiosae* sint, habita ratione pretii, artis, antiquitatis et raritatis aestimandum est. Leges *Austriacae* praeter res immobiles, et mobiles pretiosas huc referunt pecunias in foenore positas, reditus annuos, et omnia mobilia, quae ad negotiationem oeconomicam non spectant, et seruando seruari possunt. *Constit.* 289. *cit.*

§. 959. Alienationes praelatis permissae.

Itaque illis licitum est, non adhibita iuris solennitate, 1. donationes moderatas facere, et eatenus res ecclesiae commodare, aut mutuas dare (*a*); 2. res mobiles non pretiosas, quin et immobiles, nullam vel exiguam vtilitatem parientes, alienare, permutare, vendere (*b*); 3. fundos steriles et incultos, vt ad culturam redigantur, in emphyteusin dare (*c*), immo et cultos non solum elocare (*d*), sed etiam, siquidem ab antiquo in emphyteusin vel feudum dari soliti fuerint, rursus ita concedere (*e*); 4. hypothecam generalem creditoribus constituere (*f*).

(*a*) Can. 57. XII. q. II. Cap. 2. 3. *de donat.* (*b*) Can.

20. 53. XII. q. II. Non obstat Cap. 8. *de reb. eccles. n. alien.*, quod de terris magis vtilibus intelligendum est. (*c*) Cap. 7. *eod.* (*d*) Cap. 2. *de locat* (*e*) Eius enim rei, quae antea in emphyteusin vel feudum legitime concessa, dein consolidata est, iterata concessio non noua alienatio, sed prioris, legitime factae, continuatio esse censetur. Cap. 2. *de feud.* Cap. vn. *de reb eccles. n. alien.* Extrau. Com. (*f*) Hypothecae *specialis* tantum constitutionem prohibitam, *generalis* autem permissam esse, ex Nouell. VII. Cap. 6. §. 1. et Cap. 5. *de reb. eccles. n. alien.* recte colligitur.

§. 960. Beneficiariorum hac in re potestas.

Beneficiariis omnis quidem de bonis ac iuribus beneficii quidquam alienandi facultas ademta; omnes tamen fructus ac prouentus suos faciendi, de iisque libere disponendi ius datum est (§. 629.) Hinc res et iura beneficii suo iudicio commodare, elocare, census et decimas debitoribus remittere, praedia quoque, quod vsufructuariis alioquin non licet (*a*), in aliam formam transmutare possunt (*b*). Quodcunque autem pactum de vsu rerum beneficii, alteri concedendo, beneficiarius inierit, ipse quidem eiusue heres eo obstrictus est (*c*); non autem successor in beneficio (*d*), vtpote qui ius suum non a decessore, sed per canonicam institutionem (§. 561.) obtinuit, nisi forte tale pactum auctoritate legitimi superioris firmatum esset.

(*a*) L. 13. §. 7. L. 73. *de vsufr.* (*b*) Cap. 5. *de pecul. cleric.* (*c*) Cap. 4. *Ne prael. vic. suas etc.* (*d*) L. 9. §. 1. *Locat.* Cap. 8. *de transact.*

§. 961. Oeconomorum conditio.

Oeconomi, seu *prouisores* nec in ipsam rerum

summam, nec in fructus ac prouentus vllam potestatem habent, cum eorum tantummodo sit, res ipsis concreditas seruare et custodire, reditus accipere, et a debitoribus exigere, statas et necessarias impensas facere, iisque, a quibus constituti sunt, singulis annis rationes reddere, reliqua ex illorum mandato peragere (*a*). Ex eo autem, quod ius tacitae hypothecae minoribus in bonis tutorum ac curatorum datum sit (*b*), recte colligitur, idem ius ecclesiis ac domibus religiosis in bonis oeconomorum concessum esse.

(*a*) Cap. 2. §. 1. *de relig. dom.* in Clem. Conc. Trid. XXII. Cap. 9. (*b*) L. 20. Cod. *de administr. tutor.*

§. 962. Vis contractuum ab administratoribus initorum.

De contractibus, ab administratore rerum eccles. initis, speciatim annotamus: 1. Praelati, aliique rectores iis similes, quatenus sine iuris solennitate alienare, eatenus quoque contractus, qui in vtriusque partis vtilitatem fiunt, eo effectu inire possunt, vt ipsa ecclesia iis obstringatur, quin probatione versionis in rem, vel consensu capituli opus sit. 2. Ex *fideiussione* administratoris ecclesia non obligatur, nisi vel in vtilitatem ecclesiae, vel ex consensu capituli facta sit (*a*). 3 Idem constitutum est de *deposito*, quod administrator suscepit, et siue culpa, siue casu praedidit (*b*). 4. Idem porro obtinet in pecunia, quam administrator *mutuam* sumpsit. Ex hac enim causa ecclesia tunc solum obligatur, si creditor probauerit, pecuniam

in vtilitatem ecclesiae versam (*c*), aut ex consensu capituli ab administratore acceptam esse (*d*). 5. Quantumuis autem validi sint contractus de rebus eccles. initi, saluum tamen est ecclesiis aliisque piis causis, notabiliter forsan laesis, beneficium restitutionis in integrum (*e*).

(*a*) Cap. 4. *de fideiuss.* Cap. 2. *de solut.* (*b*) Cap. 1. *de deposit* Cap. 76. *de R. I.* in VI. (*c*) L. 27 *de reb. credit.* Auth. *Hoc ius porrectum* ad L. 14. Cod. *de SS. eccles.* (*d*) Cap. 4. *de fideiuss.* (*e*) Cap. 3. *de restit. in integ.* L. 11. §. 3. *de minor. vigint.*

§. 963. Beneficia legis ecclesiae obaeratae.

De reliquo ius commune ecclesiis et domibus religiosis ratione crediti nec tacitam hypothecam, nec ius inter creditores praecipuum attribuit (*a*); iis tamen obaeratis duplex beneficium concedit, 1. quod creditori rem frugiferam ita oppignorare possint, vt fructus, quatenus vsuras quadrantes superant, ad sortem minuendam computentur, 2. quod si creditor hanc conditionem inire nolit, rem, quam rectores ecclesiae dare velint, hastae subiicere, et, quanti aestimata fuerit, emtore non reperto, in solutum dare possint (*b*).

(*a*) Hinc leges administratoribus iniungunt, vt pecunias non, nisi accepta hypotheca publica, in fenore ponant. *Constit.* 312. 313. in Collect. cit. *Ephemer. regim. Bad.* an. 1804. pag. 152. (*b*) Nouell. CXX. Cap. 6. §. 2. in fin. Auth. *Hoc ius porrectum* ad L. 14. Cod. *de SS. eccles.*

CAPVT VII.
DE PRAESCRIPTIONE RERVM ECCLESIASTICARVM.

II. 26. De Praescriptionibus.

§. 964. Praescriptio.

Sicut alia bona et iura, ita et ecclesiastica praescriptione et acquiri, et amitti possunt. Est autem *praescriptio*, seu *vsucapio* modus ob neglectam ab altero intra certum tempus iuris sui persecutionem rem aliquam sibi acquirendi, vel obligatione quadam se liberandi. Atque id iuris boni communis causa introductum est, ne scilicet dominia, et iura rerum fere semper incerta (*a*), possessores igitur petitionibus et litibus perpetuo obnoxii (*b*), desides contra, et in inquirendis rebus suis negligentes securi semper essent (c).

(*a*) L. 1. *de vsurpat. et vsucap.* (*b*) L. 5. pr. *Pro socio.* L. 7. Cod. pr. *de praescript. 30 vel 40 an.* (c) L. 2. Cod. *de annal. except.* Cap. 5. *h. t.*

§. 965. Acquisitiua et extinctiua.

Praescriptio, vi cuius quis rem, siue corporalem, siue incorporalem seu ius, sibi acquirit, *acquisitiua* seu *positiua*; vi cuius quis obligatione, qua alteri obstrictus erat, liberatur, *extinctiua* seu *priuatiua* vocatur. Vtraque ius alterius perimit, alterique ius tribuit; in vtraque porro praescribens aliquid acquirit, sed inter

vtramque hoc interest, quod *illa* possessione rei, per certum tempus continuata (*a*), *haec* solo temporis decursu perficiatur. De vtraque sigillatim, et primum quidem *de praescriptione acquisitiua* agemus.

(*a*) L. 25. *de vsurp. et vsucap.* Cap. 3. *de R. I.* in VI.

§. 966. Possessio. Titulus.

Sicut detentio rei corporalis *possessio* ita rei incorporalis, seu iuris vsus et exercitium *quasi possessio* vocatur Vtraque, si possessor animum rem *sibi*, *vt domino*, habendi vel non habet, vel iure habere non potest, *naturalis*; si talem animum habet, et iure habere potest, *ciuilis* dicitur. *Titulus* est id, ex quo ius habendi possessionem intelligi potest. Possessio igitur cum titulo *iusta*, sine eo *iniusta* erit. Possessio *ciuilis* titulum, et quidem ad transferendum rei rel iuris dominium habilem requirit (*a*), ex eoque semper vt *iusta* apparet; possessio autem *naturalis* vel nullo, vel eiusmodi titulo nititur, quo rei iurisue vsus duntaxat, aut custodia defertur (*b*), eoque respectu modo *iusta*, modo *iniusta* est. Possessor, qui cum ratione putat, titulum possessionis suae nullo vitio laborare, *bonae fidei*, qui ita sentire non potest, aut titulo plane caret, *malae fidei* audit (c).

(*a*) Tales tituli sunt *donatio*, *permutatio*, *emtio venditio*. *hereditatis* vel *legati delatio*, aliique actus et contractus, quibus id agitur, vt quis rei vel iuris dominium nanciscatur. (*b*) Eius generis sunt *commodatum*, *locatio conductio*, *depositum*, *pignus* aliique actus, qui eo tendunt, vt alter alieno magis,

quam suo nomine ac iure rem detineat. (*c*) Qui a non domino rem emit, vel pignus accepit, iuste quidem possidere videtur; sed prouti, dominum non esse, vel ignorauit, vel sciuit, bonae vel malae fidei possessor erit. Fur, praedo *naturaliter*, sed prorsus *iniuste* et *mala fide* possidet.

§. 967. Summa doctrinae de praescriptione acquisitiua.

Sic autem praescriptio acquisitiua legibus constituta est, vt, si quis rem, aliquam a non domino, eoue, qui alienandi potestatem non habet (*a*), titulo ad transferendum dominium habili, et bona fide accepit, atque per tempus, lege definitum, continenter possedit, firmum ac perpetuum illius dominium hoc ipso consequatur, dummodo res eius generis sit, vt a praescribente *ciuiliter* possideri, et tanquam sibi propria haberi possit (*b*).

(*a*) Qui nempe rem a domino, eoue accepit, qui eius alienandae ius habuit, nacto iam dominio praescriptione non indiget, *quia*, *quod proprium est ipsius*, *amplius fieri non potest*. §. 10. Instit. *de legat.* (*b*) Conditiones has interpretes hisce versiculis indicare solent: *Sit res apta*, *fides bona*, *sit titulus quoque iustus*; *possideas iuste*, *completo tempore legis*.

§. 968. Res praescriptioni obnoxiae, eaque exemtae.

Hinc praescriptionem non admittunt res, quae vel sua natura, vel iuris dispositione ita possideri, et haberi nequeunt, veluti 1. *res spirituales*, ritus nimirum et actus sacri (§. 643.), vtpote *proprietate nullius*, *vsu* vero omnium ecclesiae membrorum *communes*; 2. *iura ordinis*, seu *ministerii sacri*, quae a sacro ordinationis

ritu ita pendent (§. 392.), vt ne priuilegio quidem aliis concedi possint, vel soleant; 3. *iura iurisdictionis ecclesiasticae* (*a*), quatenus *laici seculares* (§. 563.) eorum *quasi possessionem* habere non possunt; 4. *limites dioecesium* et *parochiarum* (§. 536.), quamdiu de iis manifesto constat; 5. *loca sacra* et *religiosa*, quousque rerum, publicis vsibus destinatarum, conditionem retinent (*b*); 6. *res*, seu *actus merae facultatis*, quos nempe quilibet suo arbitrio ponere, vel omittere semper potest, quin alter agentem impedire, vel cessantem vrgere iure possit, quoad nempe tales actus esse non desierunt (*c*).

(*a*) Cap. 2. *de iudic.* (*b*) §. 1. Instit. *de vsucap.* §. 2. Instit. *de inut. stip.* L. 9. *de vsurpat. et vsucap.* (*c*) Tales esse desinunt, si in prohibitione vel petitione alterius alter acquiescit, atque ita ius alterius *tacite* agnoscit. L. 3. Cod. *in quib. caus. cess. long. temp. praescr.* L. 2. Cod. *de seruitut.*

§ 969. Bona fides necessaria.

Bona fides hic est iusta opinio possessoris, se rei vel iuris dominum esse, suum itaque auctorem dominum fuisse, saltem alienandi potestatem habuisse (*a*); in *mala fide* contra est, qui, quod animo domini vsurpat, alterius esse non ignorat, immo vel dubitat (*b*). Iure *Romano* sufficit, si quis, cum possessionem cepit, in bona fide fuit; mala igitur fides superueniens nihil impedit (*c*). Sed iure *canonico*, vbique fere adhuc recepto, bona fides toto praescriptionis tempore plane requiritur (*d*); pro ea tamen ita stat praesumtio, vt mala fides ab illo probanda sit, qui eius alterum arguit (*e*).

(*a*) L. 109. *de V. S.* (*b*) L. 10. Cod. *de acquir. poss.* (*c*) L. 10. *de vsurp. et vsucap. transform.* Iuris Romani sententiam *Gratianus* ad Can. 15. §. 1. XVI. q. III. his verbis repetit: *Sufficit in initio cuique bona fide possidere coepisse, etiamsi medio tempore scientiam rei alienae habuerit.* (*d*) *Possessor malae fidei vllo tempore non praescribit.* Cap. 2. de R. I. in VI. *Omne, quod non est ex fide, id est, quod fit contra conscientiam, peccatum est.* Ita *Gratian.* ad Can. 44. §. 2. Dist. III. *de poenit.*, ex eoque pontifex in Cap. 20. *h. t.* ita concludit: *vnde oportet, vt, qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae.* (*e*) L. 51. *Pro soc.* L. 30. Cod. *de euict.*

§. 970. Hinc iustus quoque titulus requiritur.

Hoc sensu bonam fidem is tantum possessor habere potest, qui, quod possidet, titulo ad transferendum dominium habili accepit. Hinc talis titulus ad praescriptionem plane necessarius est (*a*), isque re ipsa adsit, oportet (*b*), cum non sufficiat falso existimatus, nisi iustam ex facti alieni ignorantia excusationem error habeat (*c*). Frustra certe praescriptionis iura appellant, qui alio titulo rem vel ius possident. eiusque idcirco dominium ad se non pertinere, ignorare non possunt.

(*a*) L. 24. Cod. *de R. V.* L. 4. Cod. *de praescript. long. temp.* Titulum scilicet *iustum* eum duntaxat appellant, qui ad transferendum dominium habilis est, ex eoque tantum bonam fidem aestimare solent, etsi, creditores pignoratitios, fructuarios, colonos iusto titulo et bona fide possidere, non negent. (*b*) §. 6. Instit. *de vsucap.* L. 27. *de vsurpat.* (*c*) L. 11. 14. *Pro emt.* L. 5. *Pro suo.*

§. 971. Species praescriptionis ratione temporis.

Ita quidem praescriptio a possessione *ciuili* initium sumit; sed non nisi temporis praefiniti decursu absoluitur. Et hoc respectu praescriptio, quae in rebus *mobilibus* trium, in *immobilibus*, et iuribus, quae immobilium loco habentur (§. 851.) decem inter praesentes, et viginti inter absentes annorum possessione completur (*a*), *ordinaria*, et ratione decem vel viginti annorum *longi temporis* (*b*), quae plures *definite* annos requirit, *extraordinaria* seu *longissimi temporis* (*c*), quae porro *indefinite* tam vetustam possessionem exigit, vt, quando ea inceperit, nemo iam, se meminisse, aut a maioribus audiuisse, dicere possit, *immemorialis* appellatur (*d*).

(*a*) Pr. Instit. *de vsucap.* Hic autem *praesentes* censentur, qui in eadem prouincia domicilium habent, vbicunque res posita sit. L. 12. Cod. *de praescr. long. temp.* In hisce terris eius tantum, contra quem praescribitur, ratio habetur, isque *praesens* dicitur, si sub eo iudice superiore domicilium habet, in cuius territorio res sita est. Si vero is partim praesens, partim absens fuit, eius temporis, quod decennio praesentiae deest, duplum sumere, temporique praesentiae adiicere oportet. Nouell. CXIX. Cap. 8. Auth. *quod si quis* Cod. *tit. cit.* (*b*) L. 11. Cod. *tit. cit.* (*c*) Cap. 11. *h. t.* (*d*) Cap. 26. *de V. S.* Secundum ius commune praescriptio *ordinaria* in rebus *mobilibus* non facile procedit. §. 2. *de vsucap*, praescriptio autem *longissimi* temporis pro varia rerum conditione est vel *triginta*, vel *quadraginta*, aliquando plurium annorum.

§ 972. Iura cuique speciei propria.

De hac praescriptionum varietate annota-

mus: 1. Qui praescriptionem *ordinariam* in iudicio praetendit, possessionis suae titulum edere, et probare tenetur (*a*). 2. In praescriptione *longissimi temporis* non solum bona fides, sed titulus quoque praesumitur, et ideo probatione non indiget, nisi vel ius commune, vel alia grauis praesumtio possidenti resistat (*c*). 3. In praescriptione *immemoriali* tanta est tituli praesumtio, vt ea persistat, etsi ius commune possessori contrarium sit, aut alia praesumtio contra ipsum habeatur (*d*).

(*a*) L. 4. Cod. *de vsucap. pro hered.* (*b*) L. 4. Cod. *de praescr. 30. vel 40. an.* Gratian. ad Can. 15. §. 1. XVI. q. III. (*c*) Cap. 1. *h. t.* in VI. (*d*) Cap. 1. *cit.* Inde colligunt, praescriptionem immemorialem vim priuilegii seu peculiaris concessionis habere, eaque acquiri posse, quidquid priuilegio concedi solet, vt adeo, qui possessionem immemorialem satis probauit, probasse censeatur, eam rem maioribus suis per priuilegium concessam fuisse.

§. 973. Possessio continua aeque necessaria.

Vt autem praescriptio temporis praefiniti decursu rite absoluatur, possessio *continua*, nec vnquam *interrupta* requiritur. Continuat vero possessionem non solum is, qui illam acquisiuit, sed huius quoque successor. Et quidem 1. possessio antecessoris, bona fide nixa, prodest successori tum *vniuersali*, seu heredi, tum *singulari*, eandem rem bona fide possidenti (*a*). 2. Neuter vero accessione temporis, quo antecessor possedit, vti potest, si is mala fide possedit (*b*). 3. Quodsi successor non quidem accessione possessionis, quam antecessor mala fi-

de tenuit, vti, attamen ex sua persona praescriptionem inchoare velit, id *singulari* bonae fidei successori licet (c); *vniuersali*, etsi bonae fidei sit, non licet, quia is non tantum in virtutes, sed etiam in vitia defuncti succedit (d).

(a) Iure *Romano* heres praescriptionem, a defuncto bona fide coeptam, absoluere potest, etsi ipse in mala fide sit. §. 7. Instit. *de vsucap.* Aliter ius *canonicum* statuit. (b) L. 13. §. 1. 13. *de acquir. possess.* L. 11. Cod. *eod.* (c) L. 5. pr. *de diuers. temp. praescr.* (d) L. 11. *eod.*

§. 974. Praescriptio interrupta.

Continua vero possessio, ideoque et praescriptio interrumpitur 1. *naturaliter*, amissa possessione, re scilicet in alterius potestatem, iuste siue iniuste redacta (a), item vsu iuris ex alterius vel prohibitione intermisso, vel violentia impedito (b); nec non mala fide superueniente (c); 2. *ciuiliter*, lite possessori mota, eoque a iudice competente in ius vocato (d). Interruptio *naturalis* inchoatam praescriptionem ita tollit, vt, nacta quidem possessione rursus inchoari, possessionis autem prius habitae tempus cum noua possessione coniungi non possit (e). Interruptio *ciuilis* ab exitu litis pendet. Actore vincente, eidem prodest; eo autem a lite desistente, vel reo per sententiam absoluto, huic nihil nocet (f).

(a) L. 2. 5. *de vsurp. et vsucap.* L. 3. §. 13. L. 15. *de acq. vel amitt. poss.* (b) L. 2. Cod. *de seruitut.* (c) Cap. 5. 19. *h. t.* (d) L. 2. Cod. *de annal. except.* Cap. 2. *vt lit. pendent.* in Clem. (e) L. 7. §. 4. *Pro emt.* (f) L. 2. *Pro donat.* L. 1. 9. Cod. *de praescr. long. temp.*

§. 975. Praescriptio suspensa.

Non interrupta, sed *suspensa* tantum praescriptio dicitur, quando cursus eius per aliquod tempus ita sistitur, vt ad eam complendam tempus posterius cum priori coniungi possit. 1. Hac ratione suspensa est, et dormit praescriptio tempore, iustitium inferente, veluti belli aut pestis (*a*). 2. Contra pupillos et minores ita dormit, vt anni aetatis pupillaris ad nullam (*b*), anni aetatis minoris non quidem ad ordinariam (*c*), attamen ad extraordinariam longissimi temporis praescriptionem computentur (*d*). Ita porro 3. cuiusque praescriptionis acquisitiuae tempus computatur, vt dies vltimus inceptus pro adimpleto habeatur (*e*).

(*a*) Cap. 10. *h. t.* (*b*) L. 3 Cod. *de praescr. 30. vel 40. an.* (*c*) L. 3. Cod. *Quib. non obiic. long. temp. praescr.* (*d*) L. 5. Cod. *In quib. caus. restit. in integ. necess. non est.* (*e*) L. 6. 7. *de vsurp. et vsucap.* L. 15. pr. *de diuers. tempor. praescript.*

§. 976. Regulae de praescriptione contra ecclesias.

Ecclesiae et causae piae contra alias quascunque personas eodem, quo alii ciues, praescriptionis iure vtuntur (*a*). Praescriptio autem contra ecclesias et causas pias his regitur legibus: 1. res *mobiles* illarum ordinariae trium annorum praescriptioni obnoxiae sunt (*b*); 2. *immobiles* vero et *iura* longissimo tantum quadraginta annorum tempore praescribi possunt, etsi ipsa ecclesia vel causa pia praescriptionem intendat (*c*); 3. quodsi ius commune, vel grauior praesumtio praescribenti obstat, tituli quo-

que, eoue deficiente, possessionis immemorialis probatio necessaria est. 4. Possessiones et iura ecclesiae Romanae ex singulari priuilegio non nisi centum annorum spatio praescribuntur (*d*). 5. Iura iurisdictionis (§. 496.), et ordinis episcopalis (§. 500.), aliaque, quorum possessio laicis secularibus interdicta est (§. 563.), praescriptione saltem immemoriali eatenus acquiri possunt, quatenus eiusmodi iura eorumue vsus et exercitium priuilegio concedi aliis solent (*e*).

(*a*) Cap. 3. *h. t.* (*b*) Auth. ad L. 23. Cod. *de SS. eccles.* Gratian. ad Can. 16. §. 4. XVI. q. III. (*c*) Nouell. CXI. Cap. 1. CXXXI. Cap. 6. Can. 2. 3. XVI. q. IV. Cap. 4. 6. 8. *h. t.* (*d*) Nouell. IX. Can. 17. XVI. q. III. Cap. 13. 14. 17. *h. t.* Cap. 2. *eod.* in VI. (*e*) Cap. 15. 18. *h. t.*

§. 977. Natura praescriptionis extinctiuae.

Praescriptio extinctiua eo tendit, vt quis obligatione liberetur, iusque agendi, quod alter ex ea habuit, excludatur, eoquod intra tempus, lege definitum, agere neglexerit. Hic ergo praescribens nec rem, nec ius alterius *ciuiliter* possidet, ideoque nec *titulus* ad transferendum dominium habilis ei opus est, neque ob id *malae fidei* argui potest, quod, se debere, sciat, *iurisque alieni scientiam* habeat. Ad *bonam* nempe *fidem* sufficit illi iusta opinio, se non soluendo non peccare. Id quod non sine ratione putat debitor, quousque creditor eum solutionis reum agere intermittit, sicque tacite dilationem concedit.

§. 978. Quatenus ea contra ecclesias locum habeat.

Quae tempora actionibus ad eas instituen-

das, eadem praescriptioni extinctiuae ad easdem excludendas praefinita sunt. Plerisque actionibus, tum *realibus*, tum *personalibus* triginta, ad summum quadraginta annorum spatium praefixum est (*a*); vnde actiones istae *perpetuae*, aliae omnes, quae breuioris temporis sunt, *temporales* dicuntur (*b*). Omnes igitur actiones, elapso demum earum tempore institutae, exceptione praescriptionis inanes redduntur (c). Et *temporales* quidem ecclesiarum causarumque piarum actiones iure communi reguntur; *perpetuae* autem id amplius habent, quod quam longissimo tantum quadraginta annorum tempori cedant (*d*). Actiones porro ecclesiae Romanae non nisi centum annorum decursu extinguuntur.

(*a*) L. 3. 4. Cod. *de praescr. 30 vel 40 an.* Actiones *reales*, quatenus per praescriptionem *acquisitiuam ordinariam* tolluntur, huc, vbi de *extinctiua* sermo est, non pertinent. (*b*) Iure communi actiones, iisque contrariae praescriptiones *temporales* variis dierum, mensium, et annorum vsque ad quinquennium terminis circumscriptae sunt. Vid. Tit. Instit. *de perpet. et tempor. act.* Pand. *de diuers. tempor. praescript.*, et hae praescriptiones contra minores non currunt. L. 5. Cod. *in quib. caus. in integ. restit. necess.* (*c*) L. 3. Cod. cit. L. 4. Cod. *eod.* Add. L. 1. §. 1. Cod. *de annal. except.* (*d*) Nouell. CXXXI. Cap. 6. Auth. ad L. 23. Cod. *de SS. eccles.*

§. 979. Computatio temporis in ea.

Huc sequentes positiones spectant: 1. praescriptio *extinctiua* ab illo tempore initium capit, quo actio rite institui potuit (*a*). Vnde et 2. inchoata tamdiu suspenditur, et dormit, quam-

diu quis legitime impeditus fuit agere (*b*); cum agere non valenti non currat praescriptio (*c*). 3. Eadem porro debitore de solutione interpellato, aut nouam cautionem offerente penitus (*d*); lite autem mota, eatenus interrumpitur, quatenus actor vincit. 4. Eadem vero, nisi nouissimus dies totus compleatur, non perficitur (*e*).

(*a*) Cum nempe, si sub conditione, aut in certum diem debetur, conditio extiterit, dies venerit. L. 7. §. 4. Cod. *de praescr. 30 vel 40 an.* L. 213. *de V. S.* (*b*) Sic ecclesia tamdiu impedita censetur, quamdiu rectore suo caret Cap. 4. 15. *h. t.*, aut talem habet, qui eam defendere non potest. Cap. 2. §. 1. *de transslat. episcop.* (*c*) L. 1. § 2. Cod. *de annal. except.* (*d*) L. 7. §. 5. L. 8. §. 4. Cod. *de praescr. 30. vel 40. an.* Sicut autem data noua cautione, ita et facta nec amplius repetita interpellatione, praescriptio de integro inchoari potest. Quod enim, si vel ius, vel dies certa, vel creditor solutionem semel exegit, mala fides in perpetuum inducatur, adeoque eiusmodi praescriptio nullo vnquam tempore deinceps absolui possit, id nulla ratione probari potest, immo et a verbis, et a mente legum plane alienum est. *Quadragenalis* certe *praescriptio omnem prorsus actionem excludit.* Cap. 6. *h. t.* (*e*) L. 6. *de O. et A.*

§. 980. Iura huic praescriptioni obnoxia.

Itaque vi huius praescriptionis tolli possunt omnes obligationes, quae ab eiusmodi iure alterius pendent, de quo is decedere, quodque missum facere potest, lege scilicet peculiari non obstante. Per hanc igitur tolluntur 1. iura *legis dioecesanae*, veluti *quarta decimarum* et *legatorum* (*a*); 2. obligationes et iura ad pensiones statis temporibus soluendas, ita quidem, vt vna

praescriptione, a tempore morae debitoris computanda, omnis eas soluendi obligatio, ipsumque adeo ius eas in posterum exigendi extinguatur (*b*). Eiusmodi autem praescriptioni 3. obnoxiae non sunt obligationes visitationem patiendi (*c*), procurationes soluendi (*d*), debitam praelatis obedientiam ac reuerentiam exhibendi (*e*), vti supra (§. 497. 498.) iam monuimus.

(*a*) Cap. 4. *h. t.* (*b*) Ita ius nostrum de iure decimarum et censuum diserte statuit Cap. 6. 13. *h. t.* Cap. 20. *de cens.* Sunt, qui, praeteritas tantum pensiones et praestationes, non autem futuras sublatas esse, putant, et de praeteritis quoque censent, earum tantum obligationem cessare, quae ante 30 vel 40 annos solui debuissent, vt adeo ius ipsum eas exigendi nunquam extinguatur, nisi forte praescribens solutionem bona fide negasset, et alter toto praescriptionis tempore acquieuisset Id quod ex L. 7. §. 6 Cod. *de praescr. 30 vel 40 an.* colligunt. Sed hanc legem ex L. 8. §. 4. *eod.* et L. 26. pr. Cod. *de vsur.* interpretari oportet. (*c*) Cap. 16. *h. t.* (*d*) Cap. 11. *h. t.* (*e*) Cap. 12. *h. t.*

§. 981. An ecclesiae contra praescriptionem in integrum restituendae.

Contra praescriptionem tum acquisitiuam, tum extinctiuam, legitime completam, ecclesiis et causis piis adhuc saluum manere restitutionis in integrum, intra quadriennium obtinendae, beneficium, multi contendunt. Contra annotamus: 1. praescriptio *longi temporis* sicut contra minorennes, ita et contra ecclesias non currit; nulla igitur restitutione hic opus est. 2. Praescriptio *longissimi temporis* contra minoren-

nes (*a*), et contra ecclesias (*b*) ita expresse constituta est, vt omnem prorsus actionem tollat, eaque munitos plenissime securos reddat, nulla igitur contra eam restitutio locum habeat. 3. Praescriptio *triennis* rerum mobilium contra minoreunes quidem non currit; contra ecclesias autem tantum valet, quantum contra alios; ratione igitur restitutionis aduersus illam eadem ecclesiarum, quae aliorum est conditio. 4. Sicut nemini, ita nec ecclesiae contra vllam praescriptionem, rite completam, restitutio ob id conceditur, quod ignorauerit, contra se praescribi (*c*).

(*a*) L. 3. 4. Cod. *de praescript. 30 vel 40 an.* Non obstat L. 8 Cod. *de in integ. restit. minor.*, qua minoribus, quouis modo laesis, restitutio datur; id enim excepta praescriptione longissimi temporis intelligendum est. (*b*) Cap. 6. *h. t.* Non obstat Cap. vn. *de in integr. restit.* in Clem., vbi restitutio contra lapsum temporis ecclesiis generaliter indulgetur. Hic enim, vti in Cap. 1. 2. *eod.* in VI., de restitutione contra laesiones ex contractu alioue negotio ortas, et de praescriptionibus *temporalibus* sermo est, quibus actus iudiciales circumscripti sunt. Alia longe restitutionis contra praescriptionem rerum et actionum, rite completam, est ratio. (*c*) L. 12. Cod. *de praescript. long. temp.*

IVRIS ECCL. CATHOLIC.

PARS VI.

DE IVDICIIS ECCLESIASTICIS.

SECTIO I.

DE IVDICIIS ECCLESIASTICIS GENERATIM.

CAPVT I.

DE IVRISDICTIONE ECCLESIASTICA.

§. 982. Exordium.

Cum nullum sit iudicium sine iudice, nec iudex sine iurisdictione, et ea quidem iurisdictione, quae competentem illum reddat; consequens est, vt primum *de iurisdictione eccles.*, tum *de iudice eccles.* eoque *competente*, post de *iudicio eccles. generatim* disputemus.

§. 983. Iurisdictio eccles.

Sicut in natura potestatis ecclesiasticae inest ius, leges de liturgia et disciplina condendi (§. 34.), ita et ius definiendi rationem, quam actiones membrorum ecclesiae ad leges illas habeant. Atque hoc ius *iurisdictio ecclesiastica* speciatim, seu *iudiciaria*, et factum, de cuius ratione ad leges quaeritur, *causa* appellatur.

§. 984. Suprema et subordinata.

Sacra haec iurisdictio, quatenus ex vniuersali et summo regimine ecclesiastico pendet, in sacerdotum ergo vniuersitate, seu *ecclesia docente* residet (§. 70.), *suprema* ac *sublimis*, quatenus ab ea episcopis aliisque personis ecclesiasticis concessa est (§. 71.); *subordinata*, et penes episcopos quidem aliosque praelatos *particularis* (§. 77.), penes summum autem pontificem (§. 86.), *vniuersalis* est.

§. 985. Propria et aliena.

Quanquam iurisdictio ecclesiastica ex se, et sua natura ad eas tantum causas pertinet, quae legibus, vi potestatis ecclesiasticae de liturgia et disciplina editis, definitae sunt (*a*), priuilegiis tamen principum (§. 149), tum et sinistris interpretationibus, (§. 190) ad causas imperio ciuili, adeoque et iurisdictioni seculari obnoxias prolata est (*b*). Iurisdictionem igitur ecclesiasticam, prout ius nostrum commune eam describit, in *propriam*, quae in natura potestatis ecclesiasticae inest, et *alienam*, quae expressa, vel tacita principum concessione nititur, distinguere oportet (*c*). Vtraque nunquam non fuit, estque adhuc *vera* iurisdictio, *audientiae episcopalis* nomine, quod vtique *veram iurisdictionem* sonat (*d*), olim celebrata (*e*).

(*a*) Leges ecclesiasticas *diuinas* (§. 276.) potestas *ordinis* curat (§. 33.); *iurisdictio* eatenus tantum ad eas pertinet, quatenus legibus eccles. *humanis* munitae sunt. (*b*) Vtriusque iurisdictionis, ecclesiasticae et secularis, fontem ac ambitum perspicue desig-

nauit GRATIAN. ad can. 30. XI. q. I. (c) Sed *aliena* haec iurisdictio legibus principum valde circumscripta, in multis terris penitus sublata, quin et eo res deducta est, *vt hodie ecclesiastici habeant, quod de priuatione iurisdictionis conquerantur.* FLEURY *Inst. Iur. Eccles.* P. III. Cap. I. §. 8. (*d*) L. 1. Cod. *de Iurisd. omn. iud.* L. vn. cod. *Ne lic. in vna ead. caus.* (*e*) Siue *propriam*, siue *alienam* iurisdictionem eccles. *audientiae episcopalis* nomine intelligas, de neutra sane dici potest, quod, vti BOEHMER Princip. Iur. can. §. 239. ait, ex eoque HOFACKER Princip. Iur. ciuil Tom. III. §. 4208. repetit, *imperantium beneficio in iurisdictionem abierit, veraeque iurisdictionis speciem acceperit*, cum vtraque, simul ac primum orta est, vera iurisdictio fuerit.

§. 986. Criminalis et ciuilis.

Sicut *iurisdictio* secularis, ita et *ecclesiastica*, *quatenus* rationem actionum ad leges *poenales* (§. 284.) definit, ex iisque delinquentes poenis afficit, *criminalis*, in iure Romano *imperium merum* (*a*), quatenus leges *non poenales* causis obuenientibus applicat, *ciuilis* appellari solet. In *hac* autem refragantes coercendi, et iudicatum exequendi potestas, seu *imperium mixtum* ita inest (*b*), vt, data iurisdictione, hoc quoque concessum esse, intelligatur (c).

(*a*) L. 3. *de Iurisdict.* (*b*) L. 5 §. 1. *de offic. eius, cui mand* Cap. 28. pr. *de off. et potest. iud. deleg.* (c) *Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit.* L. 2. *de Iurisd.*

§. 987. Eaque contentiosa vel voluntaria.

Iurisdictio *ciuilis*, si in cognoscendis et decidendis controuersiis versatur, *contentiosa*, si negotiis haud controuersis auctoritatem conci-

liat, *voluntaria* (*a*), et haec rursus prouti negotium vel nihil aliud, quam nudam approbationem magistratus requirit, vel non, nisi causa, diligentius cognita, et interposito decreto absolui potest (§. 357.), vel *mera*, vel *mixta* appellatur.

(*a*) L. 2. *de off. procons. et legat.*

§. 988. Iurisdictio vel ordinaria vel extraordinaria, vel propria.

Insuper iurisdictio, scilicet *subordinata*, vel *ordinaria* est, quam quis vi officii, pro vniuerso quodam causarum genere instituti, suoque nomine ac iure tenet, vel *extraordinaria*, quae vel non vi officii, vel alieno nomine habetur, vel *propria*, quam quis siue vi officii, siue ex speciali concessione, suo tamen nomine ac iure explicat. Vnde iurisdictio propria vel ordinaria, vel extraordinaria esse potest.

§. 989. Mandata vel delegata.

Iurisdictio *extraordinaria*, si officio quidem indita, ideoque ad omnes eius causas generaliter concessa, sed concedentis nomine exercenda est, *mandata*, si alicui suo quidem nomine exercenda, sed praeter officium, eius causa institutum, hincque vel ad certum duntaxat causarum genus, vel ad vnam tantummodo alteramue causam inter certas personas data est, *delegata* vocatur, ab eaque *delegatus* vel *ad vniuersitatem causarum*, vel *simpliciter* dicitur. Itaque *mandata* iurisdictio *ordinariae*, et *delegata* iurisdictionis *propriae* quodammodo rationem habet.

§. 990. Differentiae inter vtramque.

Ex eo autem, quod iurisdictio mandata *omnem* vniuerse iurisdictionem mandantis, delegata vero illius, quam delegans habet, *partem* tantum comprehendat, consequi videbatur, 1 iurisdictionem mandatam eandem esse cum illa, quae mandantis est (*a*); delegatam vero ab ea, qua delegans potitur, vt partem a toto differre; 2. mandata iurisdictione praeditum mandantis vice fungi (*b*), delegatum contra diuersam a delegante personam sustinere, illum igitur, etsi officium gerat, non suo, sed mandantis nomine, hunc autem, licet officio careat, suo quasi nomine ac iure iurisdictionem exercere; 3. a mandatario non ad mandantem, sed ad huius superiorem appellandum esse (*c*), a delegato autem ad delegantem recte appellari (*d*).

(*a*) Quare *vnum et idem consistorium siue auditorium vtriusque est censendum.* Cap. 2. *de consuetud.* et Cap. 3, *de appell.* in VI. (*b*) L. 1. §. 1. *de offic. eius, cui mand.* L. 16. *de Iurisdict.* (*c*) L. 1. *Quis a quo*; ne scilicet *appellatio ab eodem ad se ipsum interposita videatur.* Cap. 2. et 3 *cit.* (*d*) L. 3. *Quis a quo.* L. vn. cod. *Qui pro sua iurisd.*

CAPVT II.
DE IVDICIBVS ECCLESIASTICIS.

I. 29. De officio et potestate iudicis delegati.
— 31. De officio iudicis ordinarii.
— 32. De officio iudicis.

§ 991. Iudex eccles. ordinarius, mandatarius, delegatus.

Iudex *ecclesiasticus* est is, qui iurisdictione ec-

clesiastica praeditus est, ab eaque vel *ordinarius* vel *mandatarius*, vel *delegatus*, quin et, si a delegato datus sit, *subdelegatus* appellatur. Is, cui non ipsa iurisdictio, sed certus tantum illius actus, veluti examen testium, mandatur, *cognitor*, seu *executor*, item *auditor*, et sensu quodam latiori *delegatus* (*a*), vulgo *commissarius* vocatur.

(*a*) Cap. 27. §. 2. *de off. iud. deleg.*

§. 992. Iudices ecclesiastici ordinarii.

Quodsi iudices ecclesiasticos singulatim respicimus, inter eos *ordinaria* et *propria* iurisdictione praediti sunt *summus pontifex* ratione iurium primatus naturalium (§. 85.), *archiepiscopi* et *episcopi* (§. 460.), dein alii *praelati* (§. 461.); iique praesertim, quibus *iurisdictio quasi episcopalis* obtigit (§. 462.), quibus *abbates* et *rectores regularium* (§. 444.) quodammodo annumerari possunt (*a*).

(*a*) Secundum ius commune huc quoque pertinent *legati*, seu *nuntii apostolici* cap. 2. *de offic. legat.* in VI. Sed hos, cum tanta potestate non amplius polleant (§. 481.), *delegatos ad vniuersitatem causarum* rectius appellaueris.

§. 993. Mandatarii.

Ius nostrum iurisdictionem mandandi facultatem episcopis permittit; capitulo autem cathedrali, vt eam mandet, praecipit. Hinc iudices *mandatarii*, et *quasi ordinarii* sunt *officiales*, seu *vicarii in spiritualibus generales* (§. 506.), hodie *consistoria* episcopalia (§. 511.) *vicarii* item, a capitulo, *sede vacante* constituendi (§. 529.).

Caeterum ea iurisdictionis mandatae est ratio, vt, qui eam suscepit, *commissarium* quidem constituere (*a*), ipsam vero iurisdictionem alteri mandare non possit (*b*).

(*a*) L. 12 *de offic. procons.* L. 12. §. 1. *de Iudic.* (*b*) L. 5. *de off. eius, cui mandat.*

§. 994. Delegati.

Iudices delegati vel *ab ipso iure*, vel *ab homine*, vt aiunt, constituuntur. *Prioris* generis semper sunt *delegati ad vniuersitatem causarum*, eoque pertinent *summus pontifex* ratione iurium aduentitiorum (§. 85.), et *episcopi* in causis, quae ipsis, *tanquam sedis apostolicae delegatis* (§. 218.), commissae sunt. Non autem *delegata*, sed *ordinaria* potestas est, quae sub clausula: *etiam tanquam sedis apostolicae delegatis* (*a*), vel *non obstantibus priuilegiis* (*b*). vel *simpliciter*, et sine clausula (c) episcopis tribuitur.

(*a*) Concil. Trid. VI. cap. 4. (*b*) Idem VII. cap. 5. 7. (*c*) Idem XXIV. cap. 6.

§. 995. Qui delegare possint.

Ius nostrum delegandi facultatem omnibus concedit, qui, vt episcopi, *ordinaria* et *propria* iurisdictione praediti sunt (*a*). Ipse delegatus *commissarium* quidem adhibere, non autem *subdelegare* potest, nisi vel ad vniuersitatem causarum, vel a summo pontifice delegatus sit (*b*), vel subdelegandi facultatem speciatim acceperit.

(*a*) L. 5. *de Iurisdict.* Cap. 2. *de offic. vicar* in VI. Cap. 7. *de offic. iud. ordin.* in VI. (*b*) L. 5. Cod. *de Iudic.* Cap. 3. 43. pr. *de off. iud. deleg.* Delegatus

iustam quidem subdelegandi causam habeat, oportet cap. 3. *cit.*; sed hanc subesse praesumitur. Cap. 28. pr. *eod.*

§. 996. Quinam delegari.

Delegari autem possunt omnes, qui iurisdictionis ecclesiasticae capaces sunt (§. 47.). Hinc non solum *clerici*, sed etiam *laici* (*a*), modo XX. annis maiores (*b*), nec publice excommunicati sint (*c*), immo etiam feminae (*d*). Sed summus pontifex causas, ad se delatas, non nisi dignitate aut personatu praeditis, aut canonicis cathedralibus delegare solet (*e*). Idoneos ad id munus eiusmodi viros vt summus pontifex deligere possit, quisque episcopus in sua dioecesi quatuor saltem designet, eosque summo pontifici renunciet (*f*).

(*a*) Cap. 9. *de arbitr.* Non obstat cap. 2. *de Iudic.*, quod eos laicos redarguit, qui iurisdictionem ecclesiasticam *temere* sibi tribuunt. (*b*) Maiores XVIII. annis ex partium consensu, iis minores a solo principe delegari possunt, Cap. 41. *de off. iud. deleg.* (*c*) Cap. 24. *de sentent. et re iud.* (*d*) Cap. 12. *de M. et O.* Non obstat can. 17. XXXIII. q. V.; *ordinario* scilicet iure feminae iurisdictionis expertes sunt. (*e*) Cap. 11. *de Rescript.* in VI. (*f*) Conc. Trid. XXV. Cap. 10. *de Reform.*

§. 997. Delegati plures,

Si eadem causa pluribus, et quidem *simpliciter* delegatur, ea non, nisi omnes concurrant, expediri potest (*a*); si vero cuique *in solidum*, refert, qua clausula delegans vsus sit, an alternatiua: *vt omnes, aut duo, aut vnus*, et tunc praeuentioni locus est (*b*); an conditionali: *si*

omnes nequiuerint, tunc vno alteroue vel impo-te, vel nolente, reliqui causam absoluent (*c*). Caeterum vbi duo delegati sunt, et diuersas sententias proferunt, vtriusque sententia ex arbitrio delegantis pendet (*d*).

(*a*) L. 37. *de Re iudic.* Cap. 16. *de off. iud. deleg.* Potest tamen alter alterum, vel tertium subdelegare, si quidem a summo pontifice delegati sunt. Cap. 6. *eod.* (*b*) Cap. 8. *eod.* in VI. (*c*) Cap. 21. §. 1. Cap. 34. *eod.* Cap. 13. *de Rescript.* (*d*) L. 28. *de Re iudic.* Cap. 26. *de sent. et re iud.*

§. 998. Iudicis delegati officium et potestas.

Iudex delegatus sicut iis, quorum interest, delegationem suam, exhibito delegantis rescripto, probare (*a*), eoque praefinitum agendi modum accurate obseruare (*b*), reliqua secundum iuris ordinem peragere debet (*c*); ita iurisdictionem suam aduersus omnes, qui eam impedirent, tueri (*d*), et de omnibus, quae ad causam plane expediendam pertinent, iudicare (*e*), immo et sententiam exequi potest (*f*). Et prouti delegatus vel totam causam, omnemque iurisdictionem, vel partem tantum subdelegauit, hoc est, vel delegatum sibi substituit, vel commissarium tantum dedit, ita a subdelegato vel ad primum delegantem, vel ad ipsum delegatum appellatio locum habet (*g*).

(*a*) L. 1. Cod. *de mandat. princip.* Cap. 24. *de Rescript.* Cap. 31. *de offic iud. deleg.* (*b*) Cap. 37. *eod* Cap. 22. *de Rescript.* (*c*) Cap. 13. *de offic. iud. deleg.* (*d*) Cap. 4. §. 1. Cap. 11. Cap. 28. pr. *eod.* (*e*) Cap. 5. 21. §. 2. *eod.* (*f*) Cap. 9. 26. *eod.* Non obstat L. 15. pr. *de re iudic.*, nec cap. 4. *de for. com-*

pet. (*g*) Cap. 18. 27. §. 2. *de offic. iud. deleg.* Cap. 7. 10. *eod.* in VI.

§. 999. Quomodo finiatur.

Potestas et officium delegati finitur 1. reuocatione delegantis quandocunque (*a*), subdelegantis re adhuc integra, hoc est, antequam subdelegatus citationem decreuit, facta (*b*); 2. morte delegantis, si is re adhuc integra decessit (*c*); 3. morte delegati, nisi vel officio, vel pluribus in solidum facta sit delegatio (*d*); 4. lata, et per executionem consummata sententia (*e*).

(*a*) L. 58. *de Iudic.* Cum delegans alium delegatum mittit, priorem delegationem tacite reuocasse censetur. Cap. 28. §. 2. *de off. et potest iud. deleg.* (*b*) Cap. 37. *eod.* Cap. 6. 7. *eod.* in VI. (*c*) L. 6. *de Iurisdict.* Cap. 19. 20. 30. *de off. et potest. deleg.* (*d*) Cap. 14. 42. *eod* (*e*) Cap. 9. *eod.*

CAPVT III.

DE IVDICE ET FORO ECCLESIASTICO COMPETENTE.

II. 2. De Foro competenti.
— 28. De Appellationibus, Recusationibus et Relationibus.

§. 1000. Forum competens et incompetens.

Locus, vbi iudex, sella posita, iurisdictionem exercet, *forum*, idque pro ratione iurisdictionis *ecclesiasticum* vel *seculare* dicitur (*a*). *Forum competens* est, in quo sedet *iudex competens*, ille nimirum, cuius iurisdictioni et *causa*, de

qua agitur, et *persona*, in quam agitur, subiecta est; *incompetens* igitur erit, qui vel in causam, vel in personam iurisdictionem non habet.

(*a*) Cap. 10. *de V. S.*

§. 1001. Vtrumque ratione fori eccles.

Itaque *forum ecclesiasticum* I. *competens* est 1. ratione *causarum*, in omnibus causis ad iurisdictionem ecclesiasticam, siue *propriam*, siue *alienam* pertinentibus, contra quoscunque, siue clericos, siue laicos eae agantur (*a*); 2. ratione *personarum ex priuilegio fori*, quatenus alicubi adhuc viget (§. 421.), in omnibus causis, ad forum seculare alioqui pertinentibus, si in clericos aut regulares intenduntur; II. *incompetens* autem semper videbatur in omnibus aliis causis, iisque speciatim, quae *peccati* (*b*), vel *iurisiurandi* (c), vel *personarum miserabilium* (*d*), vel *protractae* aut *denegatae* in foro seculari *iustitiae* (*e*) obtentu ad forum ecclesiasticum quondam pertrahebantur.

(*a*) Cap. 8. *de Arbitr.* Cap. 2. 3. *de Iudic.* Cap. 7. *Qui fil. sint legit.* (*b*) Cap. 23. *de Iudic.* (*c*) Cap. 3. *de For. comp.* in VI. (*d*) Cap. 15. *eod.* Cap 16. *de V. S.* (*e*) Cap. 6. 10. 11. *de for. compet.*

§. 1002. Forum competens speciale.

Est autem *forum ecclesiasticum competens* vel *generale*, ad omnes perinde causas pertinens, vel *speciale*, certis causis, ratione scilicet *contractus*, *delicti*, aut *rei sitae* proprium (*a*). Et 1. *forum contractus* ibi quisque sortitur, vbi daturum facturumue se promisit, vel, si id non

expressum, vbi contractum perfecit, modo ibidem citatio eum, non quidem nude transeuntem, sed negotii causa commorantem deprehendat (*b*). 2. *Forum delicti* eo loco est, vbi quis delictum vel inchoauit, vel perfecit, vel, eo perpetrato, deprehenditur (*c*). 3. *Forum rei sitae*, vbi nempe res controuersa, mobilis vel immobilis, corporalis vel incorporalis sita est, ibi actione reali, aut in rem scripta contra eius rei possessorem, etiam absentem agi potest (*d*).

(*a*) Cap. 20. *de For. comp.* Cap 1. pr. *de priuileg.* in VI. (*b*) L. 19. §. 2. L. 45. *de Iudic.* Cap. 1. §. 3. *de For. comp.* in VI. (*c*) L. 1. Cod. *vbi de crim.* Cap. 14. *de For. comp.* Cap. 1. *de Raptor.* (*d*) L. 1. 3. Cod. *vbi in rem act.* Cap. 5. §. 7. *Vt lit. non contest.*

§. 1003. Fori generalis ratio.

Forum generale est forum *veri* vel *quasi domicilii*, eius nempe loci, in quo quis habitat animo vel semper, si nihil auocet, vel longiori saltem tempore ibi commorandi (*a*). Hic enim contra incolam institui possunt cuiuscunque generis actiones, etiam de cotractu alibi inito, de delicto alibi patrato, immo et de re, alibi sita (*b*), nisi fors lex peculiaris (*c*), aut *praeuentio* intercedat.

(*a*) L. 7. Cod. *de Incol.* L. 203. *de V. S.* (*b*) L. 19. §. 4. *de Iudic.* L. 2. Cod. *de Iurisdict.* Cap. 17. *de For. comp.* (*c*) Ita qui negotia aliena gessit, de iis, et rationibus reddendis apud iudicem loci, vbi illa gessit, respondere debet, nec alibi inuitus conueniri potest, idque *forum gestae administrationis* dicitur. L. 36. §. 1. *de Iurisdict.* L. 1. Cod. *vbi de ratiocin.*

§. 1004. Forum praeuentionis.

Vbi nempe plura fora aeque competentia concurrunt, illud valet, cuius iudex alterum praeuenit; is vero praeuenisse censetur, cuius citatio ad reum prius peruenit (*a*). Quo facto iudex praeuentus non solum causae tractationem praeuenienti relinquere (*b*), sed et rei, per eundem iudicatae exceptionem admittere tenetur (*c*). Atque forum hac ratione constitutum *forum praeuentionis* appellatur.

(*a*) L. 7. *de Iudic.* Cap. 19. *de For. compet.* (*b*) L. 30. *de Iudic.* (*c*) Cap. 2. *de Except.* in VI.

§. 1005. Fori competentis ad incompetens ratio.

Iudex ratione certae causae, vel personae *incompetens* in hanc illamue nullam iurisdictionem habet (*a*). Hinc 1. qui iurisdictionis *contentiosae* aut *voluntariae mixtae* (§. 987.) causam cum aliquo acturus est, *competentem* illius iudicem adeat, oportet (*b*). 2. Iudex *extra territorium*, sibi assignatum, ne in suos quidem subditos iurisdictionem exercere potest, nisi et hi, et iudex extraneus consentiant (*c*). 3. Irrita plane sunt, quae per iudicem ratione *causae* incompetentem acta sunt, etsi partes forte in eum consenserint (*d*). 4. Acta coram iudice, ratione *personae* tantum incompetente, in foro *seculari* valent, si partes sciunt, se non esse subiectas iurisdictioni eius, et in eum consentiunt, eiusque adeo iurisdictionem in se *prorogarunt* (*e*). 5. In foro *ecclesiastico* iurisdictionem alieni iudicis, quamuis ecclesiastici, in se prorogare nec

clerici (*f*), nec laici (*g*) possunt sine consensu illius iudicis, cui *immediate* subiecti sunt.

(*a*) L. 81. *de Iudic.* (*b*) *Actor rei forum sequatur.* L. 2. Cod. *de Iurisdict.* L. 3. Cod. *vbi in rem act.* Cap. 5. 8. *de For. comp.* (*c*) L. 3 *de Off. praesid.* L. 20. *de iurisdict.* Cap. 2. *de Constitut.* in VI. Can. 3. 7. IX. q. II. Excipe episcopum per vim iniustam de dioecesi sua depulsum. Cap. VII. *de For. comp.* in Clem. (*d*) L. 61. §. 1. *de Iudic.* L. 1. 4. Cod. *si a non compet.* Cap. 4. *de Iudic.* (*e*) L. 1. 2. pr. *de Iudic.* L. 1. Cod. *de Iurisdict.* (*f*) Cap. 18. *de For. comp.* Cap. 1. pr. *eod.* in VI. (*g*) Can. 1. IX. q. II. Cap. 3. *de Paroch.*

§. 1006. Iudex eccles. competens in prima instantia.

Iudex autem ecclesiasticus, cui clerici et laici in quauis diœcesi *immediate* subiecti sunt, plerumque est episcopus diœcesanus, eiusue vicarius generalis (*a*), ex iure singulari, et praeter ordinem alius quandoque praelatus (§. 462.). Quapropter speciatim cautum est, vt omnes causae, ad forum ecclesiasticum pertinentes, iis tantum exceptis, quae sedi apostolicae reseruatae sunt, in prima instantia coram ordinariis locorum duntaxat pertractentur, eorumque iurisdictio nulla ratione impediatur (*b*). Quare iudex ecclesiasticus superior, veluti archiepiscopus, praeterito consistorio episcopali, incompetens est, neque ex partium in eum consensu competens redditur, nisi ipsius dioecesani consensus accesserit (*c*).

(*a*) Cap. 1. 2. 4. *de For. comp.* Cap. 7. *de Off. ordin.* in VI. (*b*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 20. (*c*) Can. 39. XI. q. I. Cap. 1. *de For. compet.* in VI.

§. 1007. Iudex competens suspectus.

Iudex porro non solum competens, sed etiam aequus, alienusque a partium studio sit, oportet. Talis autem esse non videtur *iudex in propria causa* (*a*), a cuius scilicet decisione ipsius suorumue (*b*) emolumentum vel damnum pendet (*c*). Talis igitur merito *suspectus* audit, ideoque, siue ordinarius, siue delegatus sit, ab alterutra parte recusari potest (*d*).

(*a*) L. vn. Cod. *Ne quis in sua caus.* (*b*) L. 10. *de Iurisd.* Cap. 36. *de Appellat.* Cap. 17. *de Off. iud. deleg.* (*c*) L. 1. §. 11. *Quand. appell.* L. 17. *de Iudic.* (*d*). L. 16. 18. Cod. *eod.* can. 15. III. q. V. Cap. 5. *de Except.*

§. 1008. Ius eum recusandi.

Qua de re annotamus: 1. Recusans iustam suspicionis causam ipsi iudici recusando proponere, eamque deinceps probare debet (*a*). 2. Si delegatus episcopi, eiusue vicarius generalis recusatur, episcopus causam suspicionis cognoscit, et, si vnus ex duobus cum clausula *conditionali* delegatis recusatur, alter non recusatus ea de re iudicat (*b*). 3. Si quicunque alius iudex recusatur, recusans cum aduersario, vel, si aduersarium non habet, cum iudice recusato arbitros ad cognoscendam suspicionis causam eligere tenetur (*c*). 4. Irritum est, quidquid, pendente recusationis causa, a iudice recusato in causa principali gestum est (*d*).

(*a*) L. 16. Cod. *de Iudic.* Cap. 20. *de Sent. et re iud.* Cap. 39. *de Off. iud. deleg.* Solum ergo iusiurandum, quod *perhorrescentiae* vocant, a recusante

probationis loco oblatum, non sufficit. Nec obstat Cap. 11. §. 1. *de Rescript.* in VI., ex quo alii contrarium colligunt. Lex *Badens.*, de iureiurando edita, §. 14. *iuramentum perhorrescentiae* plane reprobat. (*b*) Cap. 4. *de Off. iud. deleg.* in VI. Si episcopus ex causa aperte iusta recusatur, delegatum partibus non suspectum dare, easue, vt iudicem sibi eligant, adigere potest. Cap. 4. *de For. compet.* (*c*) Cap. 41. §. 1. Cap. 61. *de Appellat.* Cap. 2. *eod.* in VI. Sed hodie causa recusationis semper ad iudicem immediate superiorem deuoluitur, eaque probata, iudex delegatus ab illo constituitur. Arg. Cap. 4. *de Off. iud. deleg.* in VI. (*d*) Cap. 41. 61. *cit.* Cap. 27. §. 5. *de Off. iud. deleg.*

§. 1009. Iusti iudicis officium.

Vt vero competens et non suspectus iudex rectum iustumque iudicium faciat, hasce praecipue leges constanter seruet, necesse est: 1. Causam propositam accurate cognoscat, partesque idcirco benigne ac patienter audiat, quin et ipse ex iis de illa sciscitetur (*a*). 2. Ea, quae *iuris* sunt, etsi partes facere, vel proferre omiserint, ipse quoque suppleat (*b*). 3. Seposito omni affectu, et sine respectu hominum secundum conscientiam et iustitiam agat, atque decernat (*c*). 4. Ab acceptione munerum quam maxime caueat (*d*). 5. Ad fidem faciendam vel personam publicam (*actuarium*), vel duos viros idoneos (*assessores*) adhibeat, curetque, vt tempora, loca personae, et vniuersa acta fideliter praescribantur (*e*).

(*a*) *Iudices oportet imprimis rei qualitatem plena inquisitione discutere, et tunc vtramque partem saepius interrogare, num quid noui addere deside-*

ret. Frequenter interrogare oportet, ne aliud praetermissum forte remaneat, quod annecti conueniat. L. 9 Cod. *de Iudic.* Can. 11. XXX. q. V. (*b*) L. vn. Cod. *Vt quae desunt aduoc.* (c) Cap. 1. *de Sent. excom.* in VI. *In iudiciis non est acceptio personarum habenda.* Cap. 12. *de R. I.* in VI. (*d*) Can. 66. XI q. III. Cap. 10. *de vit. et honest. cler.* Scilicet *vt gratis et cum omni puritate iudicium coram ipso procedat, nullum munus, vel quidquam aliud* (nisi forsan esculentum et poculentum, quod paucis consummi possit diebus) *recipere a partibus qualitercunque praesumat.* Cap. 11. §. 4. *de Rescript.* in VI. Quod pontifex de *esculento*, et *poculento* hic ait, ex L. 18. *de off. praesid.* et L. 6. §. 3. *de off. procons.* desumpsit. Recte autem monent interpretes, ab eiusmodi quoque xeniis abstinendum esse, vti Nouell. VIII. cap. 7. cautum est. (*e*) *Vt, si super processu iudicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari; — — nec pro ipsius praesumatur processu, nisi quatenus in causa legitimis constiterit documentis.* Cap. 11. *de Probat.*

CAPVT IV.

DE MATERIA ET FORMA IVDIC. ECCLES.

II. 1. De Iudiciis.

§. 1010. Iudicium eccles., Processus, Instantia.

Quamquam cuiusuis causae, ad *voluntariam* licet iurisdictionem (§. 987.) spectantis, compositio, auctoritate iudicis ecclesiastici effecta, *iudicium ecclesiasticum* dici possit; eo tamen nomine speciatim hic venit causae *controuersae* per

iudicem ecclesiasticum facta cognitio, decisio, et, vbi opus est, executio. *Materia* iudicii est ipsa causa, in illud deducta, de cuius nempe ratione ad leges quaeritur; *forma* in ordine modoque actus iudiciales obeundi consistit, et hic ordo agendorum in iudicio *processus* vocatur. Certae porro causae coram certo iudice agitatio ab instanti partium petitione *instantia* (*a*), eaque *prima* audit, quae coram iudice fit, cuius iurisdictioni causa immediate subiecta est. Noua eiusdem causae pertractatio coram alio iudice facta, *secundam*, bis repetita *tertiam*, et sic porro *instantiam* constituit (*b*).

(*a*) Ita *ab instantia absolui* reus dicitur, cum iudex pronuntiat, eum non teneri tale iudicium inire aut prosequi, quale actor minus recte intendit, saluo interim huius iure rectius instituendi, si quidem expensas reo restituerit. Cap. 15. *h. t.* (*b*) Alioqui *instantia* tempus denotat, intra quod iudicium finiendum sit. Pro causis criminalibus biennium, pro ciuilibus triennium praescriptum erat L. 13. pr. §. 1. Cod. *de Iudic.* Eo respectu in cap. 2 *h t.* dicitur, instantiam per decursum triennii non periisse; inde colligunt, instantiam lapsu certi temporis non amplius perire, sed perpetuam esse, etiamsi Conc. Trid. XXIV. cap. 20. statuerit, primam instantiam decursu biennii finitam esse.

§. 1011. Iudicium eccles. criminale vel ciuile, idque possessorium, vel petitorium.

Iudicium, quod aduersus criminis reum poenae sumendae causa instituitur, *criminale*, quod de cuiusque in alterum iure habetur, *ciuile*, idque, si de possessione rei tantum quae-

stio est, *possessorium*, si ex iure siue in re, siue ad rem (§. 852.) ipsa rei proprietas petitur, *petitorium* appellatur. Qui iudicium criminale in aliquem intendit, *accusator*, qui ciuile contra quempiam mouet, *actor*, et, qui in alterutrum arcessitur, *reus* vocatur.

§. 1012. Partes processus essentiales et accidentales.

Pro diuersa ratione iudicii criminalis et ciuilis *processus* quoque vel *criminalis*, vel *ciuilis* appellatur. Actus, ex quibus, tanquam partibus, vterque processus constat, *essentiales* seu *substantiales* dicuntur illi, sine quibus rectum iustumque iudicium haberi plane non potest. Eius autem generis in *processu ciuili* sunt 1. *actio*, seu imploratio aut prouocatio officii iudicis, 2. *citatio* partium ad causam ab ipsis agendam, a iudice cognoscendam, 3. *mutua* inter partes *disceptatio*, eorumque, quae ad causam pertinent, commemoratio, 4. *probatio* assertionum, quae praeter ius vtrinque proferuntur, 5. *sententia* iudicis de causae cognitae iustitia, 6. rei iudicatae *executio*. Reliqui actus, qui non ita necessarii, essentialium tamen curatius seruandorum causa generaliter praescripti sunt, *accidentales*, vulgo *solennia* iudicii, vocantur.

§. 1013. Iudicium ordinarium, vel summarium.

Inde iudicium, in quo essentialia, et solennia accurate seruanda sunt, *ordinarium*; in quo, seruatis essentialibus, eiusmodi solennia praeteriri possunt, quorum praeteritio nec plenam causae cognitionem, nec defensionem vt-

rique parti debitam impedit, *extraordinarium*, seu *summarium* appellatur. *Illud* ex regula faciendum est (*a*), *hoc* ex conuentione partium in quibusuis causis locum habere potest (*b*), in aliis ex iudicis superioris praescriptio (c), plerumque vero ex legis dispositione ineundum est.

(*a*) L. 4. Cod. *de Sentent. interloc.* Cap. 22. *de Accusat.* (*b*) Cap. 61. *de R. I.* in VI. (*c*) Veluti *si simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii procedi mandatur.* Cap. 2. *de V. S.* in clem.

§. 1014. Ratio processus summarii, et quae causae summarie sint tractandae.

Leges autem iudicium *summarium* ideo probant, iudicemque, illud faciat, iubent, quia persaepe ea est causae vel personarum conditio, quae celeriorem tractationem omnino requirit. Huius generis sunt omnes causae *leuiores*, tum *criminales*, tum *ciuiles* (*a*), speciatim vero 1. causae *electionum*, *postulationum*, et *prouisionum* ad quaecunque beneficia ecclesiastica (*b*), 2. causae *decimarum*, et *matrimoniales* et *vsurariae* (c), 3. causa *haeresis* (*d*), 4. *lites* et querelae *inter regulares* et praelatos (*e*). Vnde colligimus, plerasque causas, ad iurisdictionem ecclesiasticam spectantes, summarie pertractandas esse.

(*a*) L. 6. *de Accusat.* Auth. ad L. 3. Cod. *de Sentent. ex peric.* (*b*) Cap. 2. *de Iudic.* in Clem. (*c*) Cap. 2. *cit.* (*d*) Cap. 20. *de Haeret.* in VI. (*e*) Cap. vn. *de Iudic.* Extrau. com.

SECTIO II.

DE IVDICIO ECCLESIASTICO CIVILI GENERATIM.

CAPVT I.

DE MODIS EXTRA IVDICIVM LITES FINIENDI.

T. 34. De Treuga et pace.
— 35. De Pactis.
— 36. De Transactionibus.
— 37. De Arbitris.

§. 1015. Transactio, et amicabilis compositio.

Omnes fere quaestiones et causae ciuiles controuersae extra iudicium *per conuentionem partium* componi possunt. Eiusmodi conuentione causa vel *directe* deciditur, vel *arbitris* decidenda committitur. Conuentio, ipsam decisionem continens vel *onerosa* est, quae dato aliquo, vel retento, vel promisso, vel *gratuita*, quae sine vlla compensatione gratis initur. Illa *transactio*, haec *amicabilis compositio* speciatim vocatur (*a*).

(*a*) L. 38. Cod. *de Transact.* Cap. 7. *eod* — Conuentio belligerantium, qua lis, ob quam bellatum est, dirimitur, *pax*, qua bellum ad certum tempus suspenditur, *armistitium, induciae*, in iure nostro *treuga* appellatur. Principum est inducias facere, et bellum pace componere. *Diffidationes* autem, et bella priuata, quibus populi ex iure illo *manuario* olim vexabantur, pontificibus ansam dederunt, communi tunc

malo, quod comprimere non poterant, aliquam saltem medelam per id faciendi, quod *treugas*, certis diebus, et sacris praesertim temporibus seruandas, constituerint, praeceperintque, vt ne belli quidem tempore certis personis, veluti presbyteris, peregrinis, agricultoribus, vis inferretur. Can. 35. XXIV. q. III. Cap. 1. 2. *de Treug.* Cap. 11. *de Iudae.*

§. 1016. Qui et in quibus causis eam facere possint.

Vtraque conuentio rem dubiam, aut controuersam ponit, liberae partium dispositioni obnoxiam, et, quod ad transactionem attinet, pretio aestimabilem. Hinc 1. praelati et administratores eatenus tantum de rebus ecclesiasticis transigere, aut compositionem facere possunt, quatenus ea alienandi ius et potestatem habent (*a*). 2. Nec transactio, nec amicabilis compositio fieri potest de matrimonio iusto dissoluendo, aut de eo, quod ob impedimentum publicum irritum est, conseruando (*b*). 3. Lis de beneficio eccles., de patronatus, alioue eius generis iure amicabilem quidem compositionem, non autem transactionem admittit (*c*). 4. Iudicis est, compositionem et pacem partibus suadere; eam vero imperare ab illius officio plane alienum est (*d*).

(*a*) Cap. 2. 3. 8. *de Transact.* (*b*) Cap. 11. *eod.* (*c*) Cap. 4. 7. 9. *eod.* Cap. 9. *de rer. permut.* (*d*) Can. 7. Dist. XC. Cap. 11. *h. t.* Non obstat. Can. 1. Can. 9. Dist. *cit.*

§. 1017. Vtriusque vis et efficacitas.

Transactio et amicabilis compositio 1. legitime inita, nec per rescriptum principis tolli (*a*), nec propter instrumenta postea reperta

impugnari (*b*), 2. dolo contra elicita (*c*), vel metu extorta (*d*), vel ex falsis instrumentis nata (*e*) omnino rescindi potest. 3. Sicut autem minoribus, ita et ecclesiis domibusque religiosis, notabiliter per eam laesis, restitutio in integrum datur (*f*).

(*a*) L. 16. Cod. *de Transact.* (*b*) L. 19. Cod. *eod.* Cap 1. *eod.* (*c*) L. 5. Cod. *de dol. mal.* (*d*) L. 12. Cod *de his quae vi met.* (*e*) L. 42. Cod. *de Transact.* (*f*) L. 1. 2. Cod. *Si aduers. transact.*

§. 1018. Arbiter, Compromissum, Laudum.

Arbiter est persona, vice iudicis constituta, vt, seruato iuris ordine, litem dirimat. Qui ex praescripto legis a iudice constituitur, *arbiter iuris*, seu *necessarius*, qui conuentione litigantium electus est, *voluntarius* vocatur. Qui in quouis negotio, in quo partes dissentiunt, ab iis rogatus est, vt absque forma iudicii, quid aequum et bonum sibi videatur, simpliciter pronuntiet, *arbitrator* dicitur. Conuentio discordantium, de causa iudicio arbitri, vel arbitratoris committenda, *compromissum*, et arbitri vel arbitratoris consensus in illud, *receptum* audit. Sententia, ab arbitro dicta, *arbitrium*, seu *laudum*, pronunciatum arbitratoris *arbitramentum* appellatur.

§. 1019. Arbitri iuris seu necessarii.

Arbitri iuris, seu *necessarii* a compromissariis plane differunt. Nam et ad munus hoc suscipiendum cogi possunt, et, quod veluti *iudices delegati* sint, ab eorum sententiis appella-

tio datur (*a*). Tales autem sunt 1. qui in causa suspicionis, iudici obiectae (§. 1008.), dein 2. qui, vbi diuersi iudices super reuocatione litterarum apostolicarum discordant (*b*), denique 3. qui, si episcopus cum clerico, sibi subiecto, litem habet (*c*) constituuntur.

(*a*) Cap. 39. *de Off. iud. deleg.* (*b*) Cap. 14. *de Rescript.* (*c*) Can. 46. XI. q. I.

§. 1020. Qui et in quibus causis compromissum facere possint.

Sicut transactio, ita et compromissum in arbitros de iis tantum rebus fieri potest, de quibus compromittentes suo iudicio disponere possunt. Vnde arbitris committi non possunt 1. causae alienationis rerum eccles. prohibitae, causae matrimoniales et beneficiales (§. 1016.). Idem dicendum est, 1. de causis criminalibus (*a*), et de restitutione in integrum, nisi ea *incidenter* tantum coram arbitris mota fuerit (*b*); nec non de causa per sententiam, rei iudicatae vim habentem, iam decisa (*c*).

(*a*) L. 32. §. 6. 7. *de recept qui arbitr.* (*b*) L. 3. Cod. *Vbi et ap. quem in integ. restit.* Cap. 9. *de in integ. restit.* (*c*) Cap. 11. *h. t.*

§. 1021. Quinam arbitri eligi possint.

Arbitri esse, et eligi possunt 1. vnus, vel plures, pari vel impari numero (*a*); 2. eligi potest ipse iudex alioqui competens, siue ordinarius, siue ad eandem causam delegatus sit (*b*). 3. Arbitrium vero suscipere non possunt, qui iudices esse nequeunt (*c*); hinc nec feminae, nisi in dignitate constitutae sint (*d*).

nec laici in causa mere ecclesiastica, nisi simul in clericum cum consensu episcopi compromissum fuerit (*e*).

(*a*) Cap. 1. 3. 12. *h. t.* (*b*) Cap. 5. 7. 10. 13. *h. t.* Cap. 21 *de Praebend.* Contrarium iure Romano constitutum erat. L. 9. §. 2. *de Recept. qui arbitr.* (*c*) L. 1. *eod.*, Minor XX. annis arbiter esse non potest. L. 41. *de Recept. qui arbit.* (*d*) L. 6. Cod. *de arbit. recept.* Cap. 4. *h. t.* (*e*) Cap. 8. 9. *h. t.*

§. 1022 Quomodo compromissum fieri possit.

Vt vero arbiter constituatur, ex parte litigantium *compromissum* (*a*), ex parte arbitri electi *receptio* requiritur (*b*). Compromisso addi potest poena, ab eo soluenda, qui arbitrio non steterit (*c*); potest quoque iureiurando illud firmari (*d*). Receptio quidem plane libera est, et coactus expers; qui autem arbitrium semel recepit, ad illud plane expediendum cogi potest (*e*), nisi iustam excusandi causam habeat.

(*a*) L. 11. §. 1. *de Recept.* (*b*) L. 13. §. 2. *eod.* (*c*) Cap. 9. 13. *h. t.* (*d*) Cap. 2. *eod.*, idque contra sanctionem Nouell. LXXXII. Cap. 11. et Auth. ad L. 4. Cod. *de recept. arbit.* receptum est. (*e*) L. 3. §. 1. L. 32. §. 12. *de recept. qui arbitr.*

§. 1023. Officium arbitri.

Ex recepto igitur arbiter 1. causam, sibi commissam, cognoscere, et decidere debet, idque, seruato iudiciorum ordine, nisi in alium partes compromiserint (*a*); 2. in aliam quidem causam, veluti in reconuentionem, se immittere non potest (*b*); de omnibus tamen, quae ad causam, de qua compromissum est, plene

decidendam pertinent, veluti de fructibus, expensis, aliisque rebus incidentibus sententiam ferre (*c*), eamque debito loco (*d*), ac tempore (*e*) partibus aperire tenetur. 3. Quo facto functus est suo officio, et ideo sententiam nec mutare (*f*), nec exequi potest, sed iudici ordinario exequendam relinquere debet (*g*).

(*a*) Cap 7 *de Confirm. vtil.* (*b*) Cap. 6. *h. t.* (*c*) Cap. 9. *de in integr. restit* (*d*) L. 21. §. 10, 11. *de recept. qui arbitr.* (*e*) L. 13. §. 3. 4. L. 14. *eod.* (*f*) L. 19. §. 2. L. 20. 21. pr. *eod.* Cap. 11. *h. t.* (*g*) L. 5. pr. Cod. *de recept. arbitr.*

§ 1024. Quid, si plures arbitri sunt?

De pluribus arbitris sic in iure cautum est: 1. si *indefinite* constituti sunt, alter sine altero nihil agere potest (*a*); quodsi tamen vnus ex tribus malitiose absens est, duo praesentes rem conficiunt (*b*). 2. Si in ferendo arbitrio in *quantitate* omnes dissentiunt, eius valet sententia, qui de summa minori edixit (*c*); si in *re ipsa*, id valet, quod maior pars omnium iudicauit (*d*). 3. Vbi paria in vtramque partem sunt suffragia, nihil actum (*e*), adeoque tertio, seu *superarbitro*, opus est, quem, si partes in hunc euentum ante non designarunt (*f*), vel ipsae nunc eligere, vel, vt arbitri eum eligere cogantur, a iudice petere possunt (*g*).

(*a*) L. 17. §. 2. 7. L. 18. L. 32. §. 13. *de recept. qui arbitr.* Cap. 16. 22. *de offic. iud. deleg.* (*b*) Cap. 2. *h. t.* in VI. (*c*) L. 27. §. 3. *de recept. qui arbitr.* Cap. 1. *h. t.* in VI. (*d*) L. 18. L. 27. §. 3 *cit.* (*e*) Cap. 26. *de Sent. et re iud.* (*f*) Compromissum in duos arbitros de persona incerta, si dissentirent, ab iis as-

sumenda, non valere dicitur, eoquod praeuidendum sit, eos in assumendo tertio pariter dissensuros esse. L. 17. §. 5. *de recept. qui arbitr.* Cap. 12. *h. t.*

(*g*) L. 17. §. 6. *cit.* Cap. 39. *de off. iud. deleg.*

§. 1025. Conditio sententiae, ab arbitro dictae.

Cum arbiter nec iudex sit, nec, quod coram eo actum est, iudicium proprie dici possit; consequens est, contra sententiam, ab arbitro prolatam, non dari appellationem, nec actionem, nec exceptionem rei iudicatae ex ea nasci (*a*); alias igitur hic vias eandem vel impugnandi, vel sustentandi ineundas esse.

(*a*) L. 1. Cod. *de recept. arbitr.* Can. 33. 34. II. q. VI.

§. 1026. Quando impugnari possit, vel non.

Scilicet 1. si arbiter contra formam compromissi (*a*), vel contra leges aut rem iudicatam (*b*), vel ex gratia aut odio (*c*) male iudicauit, eius laudo exceptio vel actio doli recte opponitur (*d*). 2. Si laudum *homologatum*, id est, a partibus vel subscriptum, vel decendii silentio comprobatum fuit, is, qui eo stare non vult, actione in factum, vt eidem pareat, cogi potest (*e*). 3. Si laudum *homologatum* non est, nulla ad illud praecise adimplendum actio prodita est. Is enim, cui illud displicet, modo alteri vel poenam conuentionalem (*f*); vel id, quod interest (*g*), soluat, causam *ad arbitrium boni viri*, id est, iudicis, alioquin competentis, *reducere* potest, vt is cognoscat, an bene vel male arbiter iudicauerit (*h*).

(*a*) Cap. 7. *de Confirm. vtil.* (*b*) Cap. 1. *de Sent. et re iud.* Cap. 11. *h. t.* (*c*) L. 3. Cod. *de re-*

cept. arbitr. Cap. 2. *h. t.* (*d*) L 31. L. 32. §. 14. *de recept. qui arbitr.* (*e*) L. 5. Cod. *tit. cit.* Cap. 9. *h. t.* Eandem vim habet laudum ex compromisso, per iusiurandum firmato. Cap. 2. *h. t.* Cap. 28. *de Iureiur.* Cap. 2. *de Pact.* in VI. (*f*) L. 2. L. 21. §. 4. *de recept. qui arbitr.* L. 1. Cod. *de recept. arbitr.* (*g*) L. 27. §. 7. *de recept. qui arbitr.* Nomine *eius*, *quod interest* expensas in arbitrium factas, et deinceps faciendas venire, interpretes monent. (*h*) Cap. 9. *h. t.* *Arbitramentum* minus aequum reductioni ad arbitrium boni viri semper obnoxium esse, interpretes ex L. 76. *Pro Soc.* colligunt.

§. 1027. Compromissi dissolutio.

Officium arbitri, antequam sententiam dixerit, finitur, totumque compromissum soluitur 1. mutuo compromittentium consensu, vt si nouum arbitrum eligere (*a*), vel iudicem ordinarium adire malint, id quod alter, altero etiam inuito, facere potest (*b*); 2. lapsu temporis, in quod compromissum est, nisi potestas diem proferendi arbitro facta sit (*c*), 3. morte alterutrius compromittentis, nisi et heredum nomine compromissum sit (*d*); 4. morte arbitri etiam vnius ex pluribus (*e*), nisi sub clausula, vt alterutrius sententia valeat, constituti sint (*f*).

(*a*) L. 9. §. 5. L. 10. 11. pr. *de recept. qui arbitr.* (*b*) L. 30. *eod.* (*c*) L. 32. §. 11. 21. *eod.* L. 1. Cod. *eod.* (*d*) L. 32. §. 19. L. 49. §. 2. *eod.* Cap. 14. *h. t.* (*e*) Cap. 42. *de Off. iud. deleg.* Cap. 50. *de Testib.* (*f*) L. 8. L. 32. §. 13. *de recept. qui arbitr.*

CAPVT II.
DE PERSONIS, IN QVAS IVDICIVM EXERCETVR.

I. 37. De Postulando.
— 38. De Procuratoribus.
— 39. De Syndico.

§. 1028. Personae principales Actor, Reus, interueniens.

Personae, in quas iudicium exercetur, illae vtique sunt, quae *suo* vel *alieno* nomine scilicet *pro se*, vel *pro aliis* in iudicio disceptant, hoc est, *postulant* (*a*). Personae, suo nomine, ac pro se postulantes, seu *principales* sunt *actor*, qui aliquid ab altero petit, et *reus*, a quo petitur, et quandoque tertius, *interueniens* dictus, qui liti, inter alios motae, suo iure se immiscet, vel quod sua, non litigantium, res sit, de qua agitur (*b*), vel quod sua intersit, vt alteruter, actor vel reus, causam obtineat (*c*).

(*a*) L. 1. §. 2. *de Postul.* (*b*) L. 31. §. 1. *Depos.* L. 2. §. 1. L. 34. *Solut. matrim.* (*c*) L. 8. 9 Cod. *de Euict.* Nouell. CXII. Cap. 1. Cap. 38. *de Testib.*

§. 1029. Quae tales esse possint, vel non.

Pro se postulare, ideoque tum *actoris*, tum *rei* partes agere possunt omnes, qui nec natura, nec lege impediuntur. Ex iure nostro 1. *excommunicati*, nisi in ipsa excommunicationis causa (*a*), *actores* esse nequeunt, et *non tolerati* quidem a iudice ex officio repellendi sunt,

tolerati per exceptionem repelli possunt (*b*); acta tamen, iis forte admissis, valent (*c*); *rei* vero ita peragi semper possunt, vt per procuratorem respondere teneantur (*d*). 2. *Regulares* in causis iuris priuati sine consensu superioris nec agere, nec conueniri possunt (*e*), nisi extra conuentum procurationem habeant (*f*). 3. *Praelati* et *abbates* de rebus, ad ecclesias et domus suas pertinentibus, sine consensu capituli recte et agunt, et rei aguntur (*g*). 4. *Feminae* actrices, et reae esse possunt, vt autem ipsae in iudicio compareant, cogi non possunt; *moniales* ne volentes quidem admittuntur (*h*). 5. In causis beneficialibus aliisque spiritualibus *puberes* sine curatorum, et *filiifamilias* sine patrum consensu agere, et se defendere possunt (*i*).

(*a*) Cap. 5. *de Except.* Cap. 1. *de Rescript.* in VI. (*b*) Cap. 2. 12. *de Except.* (*c*) Cap. 1. *eod.* in VI. (*d*) Cap. 7 *de Iudic.* (*e*) Cap. 5. *de Sepult.* in VI. (*f*) Cap. 16. *de Iudic.* (*g*) Can. 9. XVIII. q. II. Cap. 21. *de Rescript.* Cap. 5. *de Procurat.* in VI. (*h*) Cap. 2. *de Iudic.* in VI. (*i*) Cap. 3. *eod.* in VI.

§. 1030. Personae accessoriae aduocati et procuratores.

Personae, *alieno nomine* et *pro aliis* postulantes, seu *minus principales* et *accessoriae* sunt *aduocati* et *procuratores*, quorum ministerio vti cuiuis licet, nisi eiusmodi actus iudicialis sit, qui ex legis praescripto remotis illis expediendus est (*a*).

(*a*) Cap. 7. *de Procurat.* Cap. 14. *de Iudic.* Cap. 1. *eod.* in VI.

§. 1031. Aduocatos adhibendi ratio.

Aduocatus, *causidicus*, seu *causarum patronus*

est, qui actori vel reo in iudicio assistit, et, quae iuris sunt, alterutri suggerit. Quo auxilio cum partes saepe indigeant, merito constitutum est, 1. eos tantum aduocati officio fungi posse, qui legum iurisque scientiae specimina dederunt (*a*); 2. ad officium iudicis pertinere, petentibus dare, quem ob aduersarii potentiam, vel ob paupertatem aliamue causam habere non possunt, aduocatum (*b*).

(*a*) L. 2. Cod. *de Postul.* L. 11. §. 1. Cod. *de aduoc. diuers. iudicior.* (*b*) L. 1. §. 4. *de Postul.* Cap. 1. *de Offic. iud.*

§. 1032. Procurator iudicialis.

Procurator generatim dicitur, qui negotia alterius ex ipsius mandato curat, isque 1. si omnia prorsus alterius negotia suscepit, *vniuersalis*, si quaedam duntaxat, *particularis* audit (*a*); 2. si ad negotia, extra iudicium peragenda, constitutus est, *extraiudicialis*, seu *procurator ad negotia*, si ad causam in iudicio agendam, *iudicialis*, seu *procurator ad iudicia* vocatur (*b*). Et de hoc tantum in praesenti sermo erit.

(*a*) L. 1. *de Procurat.* Cap. 11. *eod.* Cap. 4. *eod.* in VI. (*b*) Cap. 5. §. 1. 2. *eod.* in VI. Qui sponte et inscio domino eius negotia extra iudicium gerit, *negotiorum gestor*, L. 2. *de negot. gest.*; et qui sine mandato rei vices sustinet, *defensor* appellatur. L. vn. Cod. *de Satisdand.*

§ 1033. Differentia inter hunc et aduocatum.

Secundum ius commune aduocatus a procuratore iudiciali in eo praecipue differt, 1. quod aduocatus, sicut ipsi actori vel reo, ita

alterutrius procuratori argumenta ad probandam causae iustitiam subministret; procurator vero omnes actus, ad causam ex ordine iudiciario agendam pertinentes, exequatur (*a*); 2. quod procurator per litis contestationem dominus litis efficiatur (*b*), ideoque sententia in eum ferenda sit (*c*); aduocati autem conditio neutrum ferat. Sed hodie aduocati procuratorum quoque munia obire, et iudices nullum ficti illius dominii litis rationem habere solent.

(*a*) *Ille* ingenio et arte iuuat; *hic* operas vulgare praestat. Quanti vero aestimandi sint aduocati, siquidem et doctrina et probitate clari sunt, L. 14. Cod. *de aduoc. diuers. iudicior.* nos docet. (*b*) L. 22. 23. Cod. *de Procurat.* Cap. 1. §. 1. Cap. 6. pr. *eod.* in VI. (*c*) L. 1. Cod. *de Sentent. et interloc.*

§. 1034. Syndicus, Actor, vtriusque constituendi ratio.

Procurator iudicialis, qui ab vniuersitate, seu collegio ad omnes eius causas generaliter constitutus est, *Syndicus*, qui ad vnam alteramue tantum causam datus est, *actor*, seu *procurator vniuersitatis* vocatur (*a*). Cum vniuersitas ipsa in iudicio comparere non possit, actorem vel syndicum *collegialiter* (§. 340.) constituat, oportet, idque de vniuersitatibus *ecclesiasticis* speciatim cautum est (*b*). Constitui autem potest quiuis alioquin idoneus, siue vnus ex collegio sit, siue extraneus. Excipe monasteria, quae sodalem quidem tanquam actorem (*c*), at syndicum non nisi extraneum consituere possunt (*d*).

(*a*) L. 1. §. 1. L. 6. §. 1. 2. *Quod cuius. vniuersit.*

nom. (*b*) Cap. 7. *de Procurat.* Cap. 2. *de in integr. restit.* (*c*) Can. 35. XVI. q. I. (*d*) Cap. vn. *de Synd.*

§. 1035. Mandati, quo procurator constituitur, species.

Mandatum porro, quo procurator iudicialis constituitur, 1. vel *verum* est, *expresso* nimirum, vel *tacito* (*a*) constituentis et constituendi consensu nixum, vel *praesumtum*, quod leges adesse ponunt (*b*); 2. vel *generale*, quo tota lis peragenda, vel *speciale*, quo certus actus iudicialis expediendus alteri committitur. *Illud* rursus vel sub clausula: *cum libera* potestate, vel sine ea datum est (c). Qui nec vero, nec praesumto mandato instructus alienis litibus se immiscet, *falsus procurator* est, quocum quae acta sunt, irrita sunt (*d*), nisi dominus ante prolatam sententiam rata habuerit (*e*).

(*a*) Ita dominus, sciens alterum causam suam agere vel defendere, tacendo §. 1. Instit. *de iis, per quos agere poss.*; ita et alter litteras procurationis sine intercessione recipiendo Cap. 1. *de Procur.* in Clem., consensisse videtur. (*b*) Tale mandatum habere censentur, et ideo, siquidem, dominum rem ratam habiturum, caueant, admittuntur, qui domino cognatione vel affinitate propius iuncti sunt L. 35. pr. *de Procurat.*, qui rei absentis defensionem sponte suscipiunt L. 40. §. 2. *eod* L. 12. Cod. *eod.* qui instrumenta, ad causam pertinentia, in manibus tenent Cap. 34. *de off. et potest. iud deleg* (c) Cap. 4. *de Procurat.* in VI. (*d*) L. 24. Cod. *de Procurat.* Cap. 4. *eod.* (*e*) L. 56. *de Iudic.* L. 60. *de R. I.* Cap. 10. *eod.* in VI.

§. 1036. Pro aliis postulare prohibiti.

Pro aliis postulare, aduocati ergo vel procuratoris officium suscipere prohibentur 1. minores XXV. annis, qui tamen, si XVII. an-

nis maiores sint, procuratores ad negotia esse possunt (*a*); 2. Religiosi, nisi pro vtilitate monasterii, et cum consensu superioris sui (*b*); 3. clerici in causis secularibus, nisi pro ecclesia sua, vel pro personis miserabilibus, aut coniunctis (*c*). 4. Clerici, contra ecclesiam, a qua beneficium habent, aut contra episcopum proprium pro extraneis postulantes, beneficio priuari possunt (*d*).

(*a*) L. 1. §. 3. *de Postul.* Cap. 5. §. 2. *de Procurat.* in VI. (*b*) Can. 35. XVI. q. I. Cap. 2. *de Postul.* Cap. 3. *de Procurat.* in Clem. (*c*) Cap. 1 3. *de Postul.* Cap. 2. 4. *Ne cler. vel monach.* (*d*) Cap. 3. *cit.* Cap. 15. *de Excess. praelat.*

§. 1037. Procuratores plures ad eandem causam.

Caeterum plures ad eandem causam procuratores constitui possunt, ita tamen, vt 1. si plures, eodem scilicet tempore (*a*), *indefinite*, et quidem in causa beneficiali aliaue spirituali constituti sunt, iudex magis idoneum ex iis eligere possit, in aliis causis vero omnes simul agere debeant; 2. si *definite* et quidem sub clausula *alternatiua* (§. 997.), potior sit, qui prior causam agere coepit; si sub *conditionali*, altero deficiente alter recte agere queat (*b*).

(*a*) Si plures diuersis temporibus dati sunt, dato posteriore, prioris procuratio reuocata censetur. L. 31. §. 1. 2. *de Procurat.* Cap. 14. *eod.* (*b*) L. 32. *eod.* Cap 6. *eod.* in VI.

§. 1038. Qui procuratorem constituere possint.

Procuratores autem constituendi facultatem habent, qui suo nomine ac iure causam agere

possunt (*a*). Hinc 1. beneficio eccles. praediti de rebus et iuribus sui beneficii, et praelati quidem, ac abbates pro ecclesiis suis sine consensu capituli (*b*); 2. puberes et filiifamilias in causis spiritualibus sine consensu curatoris aut patris procuratores constituere possunt (*c*). 3. Ipse autem procurator alium substituere nequit, nisi *in rem suam* procurator sit, aut substituendi facultatem speciatim acceperit, quamuis procurator ad negotia substituere plerumque possit (*d*).

(*a*) Cap. 68. *de R. I.* in VI. (*b*) Cap. 21. *de Rescript.* Cap. 9. *de Procurat.* Cap. 4. *eod.* in Clem. (*c*) Cap 3. *de Iudic.* in VI. (*d*) Cap. 1. §. 1. 2. *de Procurat.* in VI.

§. 1039 Officia procuratoris.

Officia procuratoris haec fere sunt: 1. Ea, quae mandati formula et natura comprehensa sunt, diligenter exequatur, sciatque, irritum fore, quod extra fines mandati gesserit (*a*). 2. Causam, semel coeptam, ad finem perducat, immo et, si victus fuerit, appellationem interponere, vel dominum ea de re monere non negligat, licet appellationem prosequi non teneatur (*b*). 3. Etsi mandatum generale, vti et praesumtum habeat; ea tamen peragere non attentet, quae in detrimentum mandantis vergere possent, nisi mandato generali *cum libera*, vel, quod melius est, *speciali* ad ea mandato munitus sit (*c*).

(*a*) L. 5. *Mandat.* L. 10. Cod. *de Procur.* Cap. 22. *de Rescript.* (*b*) Cap. 14. *de Procurat.* (*c*) L.

58. 60. *eod.* Cap. 4. 5. pr. *eod.* in VI. Cap. 2. *eod.* in Clem. Cap. 9. *de Arbitr.*

§. 1040. Quibus modis officium procuratoris finiatur.

Finitur autem procuratoris officium 1. *reuocatione expressa*, quae ante litis contestationem libere, post eam inuito procuratore non nisi ex iusta causa fieri potest (*a*); 2. reuocatione *tacita*, quae adesse censetur, si dominus nouum procuratorem constituit (*b*), vel ipse causae suae pertractationem ita suscepit, vt de alia eius mente non constet (*c*). 3. Reuocatio, quae ignorante procuratore, vel iudice, vel aduersario facta est, non impedit, quin valeat, quod ab illo, haud satis reuocato, gestum est (*d*). 4. Morte mandantis, quae post litem contestatam accidit, alioqui mandatum procuratorium non soluitur (*e*); exspirat vero, si clericus pro ecclesia sua, vel beneficio illud dedit (*f*).

(*a*) Cap. 2. *de Procurat.* in VI. (*b*) Cap. 14. *de Procurat.* (*c*) Cap. 8. *eod.* in VI. (*d*) Cap. 8. 13. *de Procurat.* (*e*) L. 87. *de R. I.* L. 23. Cod. *de Procurat.* (*f*) Cap. 4. *eod.* in Clem.

CAPVT III.

DE ACTIONIBVS IN IVDICIO INSTITVENDIS.

II. 12. De causa possessionis et proprietatis.
— 13. De restitutione spoliatorum.
V. 32 De noui operis nuntiatione.

§. 1041. Actio, eaque nominata, vel in factum.

Non quoduis ius in alterum sufficit, vt is in

iudicium vocari possit; sed illud tantum, cui lex humana assistit, iurisque *externi* (§. 286.) et *perfecti* (§. 287.), hoc est, actionis vim attribuit. *Actio* nempe hic est ius, lege concessum, persequendi, seu petendi in iudicio, quod ex iure illo nobis debetur (*a*). Eodem nomine etiam venit vsus iuris agendi, cum scilicet re ipsa in iudicio persequimur, quod nobis debetur. Actio, quae facto, cui vtique ceu fundamento innititur, proprium nomen habet, *nominata*, quae tali nomine caret, *in factum*, seu *praescriptis verbis actio* vocatur (*b*). Hinc 1. sicut nullum est iudicium sine actione, ita nec actio datur sine certa lege, eam constituente; 2. vana est *imploratio officii iudicis*, nisi verae actionis naturam habeat (*c*). 3. Quid ergo sibi velint, qui implorationem officii iudicis ceu peculiarem actionis speciem sistunt, non apparet.

(*a*) L. 178. §. 2. 3. *de V. S.* (*b*) L. 1—5. *d praescript verb.* (*c*) Cap. 2. *de Offic. iud.*

§ 1042. Actiones praeiudiciales et principales, eaeque reales vel personales.

Iura, quae agendo persequimur, vel a statu, seu conditione personae, vel a rerum ad personas ratione pendent. Vnde *actiones* vel *praeiudiciales* sunt, quibus de statu personarum (*a*), vel *principales*, quibus de personarum circa res iuribus disceptatur, eaeque, prouti ex *iure in re*, vel *ad rem* (§. 852.) nascuntur, in *reales* seu *vindicationes*, et *personales*, seu *condictiones* abeunt (*b*). *Illae* aduersus quemcunque rei possessorem eumue, qui dolo possidere desiit (*c*),

hae aduersus illum duntaxat, qui actori speciatim obligatus est, locum habent, exceptis quibusdam, quae, quod aduersus tertium quoque possessorem dentur, *in rem scriptae* vocantur (*d*).

(*a*) §. 13. Instit. *de Action.* (*b*) §. 1. 15. Instit. *eod.* L. 25. pr. L. 28. *de O. et A.* Actiones praeiudiciales in rem esse videntur, quia his, qui agit, aliquid suum vindicat. (*c*) L. 131. L. 157. §. 1. *de R. I.* Cap. 36. *eod.* in VI. (*d*) L. 9. §. 8. *Quod met. caus.*

§. 1043. Item possessoriae seu interdicta, vel petitoriae.

Omnes porro actiones vel ad ius amissum reuocandum, vel ad quaesitum conseruandum perficiendumque tendunt. Illius generis sunt *restitutiones in integrum* (*a*); quae autem iuri quaesito inseruiunt, vel *possessionis*, vel *proprietatis* iure nituntur. Inde actiones, quibus ius rem interea possidendi persequimur, *possessoriae*, alias *interdicta* (*b*), quibus de iure rem, vt propriam, habendi contenditur, *petitoriae* vocantur. Et *hae* quidem vel *reales*, vel *personales* esse possunt; *illae* autem, sicut et *restitutiones* in integrum, re ipsa *personales*, quandoque *in rem scriptae* sunt (*c*).

(*a*) De his infra sermo erit. (*b*) Pr. Instit. *de Interd.* (*c*) L. 1. §. 3. *eod.* L. 9. §. 8. *Quod met. caus.* L. 13. §. 1. *de Minor.*

§. 1044. Commoda possessoris.

Quanquam possessio facti magis est, quam iuris; ipsius tamen iuris axioma est, in pari causa potiorem esse conditionem possidentis (*a*). Vnde 1. possessor *titulum* et iustitiam possessionis suae probare non tenetur (*b*), nisi for-

tior praesumtio ex iure contra eum militet (*c*). 2. Eadem ratione res tamdiu possessori relinquenda est, quamdiu, suam esse, alter non probauerit (*d*). 3. Possessor bonae fidei omnes fructus percipiendo suos facit, et superuenienti domino re ipsa quidem extantes, non autem consumtos restituit, etsi locupletior iis factus sit (*e*). 4. Idem porro rem amissam a quocunque, infirmiore iure possidentem, *publiciana* in rem actione vindicat (*f*). 5. Possessionis item causa non solum actiones possessorias, seu *interdicta* in alios intendere, sed etiam priuata auctoritate in possessione se defendere, eaque deiicientem confestim, in ipso nempe congressu iterum deiicere, legibus concessum est (*g*).

(*a*) L. 128. *de R. I.* Cap. 65. *eod.* in VI. (*b*) L. 53. *de acq. vel amit. poss.* L. 11. Cod. *de petit. hered.* L. 28. Cod. *de rei Vindic.* (*c*) Cap. 1. *de Praescript.* in VI. (*d*) §. 4. Instit. *de Interd.* (*e*) §. 35. Instit. *de rer. diuis.* L. 48. pr. *de acq. rer. dom.* L. 22. Cod. *de rei vindic.* (*f*) §. 4. Instit. *de Act.* (*g*) L. 3. §. 9. L. 17. *de vi et vi arm.* L. 1. Cod. *vnde vi.*

§. 1045. Actiones possessoriae triplicis generis.

Actiones possessoriae, seu *interdicta* de possessione ex *iure ciuili* triplicis generis sunt, quaedam nempe *adipiscendae*, quaedam *retinendae*, quaedam *recuperandae* possessionis (*a*), eaque *ius canonicum* non tantum repetit, sed interdictum recuperandae, *vnde vi* appellatum (*b*), edita *actione spolii*, valde amplificauit (*c*).

(*a*) §. 2. Instit. *de Interdict.* (*b*) §. 6. Instit. *eod.*

L. 1. *de vi et vi arm.* (c) Can. 3. 4. III. q. I. Cap. 18. *de restit. spol.*

§. 1046. Possessorium ordinarium et summarium.

Cum de retinenda possessione agitur, non tantum ius possidendi, cuius illud sit, sed ipsa saepe possessio, vter in praesenti eam teneat, in contentionem venit. Iudicium de iure possidendi *possessorium ordinarium*, de praesenti possessione *summarium*, seu *summarissimum* vocatur. *Illud* sententiam definitiuam requirit; *huic* interlocutoria mera finem facit, per definitiuam firmanda vel corrigenda; vnde et possessio, interim concessa, *momentanea* dicitur (*a*).

(*a*) L. vn. Cod. *Si de moment. possess.*

§. 1047. Spolii notio.

Spolium hoc loco est omne factum illicitum, quo vera vel quasi possessio alicui aufertur. Vnde consequitur 1. spolium committi posse in rebus tum *mobilibus*, tum *immobilibus*, nec non in *iuribus* (*a*); 2. committi illud posse non solum a priuato, sed etiam a iudice, qui, neglecto iuris ordine, aliquem possessione priuat (*b*); 3. spolii reum esse, siue quis per se, siue per alium, veluti mandando aliaue ratione adiuuando, illud fecerit (*c*); 4. nihil interesse, siue vi et violentia, siue clam et sine vi possessio alicui interuersa sit (*d*).

(*a*) Sic spolium committit maritus, vxorem expellens Cap. 8. *de rest. spol.*, vxor, a marito discedens Cap. 10. *eod.*, defunctum extra parochiam, aut locum electum sepeliens. Cap. 5. 6. *de Sepult.* (*b*) Cap.

7. *de restit. spol.* (c) L. 1. §. 12. 14. *de vi et vi arm.* Cap. 15. *de restit. spol.* (d) Cap. 6. *de restit. spol.*

§. 1048. Actio spolii.

Qua de re ius nostrum hanc ponit regulam: *Spoliatus ante omnia est restituendus*, eique idcirco et *actionem*, et *exceptionem spolii* tribuit. Et actio quidem datur 1. spoliato, eiusque heredi sic, vt nec titulum possessionis, sibi interuersae, probare, nec ad exceptiones contrarias, nisi aliud in iure cautum sit, respondere teneatur (*a*); 2. aduersus spoliatorem eiusque heredem, vti et aduersus tertium malae fidei, id est, spolii conscium possessorem (*b*), etsi huic illiue reuerentia debeatur (*c*); 3. ad id, vt praeter rem oblatam, eiusue aestimationem iureiurando spoliati definiendam (*d*), damna quoque per spolium illata, fructusque *percepti* (*e*), immo et, si spolium vi vel dolo patratum est, *percipiendi* (*f*) omnino restituantur.

(*a*) Cap. 1. 2. 5. 6 *de restit. spol.* Cap. vn. *de caus. possess.* in Clem. (*b*) Cap. 18. *de restit. spol.* (*c*) Cap. 11. *eod.* (*d*) Cap. 7. *de his, quae vi met.* (*e*) Cap. 7. 16. *de restit. spol.* (*f*) Cap. 11. *eod.*

§. 1049. Causae, eius vim remorantes.

Attamen restitutio deffertur, aut plane negatur, 1. si spoliator sine dolo et contumacia absens est (*a*); 2. si ius commune spolianti fauet, contra spoliatum vero praesumtio iuris de iniusta possessione habetur (*b*); 3. si vxor, iniuste se subducens vel saeuitiam mariti (*c*), vel impedimentum dirimens (*d*) probare statim potest; 4. si constat, coniugem, restitutio-

nem coniugis petentem; adulterium interea commisisse (*e*).

(*a*) Cap. 10. *de off. iud. deleg.* (*b*) Cap. 2. *de restit. spol.* in VI. Solum ius commune spoliantem non excusat, si iustae possessionis praesumtio spoliatum defendit. Cap. 3. *de C. P. et P.* (*c*) Cap. 8. *de R. Sp.* (*d*) Cap. 13. *eod.* (*e*) Cap. 4. *de Diuort.*

§. 1050. Exceptio spolii.

Exceptio spolii ita datur spoliato, vt eam cuicunque actioni, a spoliatore aduersus se motae, opponere, eaque intra tempus a judice praefixum probata, efficere possit, haud quidem vt spoliator condemnetur, sed vt ne audiatur, donec sua sponte plenam spolii restitutionem fecerit (*a*).

(*a*) Cap. 2. 4. *de Ord. cognit.* Cap. 1. *de restit. spol.* in VI.

§. 1051. Causae, eam impedientes.

Ita vero si spoliatio in modum *exceptionis* actori opponitur. Quodsi reus spolium in forma *actionis*, puta *reconuentionis* (§. 1037.) in actorem intendit, tunc vtraque causa simul pertractanda, eademque sententia terminanda est (*a*). Quin et *exceptio spolii* quandoque non impedit, quo minus spoliator audiatur, si scilicet de causa ecclesiastica agenti spolium in re priuata, aut vicissim de hac agenti spolium, in illa commissum, obiiciatur (*b*).

(*a*) Cap. 2 4. *cit.* (*b*) Cap. 1. §. 2. *de restit. spol.*

§. 1052. Nuntiatio noui operis.

Inter actiones *petitorias*, iure *ciuili* conti-

tutas, ius *canonicum* eam speciatim memorat, quae tum iuris conseruandi, tum damni imminentis auertendi causa prodita est, *nuntiationem* scilicet *noui operis*, vi cuius is, qui ex opere, quod solo iunctum est, faciendo, rei suae damnum metuit, ius habet, prohibendi, ne illud fiat, donec de iure constiterit (*a*). Ea de re annotamus: 1. Nuntiatio, siue priuata nuntiantis, siue, quod melius est, publica iudicis auctoritate fiat (*b*), nuntiato necessitatem imponit, vt ab opere coepto desistat, aut cautionem de eo, si non iure factum sit, demoliendo offerat (*c*). 2. Si nuntians oblatam cautionem acceptare nolit, iudicis est, litem intra tres menses (quam ocyssime) dirimere, eaque pendente nuntiato, ne oblata quidem cautione, in aedificando pergere licet. 3. Quodsi lis breui tempore finiri non possit, et nuntiatus de perficiendo opere instet, iudex, praestita cautione de demoliendo, aedificationem permittere potest (*d*).

(*a*) L. 1. pr. §. 1. 12. 19. *de N. O. N.* (*b*) L. 5. §. 10. L. 16. *eod.* (*c*) L. 1. §. 7. 9. L. 8. §. 4. L. 20. §. 1. *eod.* Cap. 1. 2. *eod.* (*d*) L. vn. Cod. *eod.* Cap. 3. 4. *eod.*

§. 1053. Legitimatio ad causam, vel ad processum.

Ius agendi et se defendendi in iudicio, quatenus legibus constitutum est, probatione non indiget; quatenus autem a facto pendet, quod a causa, in iudicium deducta, plane disiunctum est, eiusmodi factum omnino probari debet, eaque probatio ratione eius, qui suo

nomine litigat, *legitimatio ad causam*, qui alieno, *legitimatio ad processum* vocatur. De vtraque iudicem solicitum esse oportet, cum alterutra deficiente, processus ad irritum caderet.

CAPVT IV.

DE CONCVRSV ACTIONVM ET CAVSARVM IN EODEM IVDICIO.

II 4 De mutuis petitionibus.
— 10. De ordine cognitionum.
— 12. De causa possessionis et proprietatis.

§. 1054. Actiones plures contra eundem institui possunt.

Plures actiones et causae in eodem iudicio concurrunt, si vel actor plures proponit, vel reus in actorem vicissim actionem intendit, vel ipsa disceptatio nouas quaestiones inducit. Actor nempe, cui plures actiones contra eandem personam patent, sicut suo iudicio hac illaue vti, ita et plures simul instituere potest. Quod etsi iure Romano vix licuit (*a*), tamen ex iure canonico ita receptum est (*b*), vt, posita fori competentia, plures actiones, siue ex eodem facto, siue ex diuersis causis ortae, et siue inter se connexae, siue disiunctae sint, si quidem ad *diuersa* tendunt, *simultanee*, si *idem* petunt, *alternatiue* (c) contra eundem reum agitari possint.

(*a*) L. 6. *de Except. rei iud.* L. 43. §. 1. *de R. I.*

(*b*) Cap. 3. *de Rescript.* in VI. (*c*) Cap. 8. *de in integ. restit.*

§. 1055. Actio possessoria separatim instituta.

Idque de actione possessoria et petitoria ita speciatim cautum est, vt in arbitrio actoris esset, an alterutram *separatim* adhibere, an, quod contra ius ciuile (*a*) canonicum statuit (*b*), vtramque *simul* intendere velit. Si prius placuit; tunc 1. possessorio tantum instituto, iudici de petitorio iudicare non licet (*c*); 2. succumbenti autem in possessorio, saluum manet petitorium (*d*), quod et coram eodem iudice informari potest, nisi ratione petitorii incompetens sit (*e*).

(*a*) L. 3. Cod. *de Interd.* L. 13. Cod. *de R. V.* L. 1. Cod. *de Appellat.* (*b*) Cap. 4. *de C. P. et P.* (*c*) L. 18. *Com. diuid.* (*d*) L. 35. *de acq. vel amit. poss.* L. 14. §. 3. *de Except. rei iud.* Cap. 7. *de C. P. et P.* (*e*) Cap. 21. *de Iudic.*

§. 1056. Vna cum petitoria introduci et agitari potest.

Vtrumque vero remedium, possessorium et petitorium, non solum initio iudicii, sed etiam eo durante simul introduci, immo, vtroque iam introducto, vt, suspenso petitorio, de possessione tantum pronuntietur, peti potest, modo ante conclusionem in causa id fiat (*a*). De reliquo 1. vtrumque simul institutum, simul quoque, et quidem apud eundem iudicem, si is ratione petitorii quoque competens sit, peragendum est (*b*). 2. Si de petitorio forte non satis liquet, de possessorio tantum iudex sententiam dicere potest (*c*). 3. Vtroque au-

tem satis cognito, et probato, vtrumque vna sententia finiendum est, eaque, si vni possessionem, alteri proprietatem tribuit, non obscure indicat, illum huic cedere debere (*d*).

(*a*) L. 12. §. 1. *de acq. vel amit. poss.* Cap. 5. *de caus. posses.* Cap. 36. *de Testib.* (*b*) L. 10. Cod. *de Iudic.* Cap. 1. *de caus. posses.* (*c*) Cap. 2. 5. *eod.* (*d*) Cap. 6. *eod.*

§. 1057. Reconuentio.

Sicut actio ex parte actoris *conuentio*, ita actio, a reo contra actorem in eodem iudicio proposita, *reconuentio* vocatur. Datum quippe reo est ius actorem vicissim apud eundem iudicem, etsi ratione actoris incompetentem, reconueniendi (*a*). Atque ita iurisdictio iudicis in actorem, alioqui sibi non subiectum, ex praescripto legis prorogatur (*b*).

(*a*) *Cuius enim in agendo quis obseruat arbitrium, eum habere et contra se iudicem non dedignetur.* L. 14. Cod. *de sentent. et interloc.* (*b*) L. 5. Cod. *de fruct. et lit. expens.* Nouell. XCVI. Cap. 2.

§. 1058. A quo, in quibus causis, et coram quo iudice fieri possit.

Huc sequentes spectant positiones: 1. Reconuenire alterum non potest, qui, vti excommunicatus (§. 1029.), ipse agere nequit (*a*), nec reconueniri suo nomine potest, qui, vti curator, alieno agit (*b*). 2. Reconuentio institui potest in omni causa, siue cum conuentione connexa, siue ab ea plane diuersa sit (*c*), et coram quouis iudice, tum ordinario, tum ad preces actoris delegato, etsi actor forum pri-

uilegiatum fors habeat, si modo causa iurisdictioni iudicis subiecta, isque adeo ratione causae competens sit (*d*). 3. Hinc clericus in foro eccles. actorem laicum, et laicus in foro seculari actorem clericum reconuenire potest. 4. Sed de causa eccles. coram iudice seculari et vicissim, de causa item allodiali coram iudice feudali, et vicissim, reconuentio locum non habet.

(*a*) Cap. 5. *de Except.* (*b*) L. 23. *de Compensat.* (*c*) Excipe causam spolii, contra spoliatorem motam. Is enim spoliatum reconuenire non potest, nisi facta spolii restitutione. Cap. 4. *de Ord. cognit.* (*d*) L. 1. §. 15. *de Extraordin. cognit.* Cap. 1. 2. *de mut. petit.*

§. 1059. Quomodo pertractanda sit.

Reconuentio porro institui potest non solum initio iudicii, sed etiam in decursu vsque ad conclusionem in causa (*a*), et, siquidem initio, et ante litis contestationem facta est, *simultaneo* processu cum conuentione agitanda, vnaque, quod ad prolationem attinet, sententia definienda est (*b*), nisi causa conuentionis, morae impatiens, paratam, vt aiunt, executionem habeat (*c*). Tunc enim causa reconuentionis, finita prius conuentione, in *separato* processu coram iudice conuentionis peragenda erit. Idem obtinere, interpretes monent, si reconuentio postea demum proposita fuit.

(*a*) Cap. 3. *de Rescript.* in VI. Cap. 2. *de V. S.* in Clem. (*b*) Cap. 1. 2. *de mut. petit.* (*c*) L. 11. Cod. *Deposit.* Cap. 2. *de Deposit.*

§. 1060. Causae praeiudiciales.

Inter plures quaestiones et causas, in eo-

dem iudicio motas, illa *praeiudicialis* dicitur, a cuius decisione alterius causae decisio pendet. Perquam vero manifestum est, causam praeiudicialem ante cognoscendam esse, quam de altera statui cum ratione possit (*a*). Quodsi iudex ratione vtriusque causae competens est, idem vtramque, recte atque ordine cognitam, definiet, cum iudex causae principalis hoc ipso de iis quoque, quae incidunt, et ad plenam illius decisionem spectant, iudicandi officium suscepisse videatur (*b*).

(*a*) Sic quaestio de impedimento dirimente prius discutienda; quam de iure matrimonii, et quaestio natalium prius, quam de iure successionis legitimae statuatur. L. 1. 2. 3. Cod. *de Ord. cognit.* Cap. 1. 3. *eod.* (*b*) Cap. 5. Cap. 21. §. 2. *de Offic. et potest. de. leg.*

§. 1061. Quid, si alterius fori sunt.

Secundum ius *Romanum* iudex in causa principali competens etiam praeiudicialem, ad suam iurisdictionem haud pertinentem, cognoscere (*a*), eaque quasi in medio relicta, de illa pronuntiare potest (*b*). Sed ius *canonicum* causam praeiudicialem ecclesiasticam, in foro seculari incidentem, foro ecclesiastico vendicat (*c*), quin vicissim causam secularem, in foro ecclesiastico incidentem, ad forum seculare remittat (*d*).

(*a*) L. 3. Cod. *de Iudic.* (*b*) L. 1. Cod. *de Ord. iudic.* L. 2. Cod. *de Ord. cognit.* (*c*) Cap. 3. *eod.* (*d*) Cap. 3. *de Donat. inter vir. et vxor.*

CAPVT V.

DE RESTITVTIONE IN INTEGRVM.

I. 40. *De his, quae vi metusue causa fiunt.*
— 41. *De in integrum restitutione.*
— 42. *De alienatione iudicii mutandi causa facta.*
II. 14. *De dolo et contumacia.*

§. 1062. Restitutio in integrum.

Iuris amissi reuocandi causa comparatum est *beneficium restitutionis in integrum*, vi cuius negotia summo iure valida (*a*) ob notabilem et immeritam laesionem (*b*) auctoritate iudiciali rescinduntur, laesusque in priorem statum reducitur, habita nimirum iustitiae magis et aequitatis, quam stricti iuris ratione (*c*). Idque beneficium leges tum ex causis quibusdam speciatim, tum, simili aequitate suadente, ex quibusuis aliis generatim concedunt.

(*a*) Superuacua scilicet est restitutio, vbi negotium ipso iure irritum est. L. 16. *de Minor.* (*b*) Minima, vt dicitur, non curat praetor, L. 4. *de in integ. rest.*, et *damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Cap. 86. *de R. I.* in VI. (*c*) L. 90. *de R. I.* L. 8. Cod. *de Iudic.*

§. 1063. Iustae eam petendi causae.

Causae, ob quas leges beneficium restitutionis *speciatim* tribuunt, sunt hae: 1. *Metus* grauis ex vi iniusta (*a*), quatenus negotium, metu initum, stricto iure subsistit (*b*). 2. *Dolus*, quo quis ad negotium sibi damnosum inductus est,

quatenus alia actione vel exceptione damnum a se amoliri non potest (c). 3. *Alienatio rei fraudulenta*, vt eius scilicet, qui illam vindicaturus erat, conditio deterior reddatur (*d*). 4. *Absentia* a loco domicilii, quatenus impedimento fuit, quo minus quis ius suum persequi potuerit (*e*). 5. *Negotium* quoduis, *a minorenni*, eiusue tutore aut curatore, ipso licet magistratu interueniente, cum quocunque *gestum*, et cum qualicunque illius damno coniunctum (*f*). *Generaliter* vero ob quamcunque aliam iustam causam, ex analogia iuris aestimandam, restitutio dari solet, quoad eius per leges licet (*g*).

(*a*) L. 1. seq. *Quod met. caus.* (*b*) Etsi quaedam negotia, metu extorta, vti professio religiosa (§. 433.), matrimonium (§. 723.), sponsalia (§. 746.), ipso iure nulla sunt, plerique tamen actus et contractus, metu licet extorti, stricto iure, et in foro externo subsistunt, restitutionis igitur beneficio indigent. Exemplo est coacta beneficii eccles. renuntiatio Cap. 2. 4. *de his quae vi. met.* (*c*) L. 1. seq. *de dol. mal.* Hac ergo restitutione non est opus, si deceptus ex natura negotii actionem vel exceptionem habet, illudue, quod *dolus*, cum eoque coniunctus *error* alterius ad ipsam rei substantiam spectet, ipso iure nullum est. (*d*) L. 1. seq. *de alien. iud. mut.* Cap. 1. *eod.* Sed hic restitutio proprie non fit; neque enim alienatio rescinditur, sed actio tantum datur ad id, quod interest, alium aduersarium substitutum esse. (*e*) L. 1. seq. *Ex quib. caus. maior.* Praesens contra absentem, ex quauis causa absit, semper restituitur; absens vero contra praesentem non, nisi ex iusta et honesta causa absit. L. 26. §. 9. L. 28. pr. *eod.* (*f*) L. 1. seq. *de Minor.* Cap. 8. *de in integr.* (*g*) *Item, si qua alia mihi iusta causa esse videbitur, in integrum restituam, quoad eius per leges licebit.* L. 1. §. 1. *Ex quib. caus. maior.*

§. 1064. Iudex ea de re competens.

Ex his causis datur actio, seu ius petendi restitutionem, eaque vel *principaliter*, seu in peculiari de ea iudicio (*a*), vel *incidenter*, seu in iudicio, aliam ob causam instituto (*b*), peti potest. Si *principaliter* petitur, illius, contra quem petitur, ratione domicilii, vel rei sitae iudex competens adeundus est; si *incidenter*, iudex causae principalis restitutionis quoque causam cognoscit (*c*), immo, si de laesione immerita satis constat, *ex officio*, et *breui*, vt aiunt, *manu* restitutionem decernere solet. Ea autem, a iudice semel denegata, ex eadem causa non amplius peti potest; appellationi tamen a sententia denegante locus est (*d*).

(*a*) Cap. 2. *de off. iud.* Cap. 8. *de in integ. restit.* (*b*) Cap. 3. *eod.* (*c*) Cap. 9. *eod.* (*d*) L. 1. 3. Cod. *Si saep. restit. in integr.* Cap. 10. *de in integr. restit.*

§. 1065. Tempus intra quod petenda.

Tempus, intra quod restitutio peti potest, ita definitum est, vt, quae ob minorem *aetatem* et *absentiam* datur, intra *quadriennium*, a die, quo quis vel aetatem legitimam adeptus, vel domum reuersus est, computandum, petenda sit (*a*). Reliquae restitutiones, tanquam actiones personales, rei persecutoriae *perpetuae* sunt, adeoque triginta annos durant (*b*).

(*a*) L. 7. Cod. *de temp. in integr. restit.* (*b*) L. 3. Cod. *de praescript. XXX. an.*

§. 1066 Effectus petitae et impetratae.

Restitutione apud iudicem *postulata*, om-

nia in suo statu relinquenda sunt, donec res finiatur (*a*), atque ita sententiae etiam executio suspenditur, nisi malitiose postulata videatur, tunc enim executio erga cautionem decernitur (*b*). *Impetrata* vero restitutione omnia in pristinum statum ita reducuntur, vt restitutus nec damnum, nec lucrum habeat (*c*).

(*a*) L. vn. Cod. *In integ. rest. postul. ne quid noui.* (*b*) Cap. 6. 7. *de in integr. restit.* (*c*) L. 24. §. 4. *de Minor.* L. vn. Cod. *de Reputat.* Cap. 1. *de in integr. restit.* Cap. 11. *de reb. eccles. alien.*

§. 1067. Ecclesiae beneficio restitutionis praeditae.

Sicut respublicae (*a*), ita et ecclesiae domusque religiosae in causa restitutionis iure minorennium fruuntur (*b*), ideoque in quouis negotio laesae non tantum contra priuatos, sed alias quoque ecclesias, et causas pias restitutionem petere possunt (*c*). Quadriennium autem, ad eam petendam praefixum, non demum a die *cognitae*, sed a die *factae* laesionis currit (*d*). Qui enim *intra quadriennium, ab ipsius laesionis tempore computandum*, restitutionem *petere negligenter omisit, non est ad beneficium huiusmodi admittendus, nisi rationabilis causa subsit, quae superiorem mouere debeat ad idem beneficium concedendum* (*e*). Itaque, num *laesionis ignorantia* talis causa sit, iusto iudicis arbitrio relictum esse, videtur.

(*a*) L. 4. Cod. *Quib. ex caus. maior.* L. 2. Cod. *de iure reip.* (*b*) Cap. 1. 3. *de in integr. restit.* (*c*) Cap. 3. 5. 7. *eod.* (*d*) Cap. 1. 2. *eod.* in Clem. (*e*) Cap. 1. 2. *eod.* in VI.

SECTIO III.

DE SINGVLIS ACTIBVS IN IVDICIO CIVILI.

CAPVT I.

DE EDITIONE ACTIONIS, SEV LIBELLO IVDICIALI.

II. 3. De Libelli oblatione.
— 11. De plus petitionibus.

§. 1068. Libellus iudicialis.

Cum nullum sit iudicium sine actione (§. 1041.), is, qui quempiam in illud vocare constituit, actionem apud iudicem edat, necesse est (*a*). Fit autem editio actionis per *libellum*, hoc est, scripturam, quam actor vel ipse conficit, et iudici offert, vel iudicem rogat, vt actionem, ore a se prolatam, actis inscribi curet. Et hoc respectu *libellus* vel *scriptus*, vel *nuncupatiuus* dicitur. *Illo* in iudicio *ordinario* opus est (*b*), *hoc* in *summario* vti licet (*c*).

(*a*) L. 1. pr. *de Edend.* (*b*) Cap. 1. *de Libell. oblat.* (*c*) Cap. 2. *de V. S.* in Clem.

§. 1069. Eius partes.

Libellus actionem in iudicio instituendam complecti debet; haec autem ex facto quodam pendet. Apti igitur iustique libelli hae sunt partes: 1. *Facti narratio*, eaque *breuis* ac *perspi-*

cua sit, oportet; nihil ergo superuacuum, ea vero diligentius referat, quae ratione iuris, ex facto deducendi, momentum habere videntur (*a*). 2. *Causa agendi*, vt scilicet, cum nomen actionis exprimere non sit necesse, ex facti propositi conditione ius agendi, qualisque actio intendatur, colligi possit (*b*). 3. *Petitum*, facto et causae agendi *congruens*, atque *certum*, ita scilicet definitum, vt, quid quantumque petatur, appareat (*c*).

(*a*) L. 39. §. 1. Cod. *de Appellat.* Cap. 6. *de Iudic.* (*b*) Cap 6. *cit.* Hinc in *actione personali* non solum obligatio, eiusue causa generalis, veluti contractus, sed *specialis* memoranda est; in *reali* autem sufficit, illam iuris in re speciem, ex qua agitur, appellasse, quin eius causa exprimatur. L. 11. §. 2. L. 14 §. 2. *de Except. rei iud.* Cap. 3. *de lib. obl.* Attamen et hanc exprimere praestat, vt, si quis ex duabus causis actionem habet, et in vna fors succumbit, ex altera eandem rem petens exceptione rei iudicatae repelli non possit. L. 2. Cod. *de Iudic.* Cap. 3. *de Sent. et re iud.* in VI. (*c*) §. 32. Instit. *de Act.* Cap. 2. *de lib. obl.* Itaque *libellus* re ipsa est *syllogismus*, in quo causa agendi, seu ius *maiorem*, factum *minorem*, petitum *conclusionem* constituit. Alioqui partes libelli hoc versiculo: *Quis*, *quid*, *coram quo*, *quo iure petatur*, *et a quo* indicare solent.

§. 1070. Plus petitio.

Id quoque in libello cauendum est, vt *ne plus petatur*, quam debetur. Qui enim 1. *re* vel *causa* plus petit, in expensas condemnatur, si reus verum debitum agnouit; 2. qui *tempore* plus petit, alterum tantum temporis, quo plus petiit, reo indulgere, eique impensas reddere tenetur; 3. qui *loco* plus petit, id, quod interest, alio loco petitum esse, praestare debet (*a*). Qui autem minus petit, quam

sibi debetur, sine periculo agit, modo, plus deberi, ex actis constet (*b*).

(*a*) §. 33. Instit. *de Action.* Cap. vii. *de plus. petit.* (*b*) §. 34. *eod.* L. 1. §. 3. Cod. *de plus petit.*

§. 1071. Vitia libelli.

De libello minus recto notamus: 1. Libellus adeo *ineptus*, vt nullum ius agendi ex eo appareat, nulla ratione sustineri potest (*a*). 2. Libellus in narratione facti *obscurus*, in petito *incertus*, item *alternatiuus*, aut *nimis generalis* admittendus est, si reus nihil opponit, et ex contextu orationis certa ac definita agendi causa elucet (*b*). 3. Eiusmodi libellum *emendare* et explicare actori semper licet (*c*). 4. Si vero actor libellum *mutare*, id est, aliam agendi causam substituere, vel rem plane diuersam petere velit; nouum libellum exhibere, et sumtus litis, quos reus ob vitium libelli fecit, eidem reddere debet (*d*).

(*a*) Cap. 15. *de Iudic.* (*b*) Cap. 6. *eod.* (*c*) Cap. 3. *de Dilat.* (*d*) §. 35. Instit. *de Act.* L. 3 Cod. *de Edend.* Cap. 15 *cit.*

CAPVT II.
DE CITATIONE ALIISQVE ACTIBVS IVDICII GENERALIBVS.

II. 7. De Iuramento calumniae.
— 8. De Dilationibus.
— 14. De dolo et contumacia.
— 16. Vt lite pendente nihil innouetur.
— 17. De sequestratione possessionis et fructuum.

§. 1072. Actus iudicii generales.

Oblato libello iudicis est, omnes alios iudi-

cii actus dirigere, de iisque recte atque ordine expediendis decernere. Eius rei efficiendae subsidia sunt 1. *citationes* aliaque *decreta*, 2. *dilationes*, 3. poenae in *contumaciam* constitutae, 4. iusiurandum *calumniae*. Et hos quidem actus, quia in pluribus iudicii partibus obueniunt, *generales* appellamus.

§. 1073. Citatio, Decretum simplex.

Citatio est decretum iudicis, ei, ad quem illud pertinet, rite insinuatum, vt is ad actum iudicialem expediendum in iudicio compareat. Quodsi iudex actum quendam, non autem praesentiam in iudicio alicui iniungit, eiusmodi iussus *decretum simplex* dicitur, eandem sicut citatio parendi necessitatem inducens. Iudex autem, siue citet, siue simpliciter iubeat, *competens* sit, necesse est (*a*). Si incompetens videtur, exceptio fori declinatoria eidem opponi potest, ab ipso tamen iudice cognoscenda (*b*).

(*a*) L. 20. *de Iurisdict.* Hinc iudex delegatus in ipsa citatione fidem delegationis suae facere citato debet. Cap. 31. *de Off. iud. deleg.* Cap. 2. *de Dilat.*
(*b*) *Praetoris est enim aestimare, an sua sit iurisdictio; vocati autem, non contemnere auctoritatem praetoris.* L. 5. *de Iudic.*

§. 1074. Citatio verbalis et realis.

Citatio, quae verbis vel scriptura fit, *verbalis*, quae apprehensione personae per apparitores efficitur, *realis* audit. Sed haec non tam citatio est, quam prouisio, ne citatio inutilis fiat, et ideo non nisi aduersus suspectos de fuga, et valde contumaces adhiberi potest (*a*).

(*a*) L. 8. Cod. *quomod. et quando.* Cap. 15. *de Sent. excom.* in VI.

§. 1075. Illa vel priuata vel publica.

Citatio *verbalis*, quae citato *priuatim* vel *in faciem*, vel *ad domum*, vel, si nemo recipiat, *ad fores* aedium insinuatur, *ordinaria* et *priuata* (*a*), quae fit per edictum, publice propositum, vel per vocem praeconis *extraordinaria*, *edictalis* et *publica* vocatur (*b*). *Illa* vel *immediata* vel *mediata* est, prouti iudex in causa eam vel sua, vel alterius iudicis, in cuius territorio forte citandus degit, auctoritate exequitur. *Haec* tum demum locum habet, si illa adhiberi non potest, veluti si citandus latet (*c*), vel ignotus est (*d*), vel alius iudex, eam ob rem rogatus, officium denegat (*e*).

(*a*) L. 1. §. 1. *de agnosc. et alend. lib.* L. 4. §. 5. 6. *de damn infert.* Cap. 4. *de eo, qui mitt. in possess.* Cap. VII. pr. *de for. comp.* in Clem. (*b*) Nouell. CXII. Cap. 3. (*c*) Cap. 10. *de dol. et contum.* (*d*) Cap. 11. *de cler. non resid.* (*e*) Cap. 1. *de Iudic.* in Clem.

§. 1076. Citatio monitoria vel arctatoria.

Est porro citatio alia *monitoria*, quae citati arbitrio relinquit, vtrum in iudicio comparere, actuique expediendo interesse velit, nec ne (*a*), alia *arctatoria*, quae parendi necessitatem imponit, et haec rursus vel *simplex* seu *dilatoria* est, quae sine comminatione, vt quis se sistat, praecipit, vel *peremtoria*, qua iudex simul comminatur, etiam absente citato cogniturum se, et pronuntiaturum (*b*). Primam et secundam

citationem iudex tantum dilatoriam, tertiam demum, vel, vti nunc fieri solet, vnam, trinae dilatoriae spatium continentem, peremtoriam facere potest (*c*).

(*a*) Cap. 2. *de Testib.* (*b*) L. 71. *de Iudic.* Secundum ius commune in citatione dilatoria decem, in peremtoria triginta dies citato ad parendum concedendi sunt. L. 68. 69. 70. *eod.* Caeterum eodem sensu alia quoque iudicis *decreta* (§. 1073.) in *dilatoria* et *peremtoria* diuiduntur. (*c*) L. 72. *eod.* L. 53. §. 1. *de re iudic.* L. 8. Cod. *quom. et quand.*

§. 1077. Iustae citationis forma.

Prima atque praecipua citatio est, qua reus ad libellum actoris in ius vocatur. Et haec potissimum citatio complecti debet 1. *nomina* iudicis, actoris et rei; 2. *causam*, ob quam citatio decreta est, eamque sic descriptam, vt citatus plane cognoscere possit, qua de re conueniatur (*a*); 3. *locum* iudicii, honestum vtique, ac tutum (*b*); 4. *diem*, quo citatus adesse debeat, eumque nec nimis propinquum, nec in feriatum incidere oportet (*c*).

(*a*) Vnde vel libelli exemplum citationi includi, vel illius summa in ea repeti solet. Causa citationis non satis expressa, citatus comparens respondere non tenetur, nisi dato ad deliberandum viginti dierum spatio. Auth. *Offeratur* ad L. 1. Cod. *de Lit. contest.* Cap. 2. *de Dilat.* (*b*) Cap. 4. *Vt lit. non contest.* Cap. 47. *de Appellat.* (*c*) L. 1. *de fer. et dilat.* Cap. 1. 5. *de fer.* Cap. 1. *de Dilat.*

§. 1078. Effectus citationis, lis pendens.

Citatio haec, rite insinuata, primus est quasi introitus iudicii. Praeterquam enim quod prae-

scriptionem interrumpit (§. 974.), iurisdictionem delegati firmat (§. 999.), et praeuentioni locum facit (§. 1004) *rem* quoque, si actio realis, *actionem* vero, si personalis instituta sit, *litigiosam* reddit, *litis* igitur *pendentiam* (*a*), eamque adeo legem inducit, vt, quamdiu lis coepta per sententiam iudicis aut partium conuentionem plane finita non est, nihil in praeiudicium alterutrius partis innouetur. *Lite* igitur *pendente* 1. tum actionis motae cessio, tum rei petitae alienatio, nisi ex iusta causa, aut sine incommodo aduersarii fiat, prohibita, adeoque nulla est (*b*); 2. possessori commoda possessionis (§. 1044.) relinquenda sunt (c); 3. innouationem, quouis modo factam, pars laesa de vitio litigiosi arguere, reique in priorem statum reductionem petere (*d*); 4. quin et rescriptum, ab altera parte fors impetratum, exceptione subreptionis impugnare potest (*e*).

(*a*) Vim hanc litis contestationi tribuit Cap. 30. *de V. S.;* sed huic derogauit Cap. 2. *Vt lit. pend.* in Clem. (*b*) L. 2. 4. Cod. *de Litig.* Can. 50. XI. q. I. Cap. 3. 4. *Vt lit. pend.* Hinc etiam irrita est quaeuis prouisio, de beneficio eccles. litigioso facta. Cap. 1. 2. *eod.* in VI. (*c*) Cap. 1. 2. *eod.* (*d*) Cap. 3. *eod.* (*e*) L. 2. Cod. *eod.* Cap. 1. 5. *eod.*

§. 1079. Sequestratio iudicialis.

Sequestratio est, cum custodia rei litigiosae ea lege tertio, *sequestro*, demandatur, vt, finita lite, victori restituatur (*a*). Sequestratio, quae ex consensu litigantium fit, *voluntaria* (*b*), quae decreto iudicis constituitur, *necessaria* seu *iudicialis* vocatur. Sed hanc, ceu innouationem

ordinarie prohibitam, iudex tum demum decernere potest (*c*), si, causa cognita, appareat, eam plane necessariam esse, vel ad rem litigiosam victori conseruandam (*d*), vel ad reum in comparendo contumacem cogendum (*e*). Cessat autem haec necessitas, adeoque et sequestratio, si reus idoneam cautionem offerat (*f*).

(*a*) L. 110. *de V. S.* (*b*) L. 6. *Depos.* L. 39. *de Solut.* (*c*) L. vn. Cod. *de prohib. sequestr.* (*d*) Si nempe merito timendum est, ne reus aufugiat, rem corrumpat, aut fructus, quos seruare deberet, consumat. L. 7. §. 2. *Qui satisd. cog.* L. 21. §. 3. *de Appellat.* Cap. 2. 3. *de Sequestr. poss.* (*e*) Cap. 2. *de dol. et contum.* (*f*) L. 7. Cod. *de ord. cognit.* Cap. 7. *de donat. int. vir. et vx.*

§. 1080. Alia rerum, alia personarum.

Sequestratio proprie *rerum* est; ex iure autem canonico ad *personas* quoque pertinet. Ita nempe puella, si plures eam sibi desponsatam esse contendunt, et de vi eidem inferenda timetur, in loco tuto ac honesto, donec lis inter sponsos finita sit, deponenda (*a*), nec non vxor, si ob saeuitiem mariti discessit, nisi is sufficientem cautionem de securitate dederit, probae ac honestae mulieri vsque ad causae decisionem committenda est (*b*). Id porro in iure nostro speciatim cautum est, vt beneficium ecclesiasticum, contra cuius possessorem, non *triennalem* (§. 625), sententia definitiua in possessorio vel petitorio lata est, sequestro tradatur, ab eodem, pendente appellatione, fideliter administrandum (*c*).

(*a*) Cap. 14. *de Sponsal.* (*b*) Cap. 8. 13. *de Restit. spol.* (*c*) Cap. vn. *de Sequestr. possess.* in Clem.

§. 1081. Dilatio legalis, iudicialis et conuentionalis.

Dilatio est spatium temporis, ad actum iudicialem expediendum vel ab ipsa lege, vel a iudice, vel a partibus sibi inuicem praefiniti: vnde vel *legalis* vel *iudicialis*, vel *conuentionalis* dilatio dicitur, et, si certum dierum, intra quos actus expediri debeat, numerum ponit (*a*), *dilatio speciatim*, seu *terminus intra quem*, si certum diem, quo praecise actus expediendus sit, praefigit, *terminus* simpliciter, seu *fixus* appellatur. Dilatio porro *legalis* est vel *absolute talis*, seu adeo fixa, vt nec a iudice, nec a partibus contrahi aut prorogari queat, vel *secundum quid* talis, sic nempe definita, vt pro causarum, locorum ac personarum ratione arctari vel prorogari possit. *Illam* lex ipsa, *hanc* iudicis decretum partibus indicit, eaque propterea dilationis *mere iudicialis*, et ex decreti formula vel *dilatoriae*, vel *peremtoriae* rationem habet (*b*).

(*a*) Diebus hisce etiam feriati annumerantur L. 3. Cod. *de dilat.*; dies autem insinuatae dilationis non computatur. Arg. L. 1. *Si quis caut.* (*b*) L. 72 *de Iudic.* L. 1. Cod. *de Dilat.* Cap. 15. *de Sentent. et re iud.* Cap. 5. *de Appellat.*

§. 1082. Prorogatio dilationis.

Prorogatio dilationis iudicialis, etiam peremtoriae, modo nondum elapso eius tempore vel die, et ob probabile impedimentum petita sit, denegari non potest (*a*). Secunda autem prorogatio, quae re ipsa tertia est dilatio, ex

mente iuris canonici non est concedenda (*b*), nisi impedimentum manifestum sit, aut iuramentum malitiae (§. 1088.) offeratur, quod et iudex exigere potest (*c*). Caeterum dilatio petita, et non negata, tacite concessa videtur, et a fine prioris dilationis currere incipit.

(*a*) L. 36. *de Iudic.* L. 4. Cod. *de Dilat.* (*b*) Cap. 2. *de V. S.* in Clem. Conc. Trid. XXV. Cap. 10. (*c*) Cap. 2. §. 2. *de Iur. calum.* in VI.

§. 1083. Contumacia.

Contumacia hic est neglectio obedientiae iudici debitae, ab actore vel reo commissa. Eius alteruter se reum facit, 1. si *arctatorie* citatus praefinito die vel omnino non comparet, vel comparet quidem, sed, quod facere deberet, non facit; 2. si alia iudicis decreta et iussa suo tempore non exequitur (*a*). Hoc illudue dolo, vel culpa fit; vnde contumacia vel *dolosa*, vel *culposa*, et *illa* rursus, si de rite insinuato iussu iudicis plane constat, *vera* (*b*), sin minus, *praesumta* dicitur (c); praesumitur enim, insinuationem rite factam esse, donec contrarium probetur.

(*a*) L. 53. *de re iudic.* Cap. 3. *de dol. et contum.* Cap. 7. *de Appellat.* Cap. 2. *de Confes.* in VI. (*b*) L. 199. *de R. I.* (*c*) Cap. 7. §. 1. *de Sent. excom.* in VI.

§. 1084. Poena contumaciae publica et priuata.

Poena contumaciae est vel *publica*, veluti mulcta aut citatio realis, qua nempe iudex auctoritatem suam tueri potest (*a*), vel *priuata*, cuius persequendae ius alter litigantium habet,

eaque rursus vel *generalis* est, quae solutione expensarum luitur, vel *specialis*, quae insuper actum neglectum posthac suscipiendi ius perimit.

(*a*) Olim iudices ecclesiastici contumaces excommunicationis vinculo coercere solebant. Cap. 1. 3. *Vt lit. non contest.* Cap 8. *de dol. et contum.* Cap. 19. *de Appellat.* Sed hanc seueritatem Conc. Trid. XXV. Cap. 3. ita temperauit, vt ex grauioribus tantum causis, et tum demum ea vti liceat, si nec realis, nec personalis executio per ipsos iudices ecclesiasticos fieri possit.

§. 1085. Alterutrius irrogatio.

Qua de re hasce regulas habemus: 1. Poena publica *ex officio* quidem; sed tum demum recte irrogatur, si contumacia admodum proterua sit, aut poena priuata adhiberi modo non possit (*a*). 2. Poena priuata non nisi *ad instantiam* alterius partis, accusata nempe, satisque probata contumacia, decerni potest (*b*). 3. Poena priuata *generalis* ob quamcunque contumaciam, culposam aeque ac dolosam, soluenda est (*c*); *specialis* autem contumaciam aduersus decretum *peremtorium*, et quidem *dolose* admissam ponit (*d*). 4. De contumacia accusatus vel damnatus, si probet, se, quo minus decreto iudicis satisfaceret, vere, nec sua culpa impeditum fuisse (*e*), absoluendus (*f*), vel in integrum restituendus est (*g*).

(*a*) Cap. 4. §. 1. *de Off. iud. deleg.* Cap. 5. *de dol. et contum.* (*b*) L. 13. §. 2. Cod. *de Iudic.* (*c*) Cap. 6. in fin *de dol. et contum.* Cap. 1. *eod.* in VI. (*d*) Cap. 3. 4. *eod* Cap. 24. *de Offic. iud. deleg.* Qui decreto *dilatorio* non paruit, accusante aduersario peremtorie monendus, et in expensas condemnandus est.

(*e*) Veluti quod citatio ad se non peruenerit, vel alio iusto impedimento detentus fuerit. Eiusmodi impedimenta in L. 2. 3 4. *si quis caut. in iud. sist.* recensentur, non exclusis aliis, arbitrio iudicis aestimandis. (*f*) L. 53. §. 2. *de re iud.* (*g*) Ex L. 25. *Ex quib. caus. maior.*

§. 1086. Iuramentum calumniae.

Iusiurandum calumniae est, quo litigans in iudicio asseuerat, se non animo alterum vexandi, litemque protelandi, sed bona fide agere, acturum esse (*a*), idque prouti vel totius iudicii, vel certi tantum actus causa datur, vel *generale*, vel *speciale*, seu *malitiae* dicitur. Vtrumque per procuratorem, speciali mandato instructum, et pro ecclesia vel domo religiosa per oeconomum aut syndicum praestari potest (*b*).

(*a*) L. 233. pr. *de V. S.* (*b*) Cap. 3. 4. 5. *h. t.* Cap. 3. *eod.* in VI.

§. 1087. Generale.

Iuramentum calumniae *generale* a IVSTINIANO inuentum (a), 1. dare debent omnes, tum clerici tum laici (*b*), siue suo, siue alieno nomine litigent (*c*), et quidem 2. in causis spiritualibus aeque ac temporalibus (*d*), etsi *summarie* pertractandis (*e*); 3. dandum porro est in ipso litis exordio, hoc est, statim post litem contestatam, quin partes illud *expresse* sibi remittere possint (*f*); 4. quodsi initio litis datum non est, iudex illud in quauis iudicii parte exigere potest (*g*). 5. Qui iurare illud recusat, si actor est, causa cadit; si reus, pro

confesso habetur (*h*); si procurator aut syndicus, ad postulandum non admittitur. 6. Cum vero nec a partibus, nec a iudice exactum est, iudicium ideo nullum non est (*i*).

(*a*) §. 1. Instit. *de poen. temer. litig.* L. 2. Cod. *de iuram. propt. calumn.* (*b*) Cap. 5. *h. t.* Sed episcopus, inconsulto summo pontifice, et clericus, inconsulto suo praelato, calumniam, vti Cap. 1. *h. t.* cautum est, iurare non audeat. (*c*) Cap. 2. §. 1. *h. t.* in VI. (*d*) In Cap. 2. *h. t.* excipiuntur causae spirituales; sed huic in Cap. 1. §. 2. *h. t.* in VI. derogatum est. (*e*) Cap 2. *de V. S.* in Clem. (*f*) L. 2. pr. §. 4. Cod. *cit.* Cap. 1. *h. t.* (*g*) Cap. 1. pr. *h. t.* in VI. (*h*) Cap. 7. §. 1. *h. t.* (*i*) Cap. 1. §. 1. *h. t.* in VI.

§. 1088. Speciale, seu malitiae.

Iuramentum calumniae *speciale*, 1. etsi *generale* datum iam sit, et alter ab altero exigere, et ipse etiam iudex iniungere potest (*a*), idque 2. ratione cuiusuis actus iudicialis, ab alterutra parte suscipiendi, de malitia autem vel ipso iure (*b*), vel iusto iudicis arbitrio suspecti (*c*); 3. exactum et a iudice probatum praestare recusans commodo illius actus excidit, propter quem iurandum erat (*d*).

(*a*) Cap. 2. §. 2. *h. t.* in VI. (*b*) Ipso iure suspectus est, qui probationis loco iusiurandum alteri defert L. 34. §. 4. *de Iureiur.*, qui quarta vice nouos testes producit cap. 55. *de Testib.*, qui exceptiones dilatorias iusto serius proponit cap. 4. *de Except.* (*c*) Cap. 2. §. 2. *cit.* (*d*) L. 37. *de Iureiur.* Iuramentum calumniae *generale* vbique fere sublatum, *speciale* autem legibus locorum varie circumscriptum, in terris *Badensibus* vtrumque plane abrogatum est. Vid. *Eidesordnung.* §. 14.

CAPVT III.

DE LITIS CONTESTATIONE PARTIVMQVE DISCEPTATIONE.

II. 5. De Litis contestatione.
— 15. De eo, qui mittitur in possessionem rei seruandae causa.
— 25. De Exceptionibus.

§. 1089. Introitus.

Citationem rei, ad libellum actoris emissam, sequitur ipsa causae in controuersiam adductae disceptatio, et cognitio. Huc pertinent 1. *litis contestatio*, et, qua reus aduersus intentionem actoris se tuetur, *exceptio*. 2. Vlterior tum actionis, tum exceptionis euolutio, et propugnatio, quoad eius ad plenam causae cognitionem opus est.

§. 1090. Litis contestatio.

Litis contestatio est responsio rei, intentioni actoris contradicens, coram iudice, et animo iudicium cum actore subeundi edita (*a*). Animus hic ex ipsa contradictione colligitur, nisi, eam alia mente factam fuisse, appareat.

(*a*) L. vn. Cod. *de L. C.* Cap. vn. *eod.* Cap. 54. §. 3. *de Elect.*

§. 1091. Eius necessitas.

Cum nullum sit iudicium, vbi nulla est lis; facile patet, litis contestationem in omni

iudicio necessariam, et, si non *solenniter*, seu in scriptis, vti in iudicio ordinario, verbis saltem, faciendam esse, adeoque irritam fore sententiam, ea neglecta, prolatam (*a*).

(*a*) Cap vn. *de Lit. contest.* Cap. 2. *de V. S.* in Clem.

§. 1092. Negatiua est, vel affirmatiua litis contestatio.

Est autem litis contestatio 1. *generalis*, qua reus summatim, et vno quasi verbo intentioni actoris contradicit, vel *specialis*, qua ad singulos libelli articulos affirmando, vel negando respondet (*a*); 2. *negatiua*, si reus factum et petitum actoris negat, vel *affirmatiua*, si factum quidem verum esse agnoscit, sed exceptionem petito contrariam opponit.

(*a*) Secundum ius commune *illa* sufficit; sed *hanc* Rec. Imp. Nou. §. 37., ex eoque leges prouinciales ita requirunt, vt, quod reus *expresse* non negauit, pro *tacite* confesso habeatur. Cum vero ex *illa* haud appareat, quid proprie controuersum, quaue de re iudicium faciendum sit; inde *positionum* et *articulorum* cum *iuramento dandorum* et *respondendorum* vsus inualuit, in iure quidem nostro cap. 1. 2. *de Confess.* in VI. Cap. 2. *de V. S.* in Clem. laudatus, nunc autem superfluus, vbi litis contestatio *specialis* praecepta est.

§. 1093. Contumacia in lite contestanda.

Quodsi litis contestandae causa legitime citatus contumax sit, refert, actor, an reus culpam hanc admiserit. Si *actor*, tunc reus expensas ab eo repetere potest, nec denuo agenti respondere tenetur, nisi accepta cautione de lite prosequenda (*a*). Si *reus*, is actori expen-

sas soluere debet, et, si *peremtorie* citatus fuit, olim quidem missione in bona ex *primo*, dein ex *secundo decreto* coercebatur (*b*); nunc autem, quod ius canonicum pro certis tantum causis constituit (*c*), ita generaliter receptum est, vt lis pro negatiue contestata habeatur, actoris igitur probationes audiantur, et pro earum ratione sententia pronuntietur (*d*). Vnde litis contestatio in *veram* quoque et *fictam* diuidi solet.

(*a*) L. 73. §. 1. 2 *de Iudic.* L. 15. Cod. *eod.* Cap. 1. *de dol et contum.* in VI. (*b*) L. 7. *Quib. ex caus. in possess eat.* Cap 1—4 *de eo qui mitt. in possess.* Cap. 4. *de dol. et contum.* (*c*) Cap. 5. §. 1. *Vt lit non contest.* Cap vn. *de eo, qui mitt. in poss.* in VI. (*d*) Rec. Imp. nouiss §. 36.

§. 1094. Effectus litis contestatae.

Litis contestatio vtriusque partis consensum, iudicio se committendi, declarat, ideoque *quasi contractum* inter actorem et reum, ac proinde *nouationem* inducere censetur (*a*). Hinc, lite contestata, 1. actiones temporales perpetuae (*b*), immo et tricennales quadragenariae (*c*) fiunt; 2. actiones cum personis alioquin morituræ in heredes transeunt (*d*); 3. possessori mala fides affingitur, vt et quosuis fructus ex eo tempore victori restituere teneatur (*e*).

(*a*) L. 3 §. 11. *de Pecul.* L. 29. *de Nouat.* (*b*) L. 8. §. 1. *de fideius. et nominat.* L. 9. §. 3. *de Iureiur.* (*c*) L. 9. Cod. *de Praescript. 30. vel 40. an.* (*d*) L. 58. *de O. et A.* L. 139. 164. *de R. I.* (*e*) L. 22. Cod. *de R. V.* L. 10. Cod. *de acq. et retin. posses.*

§. 1095. Exceptio, eiusque species.

Interim reo saluum manet ius defensionis,

cuius causa proditae sunt *exceptiones*, seu rationes, queis reus intentionem actoris impugnare, et depellere potest. Exceptio, quae actionem tantum suspendit, ac differt, actorique ad tempus tantum nocet, *dilatoria* seu *temporalis*; quae ius agendi plane excludit, itaque agere volenti semper obstat, *peremtoria*, seu *perpetua* vocatur (*a*). *Illa*, si personam iudicis petit, veluti quod suspectus aut incompetens sit, *fori declinatoria*; si aliunde, veluti a persona actoris, modo agendi, vel ab ipsa causa ducitur, *dilatoria* speciatim appellatur.

(*a*) L. 2. 3. *de Except.* §. 8. seq. Instit. *eod.*

§. 1096. Exceptiones dilatoriae.

Exceptiones *dilatoriae* ante litem contestatam proponendae sunt (*a*), post hanc vel ideo non admittendae, quod reus, iis non oppositis, litem contestatus eisdem renuntiasse videatur (*b*). Hinc facile patet, cur etiam post litem contestatam admittantur, si vel post emerserint (*c*), vel, tum demum eas sibi innotuisse, reus iurauerit (*d*), vel eius generis sint, quibus probatis iudicium nullum redditur (*e*).

(*a*) L. 13. Cod. *de Except.* (*b*) Cap. 20. *de Sent. et re iud.* Sed exceptio excommunicationis in quauis iudicii parte opponi potest. Cap. 12. *de Except.* Cap. 1. *eod.* in VI. Cap. VII. *eod.* in Clem. (*c*) Cap. 4. *de Except.* (*d*) Cap. 4. *cit.* (*e*) Cap. 4. in fin. *de Procurat.*

§. 1097. Exceptiones peremtoriae.

Exceptiones *peremtoriae* secundum ius commune quouis processus tempore opponi pos-

sunt, modo ante sententiam proferantur (*a*); ex nouo autem iure, in Germania recepto, omnes eodem, quo lis contestanda est, tempore simul proponendae sunt, vt adeo, quas reus tunc silentio praeteriit, in progressu litis admittere non liceat (*b*), nisi vel postea exortae sint, vel antea reus de iis plane ignorauerit, idque adiurare paratus sit (*c*).

(*a*) L. 8. 9. Cod. *de Except.* L. 2. Cod. *Sent. rescind. non posse.* (*b*) Rec. Im. Imp. Nou. §.§. 37. 40. (*c*) Rec. Imp. cit. §. 78.

§. 1098. Regulae de iis generales.

De exceptionibus porro generatim annotamus: 1. Omnis exceptio, rite probata, eam vim habet, vt reus, prouti vel dilatoria, vel peremtoria est, vel *ab instantia*, vel ab *ipsa actione* absoluendus sit (*a*). 2. Cum omnis exceptio intentioni actoris aduersetur, vtique *eam obiiciens non videtur de intentione aduersarii confiteri* (*b*). 3. Qui exceptionem *dilatoriam* proponit, iudicium nunc saltem declinare, qui *peremtoriam*, illud penitus a se depellere nititur. Sola igitur exceptio sicut animum a susceptione iudicii alienum prodit, ita litis contestationem haud efficit (*c*). 4. Omnis enim exceptio, quae vel euidenter iusta est, quaeue *in continenti*, per confessionem scilicet aduersarii vel instrumenta indubitata probari potest, litis contestationem superfluam reddit, itaque, *litis ingressum*, prouti dilatoria vel peremtoria est, vel ad tempus, vel perpetuo *impedit* (*d*). 5. Omnis contra exceptio, quae vel per se liquida, vel in conti-

nenti probata non est, causae controuersae partem constituit, litisque adeo contestandae necessitatem inducit (*e*), saluo nimirum exceptiones deinceps probandi iure. Atque hanc litis contestationem *euentualem* appellare solent, eo quod sub conditione, *si iustae exceptiones non sint*, facta intelligatur.

(*a*) Cap. 15. *de Iudic.* (*b*) L. 9. *de Except.* Cap. 63. *de R. I.* in VI. (*c*) Cap. 2. *de Lit. contest.* in VI. (*d*) In Cap. 1. *de Lit. contest.* in VI. tres tantum *exceptiones*, *litis ingressum impedientes*, memorantur, rei iudicatae scilicet, transactae alioue modo plane finitae; interpretes autem omnes alias *peremtorias* (quid ni et *dilatorias*) *in continenti liquidas* eiusdem conditionis esse, tradunt. (*e*) Cap. 2. *de Lit. contest.* in VI.

§. 1099. Replicatio, duplicatio, conclusio in causa.

Sicut audita exceptione actori datur *replicatio*, seu defensio actionis suae aduersus exceptiones rei; ita reo *duplicatio*, seu defensio exceptionis suae aduersus replicationem actoris concedenda est. Responsio, quam actor duplicationi opponit, *triplicatio*, et, qua reus hanc impugnat, *quadruplicatio*, audit (*a*). Et sic multiplicantur nomina, dum aut reus, aut actor obiicit (*b*). Declaratio autem partium, se nihil amplius, quod proponant, habere, causamque ideo iudici ad ferendam sententiam submittere, *conclusio in causa* vocatur (*c*).

(*a*) Pr. et §. 1. et §. 2. Instit. *de Replicat.* L. 24. *de Except. rei iud.* (*b*) L. 2. §. 3. *de Except.* (*c*) Can. 11. XXX. q. V. Cap. 5. *de caus. possess.*

§. 1100. Regulae hic obseruandae.

Eam in rem annotamus: 1. Conclusio in

causa partibus quidem facultatem adimit nouas probationes vel exceptiones afferendi (*a*); iudicem vero non impedit, quo minus, si quid dubitationis de facto occurrit, partes interrogare, nouasque probationes exigere possit (*b*). 2. In plerisque iudiciis post duplicationem vlteriori disceptationi locus non datur; causa igitur, ni partes sponte concludant, ex officio pro conclusa habetur. 3. Quodsi tamen reo nouas exceptiones proferre licuit, triplicatio et quadruplicatio merito admittitur. 4. Quantopere autem mutua partium disceptatio producatur, vltima responsio semper rei est, eaque actori ad notitiam tantum exhibetur.

(*a*) Cap. 5. *de caus. possess.* Cap. 9. *de Fid. instrum.* Qua autem ratione nouas exceptiones, eadem nouas quoque probationes post conclusionem in causa afferre licet. (*b*) Cap. 10. §. Verum *eod.*

CAPVT IV.

DE PROBATIONE IVDICIALI GENERATIM.

II. 6. Vt, lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitiuam.
— 18. De Confessis.
— 19. De Probationibus.
— 23. De Praesumtionibus.

§. 1101. Probatio iudicialis.

Sicut partibus ius dicere iudicis, ita partium

est de factis, quibus iura sua superstruunt, iudici fidem facere. Actus, quo ab alterutro litigantium in iudicio id fit, *probatio iudicialis* dicitur. Itaque 1. nec iura, lege generali constituta, nec facta, quae vel iudici ex actis bene nota sunt, vel ad causae decisionem nihil conferunt, probatione indigent. 2. Facta autem, quae inter partes controuersa sunt, atque momentum ad litis decisionem afferunt, vti et personarum rerumque affectiones, ab eiusmodi factis pendentes, probatione omnino egent.

§. 1102. Eius species.

Probatio varie diuiditur, et quidem, quod sit 1. *inartificialis*, qua ipsum, de quo quaeritur, factum *immediate*, puta per *testes*, *instrumenta*, aut *iusiurandum* (*a*) probatur, vel *artificialis*, qua factum probandum ex alio facto, *immediate* probato, infertur; 2. *plena*, cui leges veritatem euincendi vim tribuunt, vel *minus plena*, quae tantam vim non habet, itaque vel *semiplena*, vel *maior minorue* ea esse potest; 3. *probatio speciatim* sic dicta, quae ab alterutro litigante de facto, a se asserto, suscipitur, vel *reprobatio*, quae fit ad elidendam probationem, ab altero susceptam, eaque, si tendit ad probandum contrarium eius, quod alter probare conatur, *directa* (*b*), si ad probandum factum, quo exceptio peremtoria, nititur, *indirecta* appellatur.

(*a*) Huc quoque pertinet *inspectio* ocularis L. 8. §. 1. *Fin. regund.* L. 4. pr. *de damn. infect.*; item *iudicium artis peritorum* L. 1. pr. *de ventr. inspic.*

Cum vero vterque probandi modus testificationes et scripturas ponit, consequens est, vtrumque ad leges de probatione per testes et instrumenta constitutas exigendum esse. (*b*) Cap. 9. §. indulto *de Probat.*

§. 1103. Praesumtio iuris vel hominis, fictio iuris.

Probationis artificialis species ets *praesumtio*, cum nempe quod re ipsa dubium ac incertum est, ob rationes probabiles pro vero ac certo assumitur, ex eoque, quod probandum est, infertur. Praesumtio, quae expressa lege constituta est, *iuris*, quae praeter legem ex rei natura et circumstantiis colligitur, *hominis* vocatur. *Haec* aliquam pro gradu probabilitatis, nunquam tamen *plenam* probationem facit (*a*); *illa* autem *plene* probat, et quidem vel *interim* saltem, et *sub conditione*, nisi contrarium ab altero probetur, vel *simpliciter* et *absolute*, probatione contrarii penitus exclusa. Priori respectu *praesumtio iuris speciatim* (*b*), posteriori *iuris et de iure* (*c*) dicitur. Ab vtraque differt *fictio iuris*, qua, quod certo factum est, non factum esse, et contra sumitur (*d*). *Praesumtio iuris*, deficiente rei veritate, in foro *externo* tantum valet; *fictio*, non obstante falsitate, in foro etiam *interno* securum reddit.

(*a*) Probatio scilicet iudicialis plena et perfecta non est, nisi *vt talis* a lege agnita, et comprobata sit; praesumtio autem hominis non expressa lege, sed sola probabilitate nititur. (*b*) Exempla sunt in L. 24. *de Probat.* in Cap. 3. 6. 15. *de Praesumpt.* Cap. 3. in fin. *de presbyt. non baptiz.* Cap. 2. *de restit. spol.* in VI. (*c*) Exempla habentur in Cap. 12. *de Praesumt.* Cap. 30. *de Sponsal.* Cap. 6. *de condit. appos.* L. 207. *de R. I.* Cap. 15. *de Sentent. et re*

iudic. (*d*) Exempla sunt in L. 16. 18. *de Captiu. et postlim.* Cap. 13 15. *de cler. non resid.* Cap. 10. 36. 72. *de R. I.* in VI.

§. 1104. Partes iudicis circa probationem.

Officium iudicis circa probationem in eo consistit, 1. vt, si probatio ab alterutra parte sponte suscepta non est (*a*), an necessaria ea sit, dispiciat; 2. vt, siquidem necessaria videtur, pronunciet, quis probare debeat, quid probandum, et intra quod tempus probatio adeunda sit; 3. vt, quidquid ad probationem rite absoluendam pertinet, decernat, effectumque reddat; 4. vt reprobationem *directam* arbitrio partium relinquat, cum eius suscipiendae ius quidem sit, nulla autem obligatio.

(*a*) L. 14. *de Probat.*

§. 1105. Onus probandi cui incumbat.

Quis autem probare, cuique ideo iudex *onus probandi* iniungere debeat, ex probationis notione patescit. Quicunque scilicet intentionem suam facto *dubio* superstruit, factum illud probet, necesse est. Hinc 1. sicut, lite *negatiue* contestata, actor fundamentum actionis (*a*), ita, lite *affirmatiue* contestata, reus fundamentum exceptionis suae probare tenetur (*b*). 2. Plerumque igitur affirmanti, non neganti incumbit probatio (*c*); verum, si praesumtio iuris affirmationi fauet (*d*), negationi contra obstat (*e*), contrarium vtriusque dicendum est. 3. Facti, plane et simpliciter negati, per rerum naturam nulla probatio est (*f*), per testes

scilicet, vel instrumenta; per confessionem vero, vel iusiurandum, vel modum probandi artificialem eius vtique probatio dari potest (g).

(a) L. 21. *de Probat.* L. 9. Cod. *de Except.* Can. 1. VI. q. V. Actore non probante, absoluendus est reus, etsi nihil omnino probauerit, vel probationem, sponte fors susceptam perficere non potuerit. L. 4. Cod *de Edend.* Cap 3. in fin. *de caus. possess.* Cap. vn. pr. *Vt eccles. benef. sine dimin.* (b) L. 19. *de Probat* L. 1. Cod. *eod.* Cap. 3. *eod.* Cap. 5. in fin. *de Renunt.* (c) L. 2. *de Probat.* (d) L. 2. Cod. *eod.* (e) L. 5. 8. *eod.* L. 25. §. 4. *eod.* Cap. 14. *de fid. instrum.* (f) L. 23. Cod. *de Probat.* Cap. 11. *eod.* Cap. 23. *de Elect* Can. 2. VI. q. V. (g) L. 11. pr. L. 13. §. 1. *de Iureiur.* Cap. 1. *de Confess.* in VI.

§. 1106. Probatio in perpetuam rei memoriam.

Cum ante litis contestationem haud satis constet, quid controuersum, quid igitur, et a quo probandum sit; consequens est, vt, lite demum contestata, testes recipi, aliaeque probationes, ad summam causae pertinentes, institui recte possint, excepta probatione, quae *in perpetuam rei memoriam* dicitur, iure *canonico* introducta (a), vi cuius probatio sicut per testes, ita et per instrumenta, et ocularem inspectionem ante litem contestatam, immo ante actionem motam admittitur, vt ne insons, siue actor, siue reus, ius suum probandi occasione priuetur.

(a) Eam vero iure *ciuili* constitutam esse, putauit pontifex in Cap. 4. *de confirm. vtil.*

§. 1107 Tum a reo, tum ab actore adhibenda.

Ex hoc iure 1. *reus*, si, se conuentum iri,

praeuidet, actore quasi ex insidiis cunctante, petere potest, vt testes, ad probandam exceptionem aliquando necessarii, audiantur, eorumque testimonia actis inscribantur (*a*); 2. *actor* eandem cautionem adhibere potest, si reum conuenire nequit, illi autem, quibus ad probationem indiget, senes, valetudinarii, aut longe peregrinaturi sunt: tum vero intra annum vel actionem mouere, vel factam testificationem aduersario indicare debet, secus in irritum redigitur, quod actum est (*b*).

(*a*) Cap. 41. 43. *de Testib.* (*b*) Cap. 5. pr. *Vt, lit. non contest.*

§. 1108. Confessio.

Superuacanea est quaeuis probatio, vbi confessio aduersarii habetur. *Confessio* autem hic est declaratio, qua quis factum, ex quo alter ius sibi tribuit, a se admissum esse, agnoscit, eaque 1. si in iudicio, et coram iudice competente fit, *iudicialis*, secus *extraiudicialis* vocatur. *Illa* vel *expressa* est, verbis nempe, vel litteris edita, vel *tacita* seu *ficta*, ex facto nimirum, cui leges vim confessionis indiderunt, desumta (*a*); 2. si, quod alter affirmat, plane concedit, *pura* et *simplex*, si limitationem vel exceptionem addit, *qualificata* dicitur.

(*a*) Cap. 7. §. 1. *de Iuram. calum.* Cap. 2. *de Confes.* in VI.

§. 1109. Eius effectus.

Quoniam suo quis arbitrio nec ius in alterum sibi tribuere, nec obligatione se liberare (*a*),

nec alteri per alterum iniqua conditio inferri potest (*b*), facile patet, confessionem neque confitenti prodesse, neque tertio nocere (*c*). In ipsum autem confitentem vis confessionis et quidem *purae*, haec est: 1. Confessio *extraiudicialis* secundum ius commune plus non valet, quam *praesumtio hominis*, per eam inducta (*d*), variis porro exceptionibus facile infirmanda. 2. Confessio contra *iudicialis* instar plenissimae probationis contra confitentem est (*e*), immo et *rei iudicatae* vim habet (*f*), vt adeo nulla sententia, sed decreto tantum iudicis, solutionem iniungente, opus sit, eoque non seruato, executio decerni possit (*g*).

(*a*) L. 10. *de Testib.* L. 10. Cod. *eod.* (*b*) L. 74. *de R. I.* (*c*) L. 7. Cod. *de Probat.* Cap. 1. *de Confes.* (*d*) Cap. 4. *de Iudic.* Non obstat L. 25. §. 4 *de Probat.* Cap 14. *de fid. instrum.*, vbi de confessione litteris facta, et a scribente recognita sermo est. (*e*) L. 5. Cod. *de Transact.* Cap. 10. *de Cohabitat.* Cler. Cap 6. *de Excess. praelat.* Cap. 7. *de Poen.* (*f*) L. 1. *de Confes.* L. vn. Cod. *eod.* (*g*) L. 21. *de Iudic.* L. 6. §. 6. *de Confess.*

§. 1110. Confessio qualificata.

In confessione *qualificata* distinguendum esse, interpretes docent, an scilicet limitatio adiecta actum a negotio, de quo quaeritur, diuersum ponat, an partem illius negotii integrantem constituat. Si prius, acceptari potest confessio, reiecta limitatione, cuius proin probationem confitens suscipere debet (*a*). Si posterius, acceptans confessionem vel limitationem quoque acceptare, vel sine ea negotium ge-

ctum esse probare tenetur, nisi additae limitationi obstet praesumtio iuris, onus probandi in confitentem deuoluens.

(*a*) L. 9. Cod. *de Except.*

§. 1111. Annotationes de confessione.

Quibus has modo positiones subiungimus: 1. Vana est, etsi iudicialis sit, confessio de facto, a quo iura pendent, arbitrio confitentis minime obnoxia (*a*). 2. Confessio iudicialis, ex iusto errore facti emissa, in continenti reuocari potest, ex interuallo non nisi probato errore (*b*). 3. Sicut minoribus, ita et ecclesiis domibusque religiosis, per confessionem praelatorum aut oeconomorum laesis, restitutio in integrum subsidio venit (*c*).

(*a*) Exemplo est confessio coniugis de facto, matrimonium irritum reddente. Cap. 5. *de eo, qui cognou.* (*b*) L. 2. *de Confes.* Cap. 3. *eod.* Cap. 2. *de restit. in integ.* in VI. (*c*) L. 6. §. 4 5. *de Confes.* Cap. 2. *cit.*

CAPVT V.

DE PROBATIONE PER TESTES.

II. 20. De Testibus et Attestationibus.
— 21. De Testibus cogendis, vel non.

§. 1112. Testes idonei et minus idonei.

Testes hoc loco sunt personae, quarum dictis ad factum in iudicio probandum vtimur. Testis, de quo, quin possit, et velit verum dicere, nulla apparet dubitandi ratio, *habilis*,

idoneus et *omni exceptione maior*, de quo leges ponunt, quod vel non possit, vel non velit verum dicere, *inhabilis*, *minus idoneus*, prouti vel nullam prorsus, vel aliquam saltem fidem mereri videtur, vel *omnino inhabilis*, vel *suspectus* et *non omni exceptione maior* appellatur. *Potest* vtique verum dicere, qui factum, de quo quaeritur, suis sensibus recte percepit, perceptumque plane intelligere potuit; *velle* autem verum dicere is censetur, qui nullam, cur mentiatur, causam habet.'

§. 1113. Testes inhabiles et suspecti.

Testes igitur, et quidem *omnino* et *absolute inhabiles* sunt, qui vel ob animi, vel ob corporis defectum rem plane percipere, vel certo nuntiare non possunt, veluti *dementes* (*a*), *surdi et muti* simul, ac natura tales (*b*), quibus *impuberes* merito accensentur (*c*). Complures alii ex eo potissimum, quod verum dicere nolle videantur, vel *omnino inhabiles* vel *suspecti* saltem fiunt. Sed quinam speciatim in horum illorumue numero habendi sint, cum certo modo satis definiri non possit, iudicem pro varia tum personarum, tum causarum, tum rerum adiunctarum ratione aestimare oportet (*d*), cuius ea in re arbitrium tum praesertim valet, cum vel pars aduersa in teste minus idoneo acquiescit, vel alia probatio ad eruendam veritatem haberi non potest (*e*).

(*a*) L. 20. §. 4. *Qui testam. fac. poss.* L. 17. 26. *eod.* (*b*) L. 10. Cod. *eod.* (*c*) L. 3. §. 5. *de Testib.* Can.

1. IV. q. II. III. (*d*) L. 2. L. 3. pr. §. 1. et 2. *de Testib.* L. 13. *eod.* Can. 3. *loc. cit.* (*e*) L. 7. *eod.*

§. 1114. Quinam tales sint.

Itaque testes partim plane inhabiles, partim plus minusue suspecti sunt 1. *periuri* (*a*), pecunia *corrupti* (*b*), omnesque alii *infamia* aspersi (*c*), adeoque omnes *publico*, id est, *criminali* iudicio condemnati (*d*), aut criminis accusati (*e*); 2. minores viginti annis (*f*), viles quoque et pauperes (*g*); 3. Iudaei pro Iudaeo contra Christianum, haeretici proscripti pro tali contra orthodoxum (*h*); 4. omnes in *sua*, seu eiusmodi *causa*, ex qua commodum vel incommodum in ipsos redundat (*i*); 5. testes *domestici* et *de familia* pro eo, cuius potestati subiecti (*k*), vel quocum propius coniuncti sunt, veluti pro consanguineo, coniuge et affine (*l*) nisi de ipsa cognatione aut affinitate agatur (*m*).

(*a*) Cap. 9. *de Testib.* (*b*) Cap. 1. *eod.* (*c*) L. 3 §. 5. *eod.* Can. 9. III. q. V. (*d*) L. 7. *de publ. iudic.* Can. 2. 17. VI. q. I. (*e*) L. 3. §. 5. *de Testib.* Cap. 56. *eod.* Repellendus quoque est testis, etsi nec accusatus, nec damnatus sit, modo exceptionem criminis opponens, aduersarium illius reum esse, probauerit. Cap. 1. *de Except.* Cap. 13. 54. *de Testib.* (*f*) L. 20. *eod.* (*g*) L. 3. pr. *eod.* Can. 7. §. 12. 13. II. q. I. (*h*) L. 21. Cod. *de Haeret.* Can. 25. 26. II. q. VII. (*i*) L. 1. §. 11. *Quand. appell.* L. 10. *de Testib.* L. 10 Cod. *eod.* Cap. 20. *eod.* Hinc minus idonei testes sunt procuratores et aduocati pro illis, quorum causas et negotia curant, in ipsis eiusmodi negotiis L. 25. *de Testib.* Cap. 6. *eod.* Cap. 3. *eod.* in VI., item clerici et religiosi pro sua ecclesia vel monasterio, quatenus eorum peculiariter interest. Cap. 6. 12. *eod.* Cap. 26. in fin. *de Iurei.* (*k*) L. 6. 24. *de Testib.* L.

3. Cod *eod.* (*l*) Can. 12 III. q. V. Cap. 24. *de Testib.* (*m*) Cap. 5. 22. *eod.* Cap. 3. *Qui matrim. accus. poss.*

§. 1115. Plena probatio per testes.

Vt *plena* per testes probatio fiat, duo saltem omni exceptione maiores, et vndique consentanei adsint, necesse est (*a*). Vnus testis, quocunque honore praefulgeat, plenam probationem *iudicialem* nunquam facit (*b*), eamque nec *testes de auditu alieno* efficiunt, nisi de facto antiquo, et quid a maioribus audiuerint, quaestio sit (*c*), nec testes *singulares*, quorum scilicet singuli de diuersis facti circumstantiis testantur, nisi diuersitas talis sit, quae vni eidemque facto plane congruit (*d*).

(*a*) L. 12. *de Testib.* Cap. 23. *eod* Plures testes offerre partibus licet; iudicis autem est, eorum numerum, remotis superfluis, moderari. L. 1. §. 2. *de Testib.* Ne hinc inde plures quam quadraginta admittantur, in Cap. 37. *eod.* cautum est. (*b*) L. 9. §. 1. Cod. *de Testib.* Cap. 23 *eod.* (*c*) Cap. 33. 47. *eod.* Cap. 13. *de Probat.* (*d*) Cap. 9. *eod.* Cap. 23. 32. *de Elect.*

§. 1116. Modus probationem per testes rite instituendi.

Probatio per testes sic instituenda est: *Articuli probatoriales*, seu theses de singulis facti probandi partibus vna cum nomenclatione testium, et *directorio*, seu designatione thesium, de quibus singuli testes interrogandi sint, iudici offerantur (*a*). Faciendum id est intra *terminum probatorium*, seu tempus, a *lege*, vel a *iudice* praefinitum, quo durante tum *additionales*, seu nouos articulos, tum nouos testes pro-

ducere licet, modo, antequam responsa testium promulgata sunt, id fiat (*b*), et, si quarta vice id fiat, iusiurandum *malitiae* detur (c).

(*a*) Cap. 2. *de Testib.* in VI. (*b*) Cap. 46. *eod.* Cap. 6. *de Probat.* (c) Auth. ad L. 19. Cod. *de Probat.* Cap. 15. 55. *de Testib.*

§. 1117. Partes iudicis ea instituta.

Sequitur ad haec decretum iudicis, quo testes et probans eiusque aduersarius citantur. Et cum hoc quidem articuli probatoriales eum in finem communicandi sunt, vt exceptiones, si quas contra eos, et testes habet, opponere, et *interrogatoria*, seu quaestiones, ad quas testes pariter respondere debeant, articulis addere possit. Interrogatoria de personis et statu testium *generalia*, de singulis articulis concepta, *specialia* vocantur. *Illa* a iudice ex officio facienda (*a*), *haec* ab aduersario probantis afferenda sunt.

(*a*) Cap. 37. *de Testib.*

§. 1118. Citatio testium.

Decretum, quo partes citantur, est tantum *monitorium*, vt, si velint, receptioni testium interesse, eamque legitime fieri, videre possint (*a*); testes autem euocati praecise comparere, et de his, quae norunt, testimonium dicere, vel iurare debent, se nihil compertum habere (*b*). Recusantes diligentius primum a iudice monendi, tum plane cogendi sunt (c), pacto vel iureiurando non ferendi testimonium non obstante (*d*). Excusantur autem, nec cogi possunt

aduersus se inuicem testimonium dicere consanguinei in tertio et priore gradu computationis canonicae, nec non affines, qui sibi parentum et liberorum loco sunt (*e*). Parentes et liberi aduersus se inuicem ne volentes quidem ad testimonium admittendi sunt (*f*).

(*a*) Auth. ad L. 19. Cod. *de Testib.* Cap. 2. *eod.* (*b*) L. 16. Cod. *eod.* (*c*) Cap. 1. seq. *de testib. cog.* (*d*) Cap. 4. 11. *eod.* (*e*) L. 4. 5. *de Testib.* Can. 3. IV. q. II. III. (*f*) L. 6. Cod. *de Testib.*

§. 1119. Eorum adiuratio.

Emissa testium et partium citatione, probantis est, testes praefinito tempore suisque sumtibus (*a*) producere; ad iudicis autem officium spectat, eos, quantumuis religiosi et honorabiles sint (*b*), iureiurando de dicenda veritate obstringere (*c*), idque adeo necessarium est, vt partium tantum consensu, et tunc solum remitti possit, vbi de priuato earum iure agitur (*d*). Peragendum hoc est in loco iudicii, nisi testes personae sint egregiae, senes, lectulo affixae, quibus domi suae iurare, et testimonium dicere permittitur (*e*).

(*a*) L. 11. Cod. *de Testib.* Cap. 11. §. 8. *de Rescript.* in VI. (*b*) Cap. 51. *de Testib.* (*c*) L. 9. Cod. *eod.* Cap. 5. *eod.* (*d*) Cap. 39. *eod.* (*e*) L. 15. *de Iureiur.* L. 8. *de Testib.* Cap. 8. *eod.*

§. 1120. Examen testium.

Tum vero *examen testium* ita iudex instituere debet: 1. Partibus secedere iussis, singulos testes singillatim et seorsim de singulis non tantum articulis et interrogatoriis audiat (*a*);

sed de aliis quoque punctis, et speciatim, vnde sciant, quod asserunt, ex officio eos interroget (*b*); 2. omnes articulos, quaestiones, et responsa testium accurate in acta, *rotuli* nomine appellata, referat (*c*), hisque praelectis (*d*), illos, imposito silentio, dimittat (*e*).

(*a*) Cap. 52. *de Testib.* Cap. 2. *eod.* in VI. Testimonium, in scriptis oblatum, non admittitur. L. 3. §. 3 *de Testib.* Can. 15 III. q. IX. (*b*) L. 4. Cod. *de Testib.* Cap. 37. *eod.* (*c*) Errorem in respondendo orte admissum, in continenti corrigere testi licet, ex interuallo non licet. Cap. 7. *de Testib cog.* (*d*) Si testis alterius fori est, iudex causae competenti illius iudici, ea de re rogato, examen committere solet. Cap. 3 *de Fideiuss.*

§. 1121. Promulgatio rotuli testium, eiusque effectus.

Iudex porro rotulum partibus aperire, eiusue exemplum cum illis communicare tenetur, vt de vi testificationum disputare, quaeque ad eam vel firmandam, vel infirmandam pertinent, afferre possint (*a*). Rotulo publicato nouos testes super nouis quidem articulis (*b*), non autem super iisdem, vel contrariis producere partibus licet (*c*). Quare reprobatio *directa* per testes, rotulo semel promulgato, non nisi de probando impedimento, matrimonium dirimente agatur, locum habere potest (*d*).

(*a*) Cap. 15. 31. *de Testib.* (*b*) Cap. 17. 19. *eod.* (*c*) Cap 25. *eod.* Cap. 2. *eod.* in Clem. (*d*) Cap. 35. 44. *eod.* Cap. 6. *de Probat.*

CAPVT VI.

DE PROBATIONE PER INSTRVMENTA.

II. 22. De Fide instrumentorum.

§. 1122. Instrumenta publica et priuata.

Instrumentum etsi alias id omne denotet, quo causa instrui, et probari potest (*a*); hic tamen est scriptura, ad rerum gestarum memoriam fidemque confecta (*b*). Instrumentum, conditum a persona publica, cui nempe fidem faciendi auctoritas legibus tributa est, *publicum*, a quouis alio scriptum vel subscriptum (c), *priuatum* vocatur. Vtrumque, si primigeniam scripturam exhibet, *authenticum*, seu *originale*, si ex illa transcriptum est, *exemplum*, seu *copia* dicitur.

(*a*) L. 1. *h. t.* Cap. 4. *de testib. cog.* (*b*) L. 4. 5. *h. t.* L. 15. Cod. *eod.* (*c*) Qui litterarum ignari sunt, subscriptionis loco signum sanctae crucis apponere solent, quae subscriptio vt valeat, plures eius testes secundum ius commune requiruntur. *L.* 22. §. 2. Cod. *de iur. deliber.* Auth. ad *L.* 17. Cod. *Si cert. petat.* Vsus legesque prouinciales duos tantum requirunt.

§. 1123. Instrumentum publicum, speciatim sic dictum.

Prima ac simplex negotii, personae publicae propositi, adumbratio, *protocollum* (*a*), latior eiusdem magisque solennis perscriptio, personae publicae vel *manu* subscripta, vel *sigillo* saltem firmata, *instrumentum publicum specia-*

tim appellatur (*b*). Qua autem ratione et forma protocolla conscribenda, aliaque instrumenta publica expedienda sint, ex iure particulari, vsu et *stilo curiae* magis, quam ex iure communi discendum est.

(*a*) Nouell. XLIV. Cap. 2. (*b*) Cap. 2. *h. t.*

§. 1124. Quaenam publica.

Instrumenta igitur *publica* sunt, quae 1. a iudice, eiusue iussu ab alia persona iudiciali in causis sui fori (*a*), 2. ab alio, munus publicum gerente, in causis sibi concreditis (*b*), 3. a *tabellione*, seu *notario publico* in causis, liberae partium dispositioni obnoxiis (c), siue ad *protocolli*, siue ad alterius instrumenti modum legitime exarata sunt. His accensentur 4. quae, etsi ex se priuata sint, e tabulario tamen, seu *archiuo publico* producta sunt (*d*).

(*a*) Cap. 11. *de Probat.* (*b*) L. 10. *eod.* L. 3. *de Censib.* Huc *libri parochiales*, et testimonia, ex iis descripta, pertinent. (*c*) L. 14. §. 3. Cod. *de ss. eccles.* L. 17. Cod. *h. t.* Cap. 15. *eod.* (*d*) Nouell. XLIX. Cap. 2. §. 2 Auth. *ad haec* ad L. 20. Cod. *h. t. Archiuum publicum* illud dicitur, quod ab eo, qui leges ferendi potestatem habet, principe puta, aut episcopo, ad seruanda litterarum monumenta constitutum, et peculiaris praefecti, seu *cancellarii* curae demandatum est.

§. 1125. Quaenam priuata.

Instrumenta priuata sunt 1. *Chirographum* de negotio vnilaterali, mutuo praesertim confectum (*a*), 2. *Syngrapha* super negotio bilaterali, veluti emtione venditione scripta (*b*); 3. *Apo-*

cha, qua creditor, sibi solutum esse (*c*), et 4. *Antapocha*, qua debitor, se, quod debeat, soluisse, fatetur (*d*); 5. *Epistola*, qua promissum vel confessio continetur (*e*), et 6. quaecunque aliae priuatorum scripturae, queis facta, vnde obligationes et iura pendent, probari possunt.

(*a*) L. 24. *de Probat.* L. 44. §. 5. *de legat.* I. L. 59. *eod.* III. (*b*) L. 4. Cod. *de Probat.* (*c*) L. 14. §. 2. Cod. *de non num. pecun.* L. 67. §. 2. *de condict. indeb.* (*d*) L. 19. Cod. *de Fid. instrum.* (*e*) L. 29. *de Probat.* L. 26. §. 2. *Depos.*

§. 1126. Vis instrumenti publici.

Instrumenta *publica* plenam per se probationem faciunt (*a*), nec aliter infirmari possunt, quam si aperte ostendatur, ea vel debitis solennitatibus destituta, vel ob lituras, adiectiones aliasque deprauationis notas suspecta, vel rei gestae veritati contraria, vel omnino ficta, et commentitia esse (*b*).

(*a*) L. 6. Cod. *de re iudic.* Cap. 7. *de Probat.* Cap. 2. *h. t.* (*b*) Cap. 6. 10. *h. t.* Cap. 7. *de relig. dom.* Litura vel correctio in loco non suspecto fidem instrumenti non eleuat. Cap. 3. 11. *h. t.* Cap. 9. *de crim. fals.*

§. 1127. Vis priuati.

Instrumenta *priuata* tum demum plene probant, si vel ab ipso scribente, vel a testibus, praesertim subscriptis (*a*), vel per comparationem litterarum (*b*) recognita sunt. Eam porro vim *contra scribentem* tantum, non *pro scribente* habent (*c*), et, quatenus obligatoria sunt, nec scribentem quidem conuincunt, nisi *causam debendi* simul exprimant (*d*).

(*a*) L. 16. pr. Cod. *h. t.* Nouell. *LXXIII.* Cap. 1. 4. Si testes subscripti de vita decesserunt, eorum subscriptiones raro aliquid, plerumque nihil probant. Cap. 2. *h. t.* (*b*) *L* 20. Cod. *h t.* Nouell. X*L*IX. Cap. 2. (*c*) *L.* 5. 7. Cod. *de Probat. L.* 10. *de Testib.* Non nunquam *pro scribente* probant, veluti si peculiari lege vel consuetudine vis quaedam probandi iis tributa est. Cap. 9. *h. t.* (*d*) *L.* 25. §. 4. *de Probat.* Cap. 14. *h. t.*

§. 1128. Regulae ea de re generales.

Quibus has quoque regulas subiungimus: 1. Nuda instrumentorum exempla nihil probant (*a*); si vero authenticum iudici exhibitum, ab eoque inspectum, et eiusdem dein auctoritate descriptum est, exemplum ita confectum eandem, sicut authenticum, vim probandi habet (*b*). 2. Instrmentum, lectorem ad aliud instrumentum delegans, (*referens*), nihil probat, nisi aliud quoque instrumentum (*relatum*) proferatur (*c*). 3. Instrumento forte deperdito, salua manet tum alia iuris sui, tum ipsius instrumenti probatio, per testes nempe, non tantum illius tenorem se scire, sed et negotium coram se gestum esse, testificantes (*d*). 4. Instrumenta diuersa, fidem sibi inuicem derogantia, et ab vna eademque parte prolata, nullius momenti sunt (*e*); si vero alterum eorum ab vna, alterum ab altera parte productum est, dignioris aut verisimilioris rationem iudex habebit (*f*).

(*a*) *L.* 2. *h. t.* Cap. 1. *h. t.* (*b*) Cap. 16. *h. t.* (*c*) Nouell. CXIX. Cap. 3. Auth. ad *L.* 7. Cod. *de Edend.* (*d*) *L.* 7. 11. 13. Cod. *h. t.* (*e*) *L.* 14. Cod. *h. t.* Cap. 13. *h. t.* (*f*) Arg. *L.* 21. §. 3. *de Testib.* Cap. 32. *eod.*

§. 1129. Modus probandi per instrumenta.

Probaturus per instrumenta intra terminum *probatorium* ea in iudicio exhibeat, oportet. Instrumentum, quod plures diuersosque articulos complectitur, *integrum* edere non est necesse, modo articulus controuersus edatur (*a*). Sufficit etiam exemplum instrumenti (*b*), donec, eo in dubium vocato, *authentici* editio petatur. Id quod si *publicum* est, sua auctoritate subsistit; *priuatum* vero ex eo pendet, vtrum aduersarius illud *recognoscere*, an *diffiteri*, id est, a se scriptum subscriptumue esse, negare voluerit. Facta negatione producens assertionem suam probare debet (*c*); facta autem recognitione recognoscenti saluae manent exceptiones aliae, vim instrumenti infirmantes (*d*).

(*a*) L. 10 §. 2. *de Edend.* Cap. 5. *h. t.* (*b*) L. 11. *de Edend.* (*c*) Probatio haec per testes, vel comparationem litterarum fieri, et probationis loco iusiurandum neganti deferri potest. (*d*) Veluti quod ex ignorantia subscriptum L. 5. Cod. *Plus valer. quod agit*, cancellatum L. 24. *de Probat.*, aliaue ex causa suspectum, aut nullius momenti sit.

§. 1130. Editio instrumenti proprii, vel communis.

Quodsi non probans, sed alius instrumentum ad faciendam probationem necessarium possidet, refert, an de instrumento solius probantis proprio, aut cum alio communiter possesso, an de plane alieno sermo sit. Instrumenti *proprii* (*a*), vel cum alio *communis* (*b*) editionem alteruter litigantium non solum ab altero, sed a quouis alio illius possessore exigere potest.

(*a*) L. 4. §. 1. *de Edend.* L. 3. §. 14. *ad Exhib.*
(*b*) L. 5. *Fam. ercis.* L. 7. Cod. *de Edend.* Cap. 12. *eod.*

§. 1131. Editio alieni.

Vbi autem de editione instrumenti *alieni* agitur, hae valent regulae: 1. *Actor* praeter instrumenta, quae pro fundamento actionis ponit (*a*), illa quoque reo edere debet, quibus is ad probandam exceptionem indiget (*b*). 2. *Reus* contra minime tenetur actori exhibere instrumenta, ad fundandam actionem ipsi necessaria (*c*); cum tamen excipiendo quasi actor fiat (*d*), illa instrumenta primo actori, quasi reo, edere debet, quibus hic ad probandam replicationem opus habet (*e*). 3. *Tertius* instrumenti possessor, quatenus ad ferendum testimonium, eatenus quoque ad edendum instrumentum cogi potest, siquidem apparet, quod petentis intersit, illud edi, nec vllum inde damnum edenti immineat (*f*).

(*a*) L. 1. §. 3. *de Edend.* (*b*) L. 5. 6. 8. Cod. *eod.* Nec fiscus quidem hac obligatione solutus est. L. 4. Cod. *de fid. instrum.* (*c*) L. 4. Cod. *de Edend.* L. 7. Cod. *de Testib.* Cap. 1. *de Probat.* Excipe reum, a fisco conuentum, qui fisco actori edere debet instrumenta, quae probandae eius intentioni inseruiunt, L. 2. §. 2. *de Iur. fisc.* Idem de reo, ob vsuras illicitas conuento, constitutum est. Cap. vn. §. 1. *de Vsur.* in Clem. (*d*) L. 1. *de Except.* (*e*) L. 8. Cod. *de Edend.* (*f*) L. 22. Cod. *de fid. instrum.*

CAPVT VII.
DE PROBATIONE PER IVSIVRANDVM.

II. 24. De Iureiurando.
V. 34. De Purgatione canonica.
— 35. De Purgatione vulgari.

§. 1132. Iusiurandum lites expediendi remedium.

Iusiurandum, quod ad expediendas lites adhibetur (*a*), *assertorium* (§. 838.) est, et vel ad ordinem iudicii (*b*), vel ad litis decisionem, vel ad rei, in iudicium deductae, aestimationem pertinet; prouti dein, rem certo ita se habere, vel, se aliter nec scire, nec credere, iuratur, *veritatis* vel *credulitatis* audit (*c*). Sed *hoc* tum demum recte admittitur, si *illud* nec dari, nec aliter veritas haberi potest (*d*).

(*a*) L. 1. *de Iureiur.* (*b*) Veluti iusiurandum *calumniae*, *et perhorrescentiae.* Huc quoque iusiurandum *testium* referri potest. (*c*) L. 2. §. 2. Cod. *de Iurei. propt. calum.* Cap. 5 *de Testib.* Cap. 5. *de purgat. canon.* (*d*) Ex lege *Badens.*, de iureiurando edita, § 7. *iuramentum credulitatis* nunquam locum habet.

§. 1133. Eius ad lites decidendas tres species.

Iurisiurandi, ad decidendas lites comparati, tres sunt species: 1. *Iusiurandum voluntarium extraiudiciale*, quod pars parti defert extra iudicium per modum conuentionis, vt nempe, si creditor, deferente debitore, sibi deberi, aut debitor, deferente creditore, se haud debere,

iuret, controuersia dirempta sit (*a*). 2. *Necessarium*, seu, vt alii vocant, *voluntarium iudiciale*, quod pars parti in iudicio defert probationis loco, auctoritate iudicis praestandum aut referendum. 3. *Iudiciale*, *speciatim* sic dictum, quod alii *necessarium* appellant, quod a iudice ex officio alterutri parti defertur. Sed *extraiudicialis* illius iurisiurandi rarus est vsus (*b*), et, sicubi adhuc viget, haud probandus.

(*a*) L. 2. §. 2. L. 9. §. 1. L. 28. § 10. *de Iureiur.*
(*b*) Quid lege *Badens.* de eo constitutum sit, supra (§. 839.) annotauimus.

§. 1134. Iusiur. voluntar. iudiciale.

Iusiurandum *voluntarium iudiciale* quilibet, qui liberam habet de causa transigendi potestatem (*a*), alia probatione etsi plane destitutus sit (*b*), cuicunque parti aduersae, etiam vniuersitati (*c*), in quauis causa, liberae partium dispositioni obnoxia (*d*), necdum plene probata (*e*), et in quauis iudicii parte (*f*) deferre potest; an vero, et quatenus recte delatum sit, iudicis est pronuntiare (*g*).

(*a*) L. 25. §. 3. *de Probat.* L 34 § 4. *de Iurei.*
(*b*) L. 35. pr. L. 38. *eod.* (*c*) L 97. *de condit. et demonst.* Cap 26. in fin. *de Iureiur.* (*d*) Cap. 10. *de Transact.* (*e*) Cap. 2. *de Probat.* (*f*) L. 12. *Cod. de Reb. cred.* (*g*) L. 12 cit. § 1.

§ 1135. Acceptandum vel referendum.

Tum vero 1. *delatum*, approbatumque a iudice iusiurandum is, cui delatum est, vel acceptare, vel referre (*a*), vel probationem pro exoneranda conscientia suscipere (*b*) debet.

2. Iusiurandum *relatum* is, ad quem illud relatum est, simpliciter acceptare, et praestare tenetur (*c*) 3 Qui, delato sibi, aut ad se relato iureiurando, quod facere debet, facere sine iusta excusatione recusat, pro confesso habetur, et idcirco causa cadit (*d*). 4. Praestito autem iureiurando, id, de quo iuratum est, pro vero, et causa inter litigantes perinde habetur, ac si transacta, aut res iudicata esset (*e*), adeo quidem, vt nec appellationi (*f*), nec ob instrumenta, posthac reperta (*g*), aut periurii obtentu (*h*) rescissioni locus detur.

(*a*) L. 34 §. 6. 7. *de Iurei.* L. 9. Cod. *de reb. cred.* Cessat referendi facultas, si de facto eius, cui defertur, sermo est, nisi deferens eiusdem quoque notitiam habet. L. 11. § 3. L. 12. 13 *de act. rer. amot.* Cap 36 pr. *h. t.* (*b*) Arg L. 30. pr. *de Iurei.* et Cap. 2. *de Probat* Probatione hac in vanum cedente, adhuc recursum dari ad acceptandum vel referendum, a iuris ratione alienum videtur. L. 5. § 4. *de Iurei.* L. 11 Cod. *de reb cred.* (*c*) L 34. § 7. *de Iurei.* Delatum, antequam praestitum est, reuocare licet; postea vero rursus deferre non licet; L. 11. Cod *cit.*; patet autem, cur semel relatum ne reuocari quidem possit. (*d*) L. 34. § 9 L. 38. *de Iurei.* (*e*) L. 2. *eod* (*f*) L. 12. §. 3. Cod. *de reb credit.* (*g*) L. 31. *de Iurei.* (*h*) L 21. *de dol mal.* L. 15. *de except. rei iud.*, nisi *specialiter hoc lege excipiatur*, L. 1. Cod. *de reb. cred.*, veluti L. 13 Cod. *eod.* Ex ipsa autem hac lege, et generali iuris ratione L. 206. *de R. I.* Cap 48. *eod.* in VI. interpretes colligunt, actionem et exceptionem doli aduersus peierantem admittendam esse.

§ 1136. Necessarium iudiciale, suppletorium vel purgatorium.

Iusiurandum *necessarium iudiciale* alterutri

parti a iudice ex officio iniungitur, si scilicet probationes ad decisionem causae non sufficere videntur (*a*). Eius duae sunt species, videlicet *suppletorium*, quod ei, qui minus plene, veluti per vnum modo testem, probauit, ad perficiendam probationem (*b*), et *purgatorium*, quod illi, contra quem praesumtio, aliaue probatio imperfecta militat, ad eandem elidendam defertur (*c*). Cuinam alterutrum iniungendum sit, iudicis est, *inspectis personarum et causae circumstantiis*, decernere (*d*) Alterutro sine iusta causa recusato, contrarium eius, quod iurandum erat, pro vero sumitur (*e*); alterutro autem praestito, pro iurante sententia fertur (*f*), quae tamen ob instrumenta noua rescindi (*g*), immo et per appellationem impugnari potest (*h*).

(*a*) L. 3. Cod. *de reb. credit.* Cap. 2. *de Probat.* (*b*) Cap. 3. *de Procurat.* (*c*) Cap. 36. §. 1. *de Iureiur.* (*d*) Cap 36. *cit.* Cap. 3. *de Testib.* in VI. (*e*) L. 12. §. 2. Cod. *de reb. credit.* (*f*) L. 31. *de Iureiur.* (*g*) L. 31. *cit.* (*h*) L. 28. §. 1. *de Appellat.*

§. 1137. Iusiurandum in litem.

Iusiurandum, quod rei aestimandae causa proditum est, *in litem* vocatur, quo nempe actor, iubente iudice, iurat, quanti in litem deducta, sibique debita res sit, idque in iusiurandum *affectionis* et *veritatis* diuidi solet. *Illud* est, quo actor rem sibi *propriam* (*a*), et siue *dolo*, siue *culpa lata* (*b*) non restitutam, aut non exhibitam ex affectione aestimat vltra verum pretium (*c*), salua iudicis potestate summam, intra quam iuretur, definiendi, eamue, postquam

iuratum est, moderandi (*d*); *hoc* locum habet, si res *culpa leui* non restituitur, aut non exhibetur (*e*); item si res, quouis modo debita, aduersarii culpa periit (*f*), eiusque certa aestimatio aliter haberi nequit (*g*). Tum vero tanti duntaxat rem aestimare licet, quanti ea vere est, vel quanti actoris vere interest (*h*), salua nimirum iudicis, illud deferentis, moderatione (*i*).

(*a*) L. 2. pr. *de in lit. iur.* Hinc cessat hoc iusiurandum in actione emti L. 1. 4. 10. Cod. *de act. emt.* (*b*) L. 2. Cod. *de in lit. iur.* (*c*) L. 1. 8. *de in lit. iur.* (*d*) L. 4. §. 1. 2. 3. L. 5. §. 1. 2. 3. *eod.* (*e*) L. 2. §. 1. L. 4. §. 4. *eod.* (*f*) L. 3. *eod.* L. 4. *de condict tritic.* Cap. 32. *de Iurei.* (*g*) L. 5. §. 4. *de in lit. iur.* L. 1. §. 40. *Depos.* (*h*) L. 2. §. 1. *de in lit. iur.* (*i*) L. 4 §. 3. 4. *eod.*

§. 1138. Iusiurandum Zenonianum.

Huc quoque pertinet *iusiurandum*, quod *zenonianum* vocatur, ab illo, cuius res inuasae direptaeue sunt, si singularum pretium probare nequeat, eo effectu dandum, vt, aestimationis, quam actor petit, moderatione a iudice facta, reus praestet, in quantum iuratum est (*a*).

(*a*) L. 9. Cod. *vnde vi*, Cap. 7. *de his, quae vi.*

CAPVT VIII.

DE SENTENTIA EIVSQVE EXECVTIONE.

II. 27. De Sententia et re iudicata.

§. 1139. Relationes ad principem.

Habita causae cognitione, iudicis porro est,

pro qua parte ius stet, pronuntiare, ferendoque sententiam litis decisionem facere. Sed quid, si leges, secundum quas iudicandum esset, vel dubiae, obscurae aut perplexae sunt? Tum iudex ea de re ad principem referre (*a*), hic autem ea moderatione responsa dare solebat, vt a sententia, ex eiusmodi responso lata, adhuc appellare licuerit (*b*). Equidem ius nostrum eiusmodi relationes, a IVSTINIANO licet sublatas (*c*), expresse probat (*d*); rarissimum tamen earum vsum esse, interpretes monent.

(*a*) L. 1. Cod. *de Relat.* (*b*) L. 1. §. 1. 2. *de Appellat.* L. 2. Cod. *eod.* (*c*) Is enim iussit, vt ipsi iudices statuant, quod iuri magis consentaneum fore putauerint, eoquod partes prouocationis remedio sibi consulere possint. Nouell. CXXV Cap. 1. Auth. ad L. 1. Cod. *cit.* (*d*) Cap. 68. *de Appellat.*

§. 1140. Sententia definitiua vel interlocutoria.

Sententia est pronuntiatio iudicis, causae, in iudicio agitatae, decisionem continens. Sententia, quae causae *principalis*, ipsius nempe actionis institutae, decisionem continet, reumque vel condemnat, vel absoluit, *definitiua* (*a*), quae causam *incidentem*, ab actione scilicet, et petito actoris diuersam dirimit, *interlocutoria*, eaque, prouti causae principalis decisionem, ipsamque adeo definitiuam vel importat parturitque, vel in medio relinquit, vel *mixta*, vel *mera* vocatur (*b*). Ab vtraque differt *interlocutio*, seu decretum iudicis, non audita parte altera, iudicii rite faciendi peragendique causa emissum.

(*a*) L. 19. §. 1. *de recept. qui arbitr.* L. 3. Cod.

de Sent et interloc. Cap. 3. *de Accusat.* Cap. 15. *de V. S.* (*b*) Cap. 12. *de Appellat.* in VI.

§. 1141. Quid, si plures sunt iudices?

Vt valeat sententia, a iudice *competente* lata sit, necesse est (*a*). Si plures sunt iudices, plurium sententia obtinet (*b*); vbi autem plures *pari numero* inter se discordant, siquidem *ordinarii* sunt, pro reo pronuntiandum est (*c*), non pro actore, nisi in causa fauorabili (*d*), et, si in *summa* tantum differunt, minima spectanda est (*e*). Cum vero paria sunt *delegatorum* suffragia, sententia ex delegantis arbitrio pendet (*f*).

(*a*) L. 20. *de Iurisd.* Cap. 4. *de Iudic.* (*b*) L. 39. *de re iudic.* (*c*) L. 125. *de R. I.* Cap. 11. *eod.* in VI. (*d*) Veluti in matrimonio, libertate, dote et testamento. L. 28. *de re iudic.* Cap. 26. *de Sent. et re iudic.* (*e*) L. 38. §. 1. *cit.* L. 9. *de R. I.* Cap. 11. *eod.* in VI (*f*) Cap. 26. *cit.*

§. 1142. Sententia rite concipienda.

Sententia porro, praesertim *definitiua*, vt recte se habeat, esse debet 1. *conformis libello*, vt nimirum de re petita, et causa petendi, quid iustum sit, statuat (*a*); 2. *certa*, rem scilicet, aut summam, de qua actum est, plane exprimat (*b*), vel, vnde satis cognosci ea possit, patefaciat (*c*); 3. *absoluta* et *praecisa*, vt nec conditione quadam suspensa (*d*), nec iusto verbosior sit. Quapropter *rationes decidendi* sententiae non inserendae sunt (*e*); eas tamen parti petenti separatim edendas esse, multis in locis merito constitutum est (*f*).

(*a*) L. 18. *com. diuid.* Cap. 2. §. Verum *de V. S.*

in Clem. Hinc etiam *de fructibus* rei litigiosae, ante litem contestatam perceptis, et de *sumptibus litis*, si hi illiue petiti sunt, statuere debet. Fructus, post litis contestationem percepti, et percipiendi petitione rei continentur. L. 25. §. 8. *de aedil. edict.* L. 2. Cod. *de fruct. et lit. expens.* Quod ad *sumptus litis* attinet, etiam petitos iudex ob probabilem, quam victus habuit, litigandi causam compensare potest. L. 79. pr. *de Iudic.* L. 78. §. 2. *de legat.* II.; temerarie vero litigantem in eos, ex aequo et bono moderandos, condemnare debet. L. 13. §. 6. Cod. *de Iudic.* L. 5. *de fruct. et lit. expens.* Cap. 8. *de Iurei.* (*b*) §. 32. Instit. *de Action.* L. 4. Cod. *de Sentent. quae sine cert. quant.* (*c*) L. 5. §. 1. L. 59. pr. et §. 1. *de re iudic.* (*d*) Valet tamen sententia, sub conditione, ad causam scilicet controuersam pertinente, lata. L. 37. pr. *de Excusat.* L. 1. §. 5. *Quand. appell.* Can. 29. §. 1. II. q. VI. (*e*) L. 59 pr. *de re iud.* Cap. 16. *h. t.* (*f*) Ita Pius IV. in Constit. *In throno iustitiae* auditoribus rotae Romanae iniunxit, vt rationes decidendi parti petenti exhiberent.

§. 1143. Quomodo promulganda.

Sententia, rite concepta, rite etiam promulganda est. Quam ob rem ius commune requirit 1. vt partes ad audiendam sententiam citentur (*a*), 2. vt ea ab ipso iudice, et quidem pro tribunali sedente, et ex scripto recitetur (*b*), 3. vt id fiat in loco iudicii (*c*), die non feriato (*d*), et antequam nox ingruat (*e*).

(*a*) L. 47. pr. *de re iudic.* (*b*) L. 2. 3 Cod. *de Sentent. ex peric. recit.* Cap. 5. *h. t.* in VI. In causis *summariis* nihil interest, stet, siue sedeat iudex. Cap. 2. *de V. S.* in Clem. (*c*) L. 59. *de Iudic.* L. 6. Cod. *de Sentent. et interloc.* (*d*) L. 1. *de Fer.* L. 4. Cod. *Quom. et quand.* (*e*) Cap. 24. *de Offic. iud. deleg.* Sed hac in re *stylus curiae* inprimis obseruandus

est. Ita nunc actuarius, non ipse iudex sententiam recitare solet, et quamuis, sententiam scriptam, omissa recitatione, partibus edendi morem Cap. 5. *h. t.* in VI. improbet; eum tamen, ceu commodiorem, in plurimis iudiciis probatum videmus.

§. 1144. Potestas iudicis, ea promulgata.

Sententiam *definitiuam*, et interlocutoriam *mixtam*, idem iudex in eadem instantia nec reuocare quidem, nec mutare (*a*), eodem tamen die ea, quae ad consequentiam iam statutorum pertinent, supplere, et verba, tenore sententiae perseuerante, emendare (*b*), errorem vero calculi etiam posthac corrigere potest (*c*).

(*a*) L. 55. *de re iudic. Interlocutio*, vti et interlocutoria *mera* ab eodem iudice reuocari, et corrigi potest. L. 14. *eod.* Cap. 60. *de Appellat.* (*b*) L. 52. 46. 62. *de re iudic.* (*c*) L. 1. §. 1. *Quae sent. sine appell.* L. vn. Cod. *de Error. calcul.*

§. 1145. Res iudicata, eiusque vis.

Lis, per sententiam iudicis decisa, *res iudicata* vocatur, eaque *pro veritate accipitur* (*a*), et ideo ius facit inter partes (*b*). Vim hanc res iudicata habet tum ab auctoritate iudicis, quatenus *pro his, quae a iudice sunt acta, praesumitur* (c), tum et quam maxime ab ipsis partibus, quatenus sententiam *expresse*, vel *tacite* approbarunt (*d*). *Tacite* autem approbasse sententiam censetur, qui eam intra tempora, impugnationi praefinita, non impugnauit, *cum per hoc videatur per interpretationem iuris latae sententiae paruisse* (*e*).

(*a*) L. 207. *de R. I.* (*b*) Cap. 13. *h. t.* (c) Cap.

23. *de Elect.* (*d*) L. 5. §. 6. Cod. *de temp. et reparat.* L. 5. Cod. *de re iudic.* (*e*) Cap. 15. *h. t.*

§. 1146 Consectaria.

Ex his consequitur, 1. sententiam ipso iure *nullam*, si quidem, vti iure apud nos recepto constitutum est, *nullitas insanabilis* (§. 1167.) subsit, vim rei iudicatae nunquam obtinere, 2. neque sententiam, in causa, liberae partium dispositioni haud obnoxia prolatam, in rem iudicatam transire (*a*); caeterum 3. ipsam rem iudicatam inter partes duntaxat ius facere, aliis nec prodesse, nec nocere (*b*), nisi ius tertii ex iure alterutrius partis pendeat (*c*), aut tertius, qui primo loco agendi vel defendendi ius habuit, sciens sequentem, eumue, a quo causam habet, agere vel defendere passus sit (*d*).

(*a*) Veluti sententia, qua matrimonium, quod re ipsa validum est, nullum, aut, quod nullum est, validum esse, pronuntiatur. Cap. 7. *h. t.* (*b*) L. 1. Cod. *Inter alios acta*, L. 2. Cod. *Quib. res iud. non noc.* Cap. 25. in fin. *de Praebend.* (*c*) L. 3. *de pignor. et hypoth.* L. 44. *de re iudic.* (*d*) L. 63. *eod.* Cap. 25. *h. t.*

§. 1147. Actio iudicati ad executionem sententiae.

Ex re iudicata reo absoluto datur *exceptio rei iudicatae* (*a*); actori vincenti autem, eiusque heredi *actio iudicati* aduersus reum condemnatum, eiusque heredem, et, si plures sunt, aduersus singulos pro rata (*b*), ad id, vt iudicato satisfiat, vel sententia executioni mandetur (*c*). Actio haec instituenda est apud iudicem, qui sententiam tulit, etsi delegatus tan-

tum sit (*d*). Quodsi *in rem* actum est, iudex iubere debet, vt res petita statim restituatur, alias manu militari auferenda (*e*); si *in personam*, refert, an de tradenda certa specie, vti in actione depositi, commodati et similibus, an de solutione pecuniarum iudicatum sit. Si prius, restitutio, vt in actione reali, illico iniungenda est (*f*); si posterius, quadrimestres induciae reo indulgentur, arbitrio tamen iudicis arctandae, vel prorogandae (*g*).

(*a*) L. 3. seq *de Except. rei iudic.* (*b*) L. 43. *de re iudic* L. 1. 2. Cod. *Si plur. vn. sentent.* (*c*) L. 4. § 3 *de re iudic* L. 9 Cod. *de Execut. rei iudic.* (*d*) Cap. 5. 9. *de Offic. iud. deleg.* Non obstat L. 15. pr. *de re iudic* nec Cap. 4. *de for. compet.* (*e*) §. 2. 3. Instit. *de Offic. iud* Cap. 6. *h. t.* (*f*) L. 68. *cit.* L. 11. Cod. *Depos.* (*g*) L. 2. *de re iudic.* L. 2. 3. Cod. *de vsur. rei iudic.* Cap. 15. *h. t.*

§. 1148. Modus exequendi contra debitorem pecuniae.

Si in rei aestimationem certamue pecuniae summam condemnatus intra terminum praefixum non soluit; tunc iudicati exequendi causa 1. pignora vel per apparitorem capiuntur (*a*), vel missione in possessionem bonorum debitoris (*b*) eo ordine constituuntur, vt primum ad mobilia, deinde ad immobilia, denique ad iura et nomina perueniatur (*c*). 2. Solutione, intra duos menses non praestita, pignora iudiciali auctione vendenda (*d*), emtore non existente, vel dignum pretium non offerente, victori, si id postulat, addicenda sunt (*e*), ea vtrinque conditione, vt, quod ex pretio vel aestimatione pignorum summae iudicatae deest, ad-

huc petere victor possit; quod praeter illam superest, condemnato reddere debeat (*f*). 3. Condemnatus, nihil prorsus habens, quo iudicato satisfacere posset, vrgente victore in carcerem coniiciendus est (*g*), modice ab eo alendus (*h*).

(*a*) L. 9. Cod. *de Execut. rei iudic.* (*b*) L. 2. 3. Cod. *Qui potior. in pign.* (*c*) L. 15. §. 2. seq. *de re iudic.* Sicut autem de stipendiis militum, ita quoque de praebendis clericorum pignora capi non possunt, nisi aliis eorum bonis deficientibus ac discussis, L. 4. Cod. *de Execut. rei iudic.* Cap. 2. *de Fideiuss.* (*d*) L. 31. *de re iudic* L. 2. 9. Cod. *de Execut. rei iudic.* (*e*) L. 15. §. 3. *de re iudic.* L. 2. Cod. *Si in caus. iudic. pign.* (*f*) L. 3. §. 4. Cod. *de iure domin. impetr.* (*g*) L. 1. 8. Cod. *Qui bon. ced. poss.* (*h*) L. 34. *de re iudic.* L. 43. 45. *de V. S.* Caeterum qui, vt clerici (§. 419.), *beneficio competentiae* gaudent, nec bonis ad alimenta necessariis exui, nec in carcerem mitti possunt. §. 37. 38. 40. Instit. *de Action.* L. 173. *de R. I.*

§. 1149. Ratio executionis per executorem, vel alienum iudicem.

Quin iudex actum executionis alteri demandare possit, nullum est dubium (§. 991). Si autem, vt non raro contingit, bona condemnati in alieno territorio sita sunt, tunc vti iudex causae ab illius territorii iudice executionem requirere, ita requisitus eam in subsidium iustitiae perficere tenetur (*a*). Nec merus executor, nec iudex requisitus de exceptionibus contra sententiam statuere quidquam potest (*b*). Et *ille* quidem omnes exceptiones, ab exequendo forte oppositas, ad iudicem, qui sententiam dixit, deferre debet (*c*); *hunc* autem de excep-

tionibus, quae ad executionem tantum spectant, eamque remorantur, cognoscere, et statuere posse, a iuris ratione haud alienum est.

(*a*) L. 15. §. 1. *de re iudic.* Cap. 1. §. 3. *de for. comp.* in VI. Sic iudex ecclesiasticus, vbi ipse sententiam suam exequi non potest, auxilium iudicis secularis, seu, vt vocatur, *brachium seculare* implorare debet. L. 8. Cod. *de episcop. aud.* Cap. 14. *de Off. iud. ordin.* (*b*) L. 75. *de re iudic.* L. 6. Cod. *de Execut. rei iudic.* Cap. 28. §. 3. *de Off. iud. deleg* (*c*) Cap. 5. *h. t.*

CAPVT IX.

DE REMEDIIS CONTRA IVDICVM SENTENTIAS.

II. 28. De Appellationibus, Recusationibus et Relationibus.

— 29. De clericis peregrinantibus.

§. 1150. Remedia contra sententias.

Quaeuis sententiae, quaeuis decreta et iussa iudicum illis, in quos feruntur, molesta et damnifica esse possunt. *Ordinarium* istiusmodi tela retundendi *remedium* est *appellatio*, ad id tendens, vt ne, quod iudex constituit, in rem iudicatam transeat. Appellatione autem non adhibita, quandoque *querela nullitatis*, quandoque *restitutio in integrum* subsidio venit. *Illa* sententiam ipso iure nullam, adeoque vi rei iudicatae destitutam, ponit; *haec* sententiam, summo iure validam, et vi rei iudicatae praeditam, rescindi petit.

§. 1151. Suspensiua et deuolutiua.

Haec iuris remedia, quatenus impediunt, quo minus iudex pronuntiatum suum exequi queat, *suspensiua*, quatenus cognitionem causae ad iudicem superiorem transferunt, *deuolutiua* dicuntur. Et sicut plures actiones (§. 1054.), ita quoque plura huiusmodi remedia simul adhiberi possunt.

§. 1152. Appellatio iudicialis.

Appellatio generatim est prouocatio ad superiorem iudicem, vt eius auctoritate grauamen, a iudice inferiore illatum, tollatur (*a*). Appellatio, quae fit 1. a sententia definitiua, aut interlocutoria mixta, definitiuae scilicet vim habente, *iudicialis speciatim* (*b*), 2. ab interlocutoria mera, aut interlocutione simplici, *extraiudicialis*, *proprie sic dicta* (*c*), 3. a decreto ac iussu, aliam praeter controuersam inter partes causam attingente, *extraiudicialis*, *improprie sic dicta*, item *prouocatio ad causam* vocatur (*d*). Nos de appellatione *iudiciali* primum disputabimus, tum de vtraque *extraiudiciali* speciatim disseremus.

(*a*) L. 1. pr. *de Appellat.* Cap. 12. *eod.* (*b*) Ius *Romanum* appellationem a sententia *definitiua* tantum concedit L. 36 Cod. *de Appellat.* L 7. Cod. *Quor. appell. non recip.*; ius autem *canonicum* a quauis sententia *interlocutoria* appellare permisit Cap. 5. 11. 12. *h. t.* Id vero *iure nouissimo* ita temperatum est, vt talis appellatio, qualis a sententia *definitiua* datur, ab illa tantum *interlocutoria* fieri possit, quae nunc *mixta* dicitur, quae scilicet *definitiuae vim habet*, *et cuius grauamen per appellationem a de-*

finitiua reparari nequit. Conc. Trid. XIII. Cap. 1. XXIV. Cap. 20. (c) L. 2. *de Appellat. recip.* Cap. 1. *h. t.* in VI. Cap. 5. *eod.* in Clem. Appellationem hanc, etsi contra actum *vere iudicialem* sit, tamen *extraiudicialem, proprie sic dictam*, vocare solent. (d) L. 1. §. 1. 3. *Quand. appell.* Cap. 5. 34. *h. t.* Nihilominus appellationem hanc *extraiudicialem, improprie sic dictam*, vulgo nuncupant. Talis autem est appellatio in causa correctionis morum, et disciplinae publicae, haud facile quidem admittenda Cap. 3. 26. *h. t.* Cap. 12. *de off. iud. ordin.* Conc. Trid. XXIV. Cap. 10., nisi iudex inferior iustum in corrigendo modum excesserit. Cap. 13. *de off. iud. ordin.* Talis itidem est appellatio contra electiones aliasque prouisiones canonicas, pariter repellenda, nisi appellans valde probabilem causam attulerit. Cap. 46. *h. t.*

§. 1153. Ius et causa appellandi.

Ius appellandi habet omnis, qui grauatum se putat (*a*), etiam tertius, cuius interest, sententiam corrigi (*b*), et vnius appellatio prodest caeteris quoque litis consortibus, eandemque defensionis causam habentibus (*c*). Datur porro appellatio ob grauamen non solum *praesens*, sed etiam *futurum*, cuius nempe periculum in aliquem intenditur (*d*). Sed appellationis beneficio caret, 1. qui vel ante sententiam *expresse*, vel post eam siue *expresse* siue *tacite* appellationi renuntiauit (*e*); 2. qui vel ex sua confessione (*f*), vel ex dolosa contumacia (*g*) condemnatus est, nisi grauamen afferat, ab incommodis ex confessione aut contumacia oriundis plane diuersum; 3. qui bis in eadem causa et super iisdem articulis appellando tres conformes sententias contra se reportauit (*h*).

(*a*) L. 29. 30. Cod. *de appell. et consult.* (*b*) L. 4. §. 2. L. 5. pr. et §. 2. *de appell. et relat.* L. 2. §. 1. *Quand. appell.* Can. 30. II. q. VI. (*c*) L. 10. pr. et § 4. *de appell. et relat.* L. 1. 2. Cod. *Si vn. ex plur appell* (*d*) Cap. 18 *h. t.* Cap. 3. *eod.* in Clem. (*e*) L. 1 §. 3. *A quib. appell. non lic.* L. 5. §. 6. Cod. *de tempor et reparat.* Cap. 4. 6. *h. t.* in VI. Non obstat Cap 20. *h. t.* Post sententiam appellationi *tacite* renuntiare censetur, non solum, qui intra tempus praefinitum non appellat, sed etiam, qui actus ponit, appellation repugnantes, veluti qui dilationem ad soluendum pe . L. 5. od. *de re iudic.*, qui iusiurandum probationis loco alteri detulit L. 12 §. 3. Cod. *de reb. cred.*, qui de re iudicata, cum eam impugnare posset, transegit. L. 7 pr. L. 11 *de Transact.* L. 32. Cod. *eod*, qui, interposita appellatione, litem coram inferiore iudice prosequitur, aut in re, ad superiorem pertinente, ad illum redit. Cap. 20. *de off iud. deleg* Cap. 54. *h. t.* (*f*) L. 1. *de Confes.* L. vn. Cod. *eod.* Cap. 3. §. 5. *h. t.* in VI. (*g*) L. 73. §. 3. *de Iudic.* L. 13. §. 4. Cod. *eod.* (*h*) L. vn. Cod. *Ne lic. in vn. ead. caus.* Cap. 65. *h. t.* Cap. 1. *de Sent. et re iud.* in Clem. Qui igitur a bis appellante in secunda appellatione victus est, tertiam appellationem interponere potest.

§. 1154. Appellatio gradatim instituenda.

Appellari potest a quouis iudice *inferiore*; non ergo a principe (*a*), nec ab eo, quem princeps supremum iudicem constituit (*b*), vel cum clausula: *remota appellatione* delegauit (*c*). Appellatio porro *gradatim*, ad iudicem scilicet *immediate* superiorem, fiat, oportet (*d*), In causis fori ecclesiastici appellatio ab inferioribus praelatis ad *episcopum*, ab eo, eiusue vicario (§. 468) ad *archiepiscopum* (*e*), et ab hoc ad *summum pontificem* facienda est (*f*). Etsi enim

ius supremae instantiae, a qua vlterius prouocare non liceat, in primatu per se non insit (§. 84.), merito tamen ad illum translatum, appellatio igitur a Papa ad futurum concilium iure proscripta est (*g*).

(*a*) L. 1. §. 1. *A quib. appell. non lic.* (*b*) Tanta auctoritate *Senatus Romanus* L. 1. *cit.* §. 2, *praefecti praetorio* L. VII. §. 1. *de offic. praef. praet.*, item *patriarchae* L. 29. Cod. *de episc. aud.* praediti erant. Contra horum sententias non nisi supplicatio dabatur, vel ipsis intra decendium, vel Imperatori intra biennium offerenda. L. VII. Cod. *de Sentent. praef. praetor.* Auth. ad L. 5. Cod. *de precib. imper. offer.* (*c*) L. 1. *cit.* §. 4. Cap. 41. 47. 71. *h. t.* Sed haec clausula, vt interpretes monent, nec alia iuris remedia excludit, nec appellationem ob grauamen manifestum interdicit, nec effectum *deuolutiuum* tollit, *suspensiuum* duntaxat impediens. Cap. 9. *de Sentent. et re iudic.* Cap. 53 pr. *h. t.* (*d*) L. 1. §. 3. L. 21. pr. *h. t.* Valet tamen appellatio *per saltum*, quatenus pars aduersa in ea acquiescit. L. 54. §. 1. *de re iud.* Cap. 66. *h. t.* (*e*) Cap. 12. *de offic. iud. ordin.* Cap. 3. pr et § 1. *h. t.* in VI. Sed ex more, in Germania recepto, in arbitrio appellantis est, vtrum ad archiepiscopum, an ad summum pontificem appellare velit; plerique autem ad hunc malunt, quam ad illum; principes quoque facilius ferunt summi pontificis, quam alienigenae archiepiscopi iurisdictionem. Vnde appellatio ad archiepiscopum in illis potissimum regnis viget, in quibus archiepiscopus et episcopi eidem imperanti parent. (*f*) Cap. 52. *h. t.* Cap. 1 *de Offic. legat.* De causis in *secunda*, et, si contra exemtos agitur, in *prima instantia* ad summum pontificem deuolutis, *rota Romana* ius dicit, eaque sic conformata est (§. 232.), vt omnes, quacunque via ad illam perducantur, *trium instantiarum iure* vtendi occasionem habeant. Secundum *leges Austriacas* neque

nuntium apostolicum, neque aliud iudicium ecclesiasticum extra fines imperii Austriaci constitutum, adire cuiquam licet. Hinc 1. omnes causae, ad forum ecclesiasticum pertinentes, *in prima instantia*, vti concilium Trid. XXIV. Cap. 20. decreuit, coram ordinario earum iudice, nimirum episcopo, agitandae sunt. 2. Appellatio ab episcopo ad archiepiscopum, scilicet indigenam, facienda est. 3. Si in quauis instantia sententiam ferendi ius ad summum pontificem spectat, rogandus is est, vt ad causae cognitionem iudices delegatos in partibus constituat, *Constit.* 463. 465. in Collect. *cit.* (*g*) Cap. 1. 2. *h. t.* in VII.

§. 1155. Et in omni causa permissa est.

Appellandi insuper facultas datur in omni causa, etiam minima (*a*). Et quamuis appellatio in caussis *momentaneae* (§. 1046.) *possessionis* (*b*), aliisque, *moram non ferentibus* (*c*), vim *suspensiuam* non habet; inde tamen haud sequitur, *deuolutiuam* quoque ita sublatam esse, vt iudex superior de ea statuere, cognitoque grauamine appellationem admittere nequeat.

(*a*) L. 20. Cod. *de appell. et consult.* Cap. 11. *h. t.* (*b*) L. vn. Cod. *Si de moment. possess.* (*c*) L. 7. *de appell. recip.*

§. 1156. Appellatio rite interponenda.

Qui appellatione rite vsurus est, eam tempore modoque praescripto tum *interponere*, tum *introducere*, tum, iustam illam esse, probare, hoc est, *iustificare* debet (*a*). Et *interponere* quidem appellationem oportet coram iudice *a quo* (*b*), idque viua voce fieri potest, si e vestigio, et audita mox sententia fiat (*c*); si ex interuallo, non nisi *per litteras*, nomina partium, et iudi-

cis a quo exhibentes (*d*). Tempus autem interponendae appellationis est decendium continuum (*e*), a momento, quo sententia ei, cuius interest, innotuit, computandum (*f*).

(*a*) Vnde *tempora appellatoria*, seu *fatalia* dicuntur. L. 5. §. 1. Cod. *de tempor. reparat.* (*b*) L. 1. §. 7. *Quand. appell.* Cap. 9. *h. t.* in VI. Si iudex a quo praesens non est, coram iudice ad quem L. 1. § 10. *de appellat.*, et si neuter adiri potest, coram honestis viris ceu testibus appellationem proponere licet. L. 7. *de Appell.* L. 2. Cod. *de his, qui per. met iud.* Cap. 73. *h. t.* (*c*) L. 2. *de Appell.* L. 14. Cod. *eod.* Ex iure nostro quoduis verbum, appellandi animum significans Cap. 34. *h. t.*, quin et factum sufficit, si quis nempe, sedem apostolicam appellaturus, Romam iter facere instituit. Cap. 9. *h. t.* Cap. vn. *de cler peregr.* (*d*) L. 1. §. 4. *de Appellat.* Commemoratiò certae causae appellantem non impedit, quo minus aliam postea causam allegare queat. L. 3. § 3. L. 13. *de Appellat.* (*e*) Authent. ad L. 6. Cod. *de Appellat.* L. 1. Cod. *de Fer.* Can. 28. pr. II. q. VI. Cap. 15. *de Sentent. et de re iudic.* (*f*) L. 1. §. 5. 15. *Quand. appell.* Cap. 8. *h. t.* in VI. Terminum hunc legalem consensu partium prorogari posse, ex L. 5. §. 6. Cod. *de tempor. et repar.* colligunt.

§. 1157. Apostoli olim petendi erant.

Appellatione rite interposita, appellans intra triginta dies *instanter et saepius* a iudice *a quo* petere debet *apostolos*, seu litteras, appellationis interpositae testes. Iis iniuste denegatis, saluum est ius appellationem prosequendi; iis autem intra terminum praefixum vel non petitis, vel, cum offerentur, non receptis, appellatio deserta censetur (*a*). Sed haec apostolorum petitio non est amplius in vsu; eius loco

appellans petit, vt acta, coram iudice a quo gesta, ad iudicem superiorem transmittantur (*b*).

(*a*) L. vii. *de libell. dimiss.* L. 24. Cod. *de Appellat.* Cap. 1. 4. 6. *h. t.* in VI. Cap. 2. *eod.* in Clem. (*c*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 20. Rec. Imp. Nou. §. 61. 62. 63.

§. 1158. Effectus interpositae appellationis.

Effectus interpositae appellationis non solum *deuolutiuus* est, sed plerumque etiam *suspensiuus* (*a*). Ex quo consequitur, vt, quidquid postea vel a iudice, vel ab adversario in praeiudicium causae attentatur, ad preces appellantis a iudice superiore in statum pristinum illico reducendum sit (*b*). Quodsi ipse appellans attentatum commisit, appellationis beneficio indignum se reddidit (*c*).

(*a*) Cap. 54. 55. *h. t.* Cap. 1. pr. *de off. ordin.* in VI. (*b*) L. vii. *Nih. innou. app. interp.* Can. 31. II. q. VI. Cap. 62. *h. t.* Cap. 7. *eod.* in VI. (*c*) Cap. 42. *h. t.*

§. 1159. Appellatio quomodo introducenda.

Appellationis rite introducendae causa appellans, *quod* et *quare* eam interposuerit, iudici superiori *generatim* et *breuiter* exponere, eundem, vt appellationem recipiat, rogare, idque intra terminum, a iudice a quo praefixum, facere tenetur (*a*) Tum iudicis superioris est disquirere, an appellatio rite interposita, et grauamen tanti, vt appellans putat, momenti sit. Si apparet, appellationem ratione formae vitiosam, aut ratione materiae friuolam esse, iudex eam reiicit, et appellantem, et causam ad iudicem inferiorem remittit (*b*); si contra ratione

formae et materiae iusta videtur, eam receptam esse, pronuntiat, partesque ad causam appellationis inter se disceptandam citat.

(*a*) Cap. 4. 26. 33. *h. t.* Sed terminus hic iure provinciali vbique fere definitus est. (*b*) Cap. 38 61. *h. t.* Cap. 5. *eod.* in VI.

§. 1160. Ius adhaesionis appellati.

Quin appellatus, si et sibi grauem esse sententiam existimet, intra decendium pariter appellare possit, nullum est dubium, eoque facto, *mutua*, seu *reciproca* appellatio habetur, vtrinque per se ita subsistens, vt, altero ab appellatione sua fors desistente, saluum alterius maneat ius appellationem suam prosequendi. Ad hoc *appellatio*, postquam *recepta* est, *beneficium* fit alteri quoque, qui intra decendium non appellauit, eatenus *commune*, quatenus is sua etiam grauamina proponere, adeoque sententiae in suum fauorem emendationem petere, hoc est, appellationi *adhaerere* potest (*a*), siue alter aduersus totam sententiam, siue aduersus certa tantum eius capita appellauerit (*b*). Cui consequens est, vt, appellatione semel recepta, appellatus iure adhaesionis adhuc vti possit, etsi alter appellationi renuntiare, eamue deserere voluerit (*c*).

(*a*) Cap. 4. *de Elect.* in VI. (*b*) L. 39. pr. Cod. *de Appellat.* (c) Arg. L. vn. pr *Si pend. appell mors.*

§. 1161. Appellatio dein iustificanda est.

Iustificatio receptae appellationis fit per oblationem *libelli grauaminum*, in quo appellans

latius nunc planiusque probare conatur, se modum appellandi legitimum seruasse, et grauamina sibi illata eius omnino generis esse, vt appellationis praesidio tolli mereantur (*a*). Tunc vero iudicium appellationis eodem modo, vti in prima instantia, audita nempe *exceptione*, *replicatione*, et *duplicatione*, peragitur. Tempus illud peragendi secundum *ius commune* est annus a die interpositae appellationis, vel ex iusta causa biennium (*b*). Sed id hodie non seruatur; terminus autem, intra quem iustificatio proponenda sit, vbi iure prouinciali definitus non est, arbitrio iudicis constituitur.

(*a*) Sed tali libello grauaminum speciali non est opus, si appellans libellum, ita compositum, in introductione appellationis iam exhibuit. (*b*) Authent. ad L. 2. Cod. *de tempor. et reparat.* Cap. 5. *h. t.* Cap. 3. *eod.* in Clem.

§. 1162. Quatenus causa ad statum litis contestatae reducatur.

In iudicio appellationis causa ad statum, in quo fuit tempore litis contestatae eatenus reducitur, quatenus vtrique parti *non deducta deducendi*, *non probata probandi* facultas datur (*a*), his conditionibus astricta, 1. vt, quae nunc demum deducuntur ac probantur, ad eandem, quae in prima instantia mota est, actionem et rem, ad eandem quoque exceptionem, prius oppositam, pertineant (*b*); 2. vt exceptiones, in prima instantia silentio praeteritae, ideoque peremtae (§. 1097.), non admittantur, nisi nunc demum emerserint, vel nunc demum sibi inno-

tuisse excipiens iurauerit (c); 3. vt, quod de illicita probatione per testes super iisdem vel contrariis articulis (§. 1121.) constitutum est, in appellationis quoque causa seruandum sit (*d*).

(*a*) L. 6. §. 1. 2. L. 37. in fin. Cod. *de Appellat.* (*b*) L. 4. Cod. *de tempor. et repar.* Cap. 5. *h. t.* in Clem. (*c*) Cap. 4. *de Except.* (*d*) Cap. 2. *de Testib.* in Clem.

§. 1163. Sententia in iudicio appellationis.

Finem iudicio appellationis imponit sententia iudicis, eaque sententiam prioris instantiae vel *confirmat*, et tunc, temere appellante in expensas condemnato, causa ad iudicem *a quo* remittitur, vt is sententiam exequatur, vel *reformat*, seu corrigit, et tunc ipse iudex *ad quem* executionem decernit, compensatis vtique expensis (*a*).

(*a*) Cap. 59. Cap. 61. in fin. *h. t.*

§. 1164. Appellatio extraiudicialis.

Hactenus de appellatione *iudiciali*, a qua *extraiudicialis* vtraque (§. 1152.) in eo plane differt, quod *illa* eundem processus, vel *ordinarii*, vel *summarii* (§. 1013.) ordinem seruet, quo causa in prima instantia acta est; *haec* semper *summarie*, tanquam causa, celerem expeditionem requirens, pertractetur, adeoque audita semel parte appellata, vlteriorem partium disceptationem haud facile admittat.

§. 1165. Et quidem proprie sic dicta.

Qui appellationem *extraiudicialem* (§. 1152.) *proprie sic dictam*, rite adhibere vult, is 1. iu-

dicem grauantem adeat, oportet, qui si interlocutionem suam reuocat (§. 1144.), adeoque grauamen tollit, expedita res est (*a*); si conquerentem repellit, is intra decendium (*b*) recte appellationem interponit (*c*), intra terminum, a iudice a quo praefixum, apud iudicem superiorem et quidem in scripto, grauamina speciatim exhibente, introducendam (*d*). 2. Appellatio haec vim suspensiuam non habet, nisi inhibitio iudicis superioris accesserit (*e*), nec ex aliis causis, quam in appellatione nominatim exhibitis, nec per alias probationes praeter iam allatas iustificari potest (*f*). 3. Ea licet iustificata, ipsius tamen causae principalis cognitio et decisio iudici *a quo* relinquenda est (*g*).

(*a*) Cap. 60. *h. t.* Cap. 10 *eod.* in VI. (*b*) Cap. 8. *eod.* in VI. (*c*) Veluti cum iudex in executione rei iudicatae legitimum exequendi modum excedit, et conquerentem audire renuit. L. 5. Cod. *Quor. app. non recip.* Cap. 15. *de Sent. et re iud.* (*d*) Cap 61. *h. t.* Cap. 1. *eod.* in VI. (*e*) Cap. 3. §. 4. 5. et Cap. 7. *h. t.* in VI. (*f*) Cap. 5. *h. t.* in Clem. Cessat igitur non deducta deducendi, non probata probandi beneficium. (*g*) Contrarium ex Cap. 59 *h. t.* et Cap. 5. *eod.* in VI. colligunt. Sed magis est, vt ius primae instantiae tum iudici, tum partibus nouissime vendicatum Conc. Trid XXIV. Cap. 20. conseruetur.

§. 1166. Extraiudicialis improprie sic dicta.

De appellatione *extraiudiciali improprie sic dicta*, seu *prouocatione ad causam* speciatim annotamus, 1. eam quoque intra decendium (*a*), et quidem 2. apud iudicem superiorem, inferiore scilicet frustra rogato, proponendam es-

se (*b*); 3. rite interpositam, effectum suspensiuum habere, si quidem res moram patiatur (c).

(*a*) Cap. 8. *h. t.* in VI. (*b*) Cap. 11. *eod.* in VI. (*c*) Cap. 10. 19. *de Elect.* Cap. 51. *h. t.*

§. 1167. Nullitas sententiae ob defectum insanabilem.

Ius commune varias causas commemorat, quae sententias ita nullas reddunt, vt ab iis appellare non sit necesse, cum, omissa appellatione, per querelam nullitatis impugnari possint. Sed ex *iure, in Germania recepto*, illius tantum nullitatis ratio hac in re habenda est, quam *insanabilis defectus in persona iudicis, vel in substantialibus processus* importat (*a*). Tali autem defectu, adeoque *insanabili nullitate* laborat sententia, ab incompetente iudice (*b*), interueniente procuratore falso (*c*), contra impuberem vel minorem indefensum (*d*), contra absentem non citatum aut praesentem non auditum (*e*) pronuntiata.

(*a*) Rec. Imp. Nou. §. 121. 122. Ita fere dudum antea pro terris status ecclesiastici statuerat Clemens VIII. his verbis: *ne iudices nullitates attendant, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis aut mandati.* Constit. *Litium* an. 1593. (*b*) L. 1—4. Cod. *Si a non compet.* L. 5. 6. Cod. *Quand. prouoc. non est necess.* Cap. 26. *de R. I.* in VI. (*c*) L. 24. Cod. *de Procurat* Cap. 4. *eod.* (*d*) L. 1. 2. Cod. *Qui legit. person.* L. 4. Cod. *Si aduers. rem iudic.* (*e*) L. 1. §. 3. *Quae sentent. sine appell.* An, et quaenam aliae nullitates *insanabiles* dicendae sint, adhuc disceptatur, etsi nodum hunc expedire conatus sit Goenner *Handb. des deutsch. Process.* Tom. III. Cap. 64.

§. 1168. Querela nullitatis.

Sententia adeo nulla 1. *querelae nullitatis* per

triginta annos est obnoxia (*a*); 2. querela haec ad superiorem iudicem deferenda est (*b*); 3. caret autem effectu *suspensiuo*, nisi nullitas oppido manifesta sit (*c*); 4 recte igitur et considerate agit, qui querelam hanc cum appellatione coniungit, vt, in *hac* victus, prosequi *illam* possit.

(*a*) L. 3 Cod. *de praescript.* 30. *vel* 40. *an.* (*b*) L. 6. Cod. *Quand. prouoc. non est necess.* Et vel ideo ad *superiorem*, quod nullitas iudicem inferiorem de inscitia, vel malitia arguere videatur. (*c*) Arg. Cap. 1. *de Sent. et re iud.* in Clem.

§. 1169. Nullitas sanabilis.

Cum vero de aliis nullitatibus praeter memoratas haud satis constet, insanabiles sint, an sanabiles; in tuto est, qui omnes alias sanabilium loco habet, itaque assumit, sententiam ex quauis alia causa nullam, aut iniustam, veluti quod minus recte concepta, aut promulgata (*a*), vel contra *ius constitutionis*, seu *ius in thesi* (*b*), vel contra rem prius iudicatam (*c*), vel a iudice pecuniis corrupto (*d*), prolata sit, per appellationem, aut, si postea demum tale vitium innotuit, per restitutionem in integrum impugnandam, querelam vero nullitatis cum alterutro remedio *alternatiue* tantum coniungendam esse.

(*a*) L. 1. §. 1. *de Fer.* L. 6. Cod. *de Sentent. et interloc.* L. 3. Cod. *de Sentent. ex peric.* Cap. 5 *de sent. et re iud.* in VI. Cap. 2. *de V. S.* in Clem. (*b*) Solennis legibusque nixa L. 19. *de Appellat.* Cap. 1. 13. *de sentent. et re iud.*, quin et exemplis illustrata L. 1. §. 2. *Quae sent. sine appell.* L. 2. Cod. *Quand. prouoc. non est*, est distinctio inter senten-

tiam contra *ius constitutionis* seu *in thesi*, et contra ius *litigatoris*, seu *in hypothesi* latam. *Illa* certe ipso iure nulla est; an vero nullitas haec insanabilis sit, in incerto est. Caeterum vix iudicem reperies adeo stupidum, vt sententiam *contra ius in thesi*, id est, sententiam, *manifestae* legi repugnantem *expresse*, et *speciatim* proferre non vereatur. (c) L. 1. Cod. *Quand. prouoc. non est necess.* (d) L. 7. Cod. *eod.*

§. 1170. Restitutio contra rem iudicatam.

Idem multo magis dicendum est de sententia ex falsis instrumentis, aut testimoniis (*a*), item ex falso iureiurando suppletorio, aut purgatorio (*b*) lata. Sicut enim leges contra vtramque beneficium restitutionis expresse concedunt, ita vtramque validam, adeoque vel appellationis vel restitutionis auxilio impugnandam esse, declarant, prout scilicet falsitas vel intra terminum appellationis, vel postea demum innotuit. Etsi igitur ius commune rem iudicatam obtentu instrumentorum, postea repertorum, rescindere haud permittit (*c*), generaliter tamen receptum est, restitutionem toties concedendam esse, quoties quis probauerit, se noua plane, et quidem eiusmodi instrumenta et argumenta inuenisse, quibus antea exhibitis contraria sine dubio sententia prodiisset.

(*a*) L. 33. *de re iudic.* L. 1. — 4. Cod. *Si ex fals. instr.* Cap. 9 *de Testib.* Cap. 22 *h. t.* (*b*) L. 31. *de Iurei.* (c) L. 4. Cod. *de re iudic.* Cap. 20. *de sentent. et re iudic.*

§. 1171. Modus eam petendi.

Vt vero contra rem iudicatam restitutio in

integrum recte petatur, 1. ab eodem iudice, qui sententiam tulit, petenda est, siquidem error aut ignorantia partis (*a*), a superiore autem, si iudicis inferioris malitia petendi causam dedit; 2. ea quoque vim *suspensiuam* habet, vbi ante decretam executionem petita est (*b*); 3. petens iurare debet, noua, quae nunc profert, nunc demum sibi innotuisse, aut saltem nunc demum proficua sibi visa esse; 4. Quadriennium, intra quod petenda est, a die rei iudicatae, vel nouorum repertorum currit, si nimirum, elapso demum quadriennio reperta fuisse, legitime probatum fuerit.

(*a*) L. 16. §. 5. L. 17. *de Minor.* (*b*) L. vn. Cod. *In integ. restit. postul.*

SECTIO IV.

DE IVDICIO ECCLESIASTICO CRIMINALI.

CAPVT I.

DE DELICTIS ET POENIS GENERATIM.

V. 23. *De delictis puerorum.*
— 37. *De Poenis.*

§. 1172. Delictum, seu crimen.

Delictum, *crimen*, seu *maleficium* est actio legi humanae *cogenti*, (§. 284.) contraria, actio

nimirum externa, libera, contra legem humanam, simpliciter et absolute aliquid praecipientem, aut prohibentem, admissa, ideoque poenae *iudiciali*, seu *forensi* obnoxia (*a*).

(*a*) Qui *delictum* per factum illicitum poenale, dein *poenam* per malum, quod propter delictum infligitur, definiunt, nae illi vitium istud committunt, quod logici *circulum in definiendo* vocant.

§. 1173. Poena delicti pedissequa.

Qui enim eiusmodi legem violat, non solum legislatorem offendit, sed publicam quoque salutem laedit (*a*), et hoc ipso poenae, etiamsi lex mentionem de ea expresse non faciat, reum se reddit (*b*), eademque merito afficitur, tum vt malefacere dediscat, tum, et quam maxime, vt exemplo sit, quo caeteri a maleficiis deterreantur (*c*).

(*a*) Ideo enim leges humanae actus quosdam *simpliciter* et *absolute* praecipere, vel prohibere censendae sunt, quod actus illi ad bonum commune necessarii, facta igitur contraria salutem publicam laedere videantur. Et quanquam leges *inuitantes* (§. 282.) eatenus *cogentibus* similes sunt, quatenus is, qui aliter agere maluit, bono oblato carere, aut incommodum ferre debet; adhuc tamen in eo maxime ab his differunt, quod secus facientes culpae laesaeue salutis publicae reos non faciant. Leges scilicet *inuitantes* tantum *disiunctiue* statuunt, eoque respectu legum *pure poenalium* (§ 298.) rationem habent. *In alternatiuis debitoris est electio, et sufficit, alterutrum adimpleri* Cap. 70 *de R. I.* in VI. Et *vbi verba coniuncta non sunt, sufficit, alterutrum esse factum.* L. 10. §. 3. *de R. I.* (*b*) *Quod praecipitur, imperatur, quod imperatur, necesse est fieri; si non fiat, poenam habet.* Hieronym. ap. Gratian. Can.

3. XIV. q. I. Ita nempe *delictum* sua natura *est poenae quaedam praeparatio*. L. 131. pr *de V. S.*, et, qui delinquit, *ipse se poenae subdidit*. L. 34. *de Iur. fisc.* (c) *Factae sunt autem leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis, formidato supplicio, refrenetur audacia, et nocendi facultas.* Isidorvs ap. Gratian. Can. 1. Dist. IV.

§. 1174. Delictum eccles., ciuile, mixtum.

Lex illa humana, cuius violatio delictum constituit, vi potestatis vel ecclesiasticae, vel ciuilis sancita, lex igitur vel ecclesiastica, vel ciuilis, et vel prohibens, vel praecipiens est. Hinc etiam *delicta* vel *ecclesiastica* vel *ciuilia*, vtrinque vel *commissionis*, vel *omissionis* (*a*) appellantur.

(*a*) L. 121. *de R. I.*

§. 1175. Diuisiones aliae generales.

Omne insuper *delictum* 1. prout a sciente et volente, vel ex errore aut ignorantia superabili admittitur, *dolosum* vel *culposum* (*a*), 2. pro grauitate mali et periculi, per illud illati, pro gradu item liberi in agendo arbitrii, *graue* vel *leue* (*b*), 3. quatenus palam commissum, totique quasi populo testatum, vel adeo manifestum et peruulgatum non est; *notorium* vel *occultum* (*c*), 4. quatenus illud malum, quod delicti naturam constituit, effectum, vel eius efficiendi conatus tantum adhibitus est, *consummatum* vel *attentatum* (*d*), 5. prout porro ab omnibus cuiusuis status, vel a certi tantum ordinis personis committi potest, *commune* vel *proprium* appellatur (*e*).

(*a*) L. 1. *de Legib.* Delictum *dolosum* ponit *animum delinquendi*, vel ipsum scilicet delictum, vel tale nefas admittendi, ex quo illud facile consequi posse, manifestum est. Vnde *dolus* in *directum* et *indirectum* distingui solet. (*b*) L. 16. §. 6. *de Poen.* (*c*) Cap. 7. 8. *de cohab. cler. et mulier* Cap. 24. *de V. S.* (*d*) L. 1. §. 2. *de extraord. crim.* (*e*) L. 2. *de re milit.*

§. 1176 Rei et conrei.

Quibus hasce positiones subiungimus: 1. Infantes delinquere non posse, nemo nescit; infantium vero instar in delictis habentur infantiae adhuc proximi (*a*). 2. Pubertati proximis, eamue vix egressis delicta minus imputantur, quam natu grandioribus (*b*). 3. Delicti haud dubie conreus fit, qui ad illud perpetrandum *agendo*, veluti iubendo (*c*), consilium dando (*d*), laudando (*e*), auxilium ferendo (*f*) perfugium (*g*) occasionemue praebendo (*h*), aliquid contulit.

(*a*) L. 5. §. 2. *Ad leg. aquil.* Cap. vn. *de Homicid.* in Clem. (*b*) L. 108. *de R. I.* Cap. 1. 2. *de Delict. puer.* Cap. 6. *de V. S.* (*c*) L. 169. *de R. I.* (*d*) L. 16. *de Poen.* (*e*) L. 1. §. 4. *de Seru. corrup.* (*f*) §. 11. 12. Instit. *de oblig. quae ex del.* (*g*) L. 1. *de Recept.* L. 1. §. 2. *de seru. corrup.* (*h*) L. 30. §. 3. *Ad leg. aquil.*

§. 1177. Participes alieni delicti.

Huc et sequentes positiones pertinent. 1. Qui alterius delictum, etsi sine suo periculo posset, non impedit, ob id solum non delinquit, nisi ad illud impediendum ratione personae (*a*), vel ipsius delicti (*b*) speciatim obligatus sit. 2. Qui delictum, ab alio patratum,

non denuntiat, eius propterea particeps non fit (c), nisi denuntiatio lege praecepta sit (d). 3. Qui delictum ab alio commissum, approbat, illud *ratum habere*, ideoque pariter contrahere tum censetur, si ipsius nomine commissum est (e); secus *peccati* quidem, non autem *delicti* reus dicitur (f).

(a) Qui nempe in alios potestatem habent, eos a delictis cohibere, et qui aliis fidelitatem debent, eorum defensionem suscipere tenentur. L. 44. 45. *Ad leg. aquil.* L. 6. §. 8. 9. *de re milit.* (b) Ex eo, quod leges grauiora quaedam crimina impediendi obligationem omnibus imponant, interpretes merito colligunt, idem de quouis alio grauiori delicto dicendum esse. Itaque, *eos delinquentibus fauere, interpretamur, qui, cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare.* Cap. 47. *de Sent. excom.* Eatenus, *qui potuit hominem liberare a morte, et non liberauit, eum occidit, — — nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Can. 8. 11. XXIII. q. III. Cap. 6. §. 2. *de homicid.* (c) L. 48. §. 1. *de furt.* (d) Veluti de iniusto matrimonio Cap. 7. *de cognat. spirit.*, et de simonia Cap. 2. *de Simon.* Extrau. com. in iure nostro sancitum est. (e) *Rem haberi ratam, hoc est, comprobare agnoscereque, quod actum est a falso procuratore* L. 12. §. 1. *Rat. rem hab.* Hinc, et arg. L. 6. §. 6. *de Negot. gest.* sumta videtur iuris nostri regula: *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.* Cap. 9. *de R. I.* in VI., et hoc forsan respectu *in maleficio ratihabitio mandato comparatur.* L. 152. §. 2. *de R. I.* L. 1. §. 14. *de vi et vi arm.* (f) Cap. 23. *de Sent. excom.* in VI. Alioqui interpretes monent, approbationem delicti alieni, siue approbantis, siue alterius nomine commissi, eatenus tantum in crimen vocari, quatenus approbatio ipsum delictum approbatum continet, vel futuri delicti incitamentum infert.

§. 1178. Poena forensis, eccles. vel ciuilis.

Poena publica, *forensis* seu *iudicialis* est malum corporis, aut status externi, lege humana in delicti, id est, laesae salutis publicae reos constitutum (*a*). Qui malo afficitur, bono vtique ac iure quodam priuatur. Omnis igitur poena bonorum ac iurium priuationem importat. Cum vero illorum adeptio et tuitio vel ecclesiasticae vel ciuili consociationi debeatur, adeoque vel ab ecclesiastica, vel a ciuili potestate pendeat; poena quoque vel *ecclesiastica* seu *spiritualis*, vel *ciuilis* seu *temporalis* dicenda est. Et principes quidem poenas tantum temporales; ecclesiae autem rectores poenas tantum spirituales suo iure irrogare posse, plani iuris est.

(*a*) L. 131. §. 1. *de V. S.* Itaque incommoda, quae ex lege *inuitante* veniunt (*poenae sine culpa, sed non sine causa* Cap. 23. *de R. I.* in VI.) poenarum forensium nomine non intelliguntur.

§. 1179 Diuisiones poenae.

Vtriusque generis poenae sic diuiduntur: 1. Poena, quam lex ipsa certo delicto imponit, *legitima*; cuius selectionem lex iusto iudicis arbitrio relinquit, *arbitraria*, eaque vel *simpliciter*, vel *quodammodo* talis dicitur, prout lex vel nullam poenam expresse statuit, vel plures poenas ita proponit, vt vna ex illis irrogetur (*a*). 2. Poena, cuius executio actum aliquem siue ipsius delinquentis, siue alterius exigit, *positiua*, quae sola cessatione persoluitur, *priuatiua* appellatur. 3. Poena, lege sic constituta, vt, simul ac delictum est, delinquentem statim (*ipso*

iure, *ipso facto*) afficiat, *latae sententiae*, sic autem intentata, vt per sententiam iudicis reo irrogetur, *ferendae sententiae* vocatur (*b*).

(*a*) Poena *legitima*; quatenus in delictum quoddam generatim constituta est, *ordinaria*, quatenus ordinaria pro singulari rerum adiunctarum ratione vel aliqua molestia augetur, vel leuior redditur, *extraordinaria* dicitur. (*b*) Sententia, quae latae sententiae poenam annuntiat, *declaratoria*, quae ferendae sententiae poenam infert, *condemnatoria* audit.

§. 1180. Obligatio ex delicto publica.

Ex omni delicto nascitur obligatio *publica*, iustam nempe debitamque poenam reipublicae soluendi, non quod delinquens semet ipsum iudici offerre, aut poenam subimet ipsi infligere, sed quod sibi irrogatam suscipere, et pati teneatur. Hinc 1. poenam *ferendae sententiae*, tum *positiuam* tum *priuatiuam* nemo subire tenetur, antequam sententia *condemnatoria* perculsus sit. 2. Nec *latae sententiae* poenam, siquidem *positiua* est, sustinere quis debet, priusquam sententia *declaratoria* in eum lata fuerit (*a*). 3. Poena autem *latae sententiae priuatiua* ante omnem iudicis sententiam ferenda est.

(*a*) Cap. 19. *de Haeret.* in VI.

§. 1181. Item priuata.

Ex delicto autem, quo alteri damnum illatum est, nascitur porro obligatio *priuata* damnum resarciendi, eaque ad heredes transit, etsi nihil ex delicto ad eos peruenerit, modo vires hereditatis sufficiant (*a*); si plures coniunctim ita deliquerunt, singuli in solidum tenen-

tur (*b*); nec cessat obligatio haec priuata ob id, quod delinquens a publica liberatus fuerit (*c*).

(*a*) Cap. 14. *de Sepult.* Cap. 5. *de Raptor.* Cap. 9. *de Vsur.* Aliter iure *Rom.* constitutum erat L. vn Cod *Ex delict. defunct.* (*b*) L. 14. §. 15. *Quod met. caus.* L. 1. Cod. *de condict. furt.* (*c*) L. vn. Cod. *Quand. ciuil. act. crim.*

CAPVT II.
DE DELICTIS IVRISDICTIONI ECCLES. OBNOXIIS.

V. 31. *De Excessibus praelatorum et subditorum.*

§. 1182. Eadem fere ex vtroque iure delicta.

Sicut leges ciuiles facta in religionem et ecclesiam iniuriosa, ceu laesiones reipublicae, poenis ciuilibus coercent (*a*); ita leges ecclesiasticae in actiones saluti ciuitatis contrarias, quod sanctitatem et existimationem ecclesiae laedant, poenas ecclesiasticas statuunt (*b*). Quare mirum haud est, omnia fere delicta, quae in iure *ciuili* hoc nomine notata sunt, in *canonico* quoque percenseri, et quaedam duntaxat alterutri propria esse.

(*a*) L. 10. Cod. *de Episc. et cler.* L. 4. § 1. Cod. *de Haeret.* (*b*) Can. Apost. 83 Can. 9. XXVI. q. II

§. 1183. Quaedam mere vel eccles. vel ciuil.

Hinc *delicta ecclesiastica*, et *ciuilia*, vel *mere talia* sunt, vel *mixta*, prout nempe vel in solam legem ecclesiasticam, vel in solam legem ciuilem, vel in vtramque simul committuntur.

§. 1184. Illa communia vel propria.

Sola illa lex ecclesiastica vel omnibus ecclesiae membris, vel ecclesiasticis tantum personis imposita est. Vnde *delicta mere ecclesiastica* pariter in *communia* et *propria* abeunt (*a*). Quaenam vero haec illaue sint, non tam ex titulis iuris canonici, sub quibus certa delicta, plurimum scilicet *mixta*, describuntur, quam ex singulis eius capitibus desumendum est, in quibus nempe officia tum omnibus ecclesiae membris communia, tum ecclesiasticis personis, clericis nempe, religiosis, iisque, qui munere ecclesiastico funguntur, propria recensentur.

(*a*) Propria eiusmodi delicta, a praelatis in subditos, et ab his in illos commissa, in iure nostro *excessus* vocantur, veluti si praelati subditos suos inhoneste et nimis aspere tractant, aut beneficia suae collationis sibi conferunt, aut retinent Cap. 1. 3. *de Excess prael.;* si subditi debitam reuerentiam et subiectionem praelato exhibere recusant. Cap. 15. *eod.*

§ 1185. Delicta iurisdictioni eccles. obnoxia.

Cum eius proprie sit, iudicium de legibus facere, cuius est, eas ferre (§. 985.), plane consequitur, delicta mere ecclesiastica, tum communia, tum propria, iurisdictioni ecclesiasticae tantum (*a*), mere ciuilia seculari tantum (*b*), mixta autem vtrique iurisdictioni pro ea, quae inter vtramque intercedit, ratione obnoxia esse, idque sine discrimine, siue a clericis, siue a laicis admissa fuerint.

(*a*) *Si ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione ecclesiastica et mulcta, episcopus hoc dis-*

cernat — — secundum sacras et diuinas regulas, quas etiam nostrae sequi non dedignantur leges. Nouell LXXXIII. Cap. 1. (*b*) *In ciuili crimine ciuilis praesit iudex, — — nec tamen puniatur* (clericus), *etiamsi reus sit inuentus, priusquam per episcopum sacerdotio spolietur.* Auth. *Clericus quoque* ad L. 33. Cod. *de Episc. et cler.*

§. 1186. Vetus opinio de delictis mixtis.

Ius commune quidem ponit, *clericos* in *delictis* non tantum *mixtis*, sed et *mere ciuilibus* foro seculari penitus exemtos, solique ecclesiastico subiectos esse (§. 420.). Ad hoc plani iuris esse, videbatur, *laicos* in delictis *mixtis* ecclesiastico peraeque ac seculari foro obnoxios fieri, in illis ergo et *praeuentioni* locum esse, et causam, in vno foro agitatam, et decisam, in altero quoque a capite retractari, et decidi posse.

§. 1187. Infirma et minus recta.

Sed illud, quod de *clericis*, foro seculari exemtis, dicitur, ex priuilegio est, vbique fere vel sublato, vel circumscripto (§. 421.). Quod autem ad delicta *laicorum* attinet, reputandum est, iurisdictionem ecclesiasticam seculari derogare nihil posse. Vnde colligimus 1. in delictis mixtis iurisdictionem secularem ecclesiastica potiorem esse, 2. eiusmodi delicta ad forum ecclesiasticum *praeuentionis* nomine trahi non posse, 3. quaestiones *praeiudiciales* mere ecclesiasticas, et necdum definitas, iudicio ecclesiastico quidem committendas, iis vero decisis, iudicium in foro seculari peragendum es-

se; 4. exceptionem rei, in foro seculari iudicatae. in ecclesiastico admittendam (*a*), adeoque in illo condemnatum, in hoc tanquam criminis *de iure notorii* reum habendum esse (*b*).

(*a*) Cap. 2. *de Except.* in VI. (*b*) Cap. 3. *de testib. cog.* Cap. 24. *de V. S.*

§. 1188. Vera de iis ex iure hodierno sententia.

Hinc est, quod iuris nostri interpretes iam pridem concordissime tradiderunt, iudices scilicet ecclesiasticos in *delictis laicorum mixtis* se non immiscere, sed eorum cognitionem ac punitionem foro seculari vel ideo relinquere, quod poena ciuilis sat grauis, adeoque ecclesiasticam addere, sicque *bis de eodem delicto vindictam exigere* necesse haud sit (*a*). Idem de *delictis clericorum mixtis*, vbi fori clericalis priuilegium cessat, dicendum est. Dempto autem hoc priuilegio, consequens plane est, omnia delicta *mixta*, siue a clerico, siue a laico commissa, ratione cognitionis et poenae inferendae ad forum seculare, et eatenus duntaxat ad ecclesiasticum pertinere, quatenus condemnati, et poena canonica ipso iure fors affecti, dispensatione aut absolutione ecclesiastica indigent (*b*).

(*a*) Can. Apost. 24. (*b*) Ex hisce principiis leges *Austriacae* sic statunt: In delictis *mere ecclesiasticis* clerici (immo et laici) foro tantum ecclesiastico, in delictis autem tum *criminalibus*, tum *politiae*, tum aliis, lege ciuili notatis, clerici, vt laici, foro tantum seculari, et illi quidem ea moderatione subiecti sint, vt vel nocte, vel clauso curru sellaue gestatoria in custodiam tradantur, nec in communi carcere, sed honesto cubiculo includantur. Quodsi cle-

ricus in negotiis, per leges ciuiles sacro ministerio demandatis, delinquat, itaque delictum clericorum proprium, at mixtum subsit; duo quaesitores, ecclesiasticus et ciuilis, constituantur, iique coniunctim causam cognoscant, ac de ea ad regimen prouinciae referant. *Constit* 473. 478. 479. 482. in Collect. cit.

CAPVT III.

DE POENIS ECCLESIASTICIS GENERATIM.

§. 1189. Poenae in foro eccles. olim ciuiles.

Cum clerici etiam in delictis *ciuilibus*, et in illis, quae *mixta* vocare placuit, alicubi adeo laici foro ecclesiastico commissi essent (§. 1186.); mirum haud est, quod iudices ecclesiastici poenas quoque *ciuiles* delinquentibus irrogauerint. Hinc ius nostrum *mulctam pecuniarum*, non tamen iudici, sed ecclesiae alteriue causae piae addicendam (*a*), *relegationem*, seu *exilium finitimum* eo sensu, vt quis a loco delicti in alium transferatur (*b*), *poenam verberum* et *flagellorum*, ne tamen in vindictam sanguinis transire videatur (*c*), inclusionem in *carcere* vel *ad tempus*, vel in *perpetuum* (*d*) aliasque poenas ciuiles commemorat, *mortis* tamen et *sanguinis* poena semper excepta, vtpote qua liberare potius quam afficere sontes, ecclesiae proprium est (*e*).

(*a*) Cap. 2. 3. *de Poen.* Conc. Trid. XXV. Cap. 3. (*b*) Can. 9. Dist. LXXXI. Can. 9. III. q. IV. Cap. 1. *de Calumn.* (*c*) Can. 8. Dist. XLV. Cap. 4. *de Reptor.*

(*d*) Cap. 3. *de Poen.* in VI. *Carcerem*, speciatim *perpetuum*, poenae loco irrogare, ius *Romanum* vetat. L. 8. §. 9. L. 35. *de Poen.* L. 6. Cod. *eod.*; ius *canonicum* carcerem etiam perpetuum poenae *capitalis* loco in delicta atrociora constituit. Cap. 15. §. 1 *de Haeret.* Cap 27. §. 1. *de V. S.* Cap. VII in fin. *de Poen.* Extrau. com. (*e*) Can 1. 2. 7. XXIII q. V. Cap. 4. *de Raptor.* Cap. 3. *de Crim. fals.*

§. 1190. Hodie modicae tantum coercitiones.

Sicut autem delicta ciuilia non amplius iurisdictioni ecclesiasticae obnoxia sunt; ita nec poenae ciuiles per eam amplius irrogari possunt, leuioribus quibusdam exceptis, quae paternae ac domesticae castigationis potius, quam poenarum rationem habere videntur. Et hoc quidem modicae coercitionis iure episcopi clericis delinquentibus honestam ad tempus custodiam, ieiunium moderatum, sacras commentationes in monasterio vel seminario obeundas, iniungere solent. Sed ad clericorum disciplinam arctius astringendam amplior potestas episcopis concedenda esset.

§. 1191. Poenarum eccles. duo genera.

Caeterum *poenae ecclesiasticae* duplicis sunt generis. Quaedam scilicet ea mente infliguntur, vt delinquens, cum primum resipiscit, debitamque satisfactionem offert, ab iis liberetur, eaeque *medicinales*, et peculiari nomine *censurae* vocantur (*a*), quaedam vero ita irrogantur, vt delinquens, si non perpetuo, ad certum saltem tempus iis subiectus maneat, et hae *vindicatiuae* seu *poenae* speciatim dicuntur (*b*).

(*a*) Can. 37. XXIV. q. III. Cap. 1. *de Sent. excom.* in VI. (*b*) Cap. 11. *de Constit.*

§. 1192. Censurae et poenae speciatim.

Censurarum tres sunt species, nimirum 1. *suspensio*, 2. *interdictum*, et 3. *excommunicatio* (*a*); quadruplicis autem generis sunt *poenae*, videlicet 1. *irregularitas* ex delicto, 2. *priuatio* beneficii, 3. *depositio*, et 4. *degradatio*, quibus ecclesiae rectores suo iure reos afficere possunt.

(*a*) Cap. 20. *de V. S.*

§. 1193. Vtraeque fere arbitrariae.

De vtroque poenarum genere iuris nostri interpretes animaduertunt, antiquorum canonum in iis infligendis seueritatem iam pridem mitigatam esse, cum graues illae *poenitentiae*, in multos dies, et persaepe annos iniungi olim solitae, in desuetudinem, *poenae* autem et *censurae*, quondam *legitimae*, si non omnes, saltem *pleraeque* in *arbitrarias* abierint. Sed iidem interpretes non tantum, quaenam poenae ac censurae adhuc legitimae sint, nusquam definiunt; sed omnes, in singula delicta constitutas, ita recensent, ac si omnes sine discrimine adhuc legitimae essent. Scilicet veteris disciplinae documenta magis, quam quid vsus ferat, tradere videntur.

CAPVT IV.
DE CENSVRIS.

V. 39. De Sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti.

§. 1194. Censura hominis vel iuris.

C*ensura*, quam ipsa lex tanquam certi delic-

ti poenam infert, vel inferri iubet, *iuris*, cuius inferendae potestatem lex iudici tribuit, vt iurisdictionem suam contra contumaces tueri possit, *hominis* appellatur. *Illa* rursus a modo, quo lex eam comminatur, vel *latae*, vel *ferendae sententiae* est. Quare censura, quae per sententiam iudicis, vt poena delicti commissi, denuntiatur, *iuris*, et illa tantum *hominis*, seu *ab homine lata* proprie dicenda est, quae per sententiam iudicis, vt poena contumaciae (§. 1084.) infertur (*a*).

(*a*) Cap. 1. 3. *Vt lit. non contest.* Cap. 8. *de dol. et contum.* Cap. 19. *de Appellat.* Hoc sensu in Cap. 5. *de sent. excom.* in VI. cautum est, ne iudices pro delictis *futuris* aut *praeteritis* censuras ferant. Pro futuris nempe delictis censuras ferre eius est, qui leges ferre potest; pro praeteritis autem lex ipsa poenam exigit. Hanc quidem iudex per sententiam denuntiare, censuram vero non, nisi superueniente contumacia, inferre potest.

§. 1195. Censurae latae sententiae.

Omnes censurae initio *ferendae sententiae* erant, et vix aliae in ipso *decreto*, quin et *decretalibus Gregorianis* reperiuntur (*a*). Posthac vero plures identidem censurae *latae sententiae* prodierunt. In *sexto* decretalium libro XXXII., et in *Clementinis* L. occurrunt (*b*), quibus per nouas pontificum constitutiones conciliorumque decreta tot additae sunt, vt ne solertissimi quidem interpretes cunctas dinumerare audeant (*c*). Interim vix est, quod de tanta earum multitudine conqueramur. Omnes fere interpretes tradunt, ab incurrenda censura non solum *facti*,

sed etiam *legis*, immo et *censurae*, eidem fors adiunctae, *ignorantiam* excusare, siquidem adeo crassa et affectata non sit (*d*).

(*a*) Nec aliam, si recte interpretamur, infert Can. 29. XVII. q. IV. (*b*) Glossa in Cap. 22. *de Sent. excom.* in VI. et in Cap. 1. *eod.* in Clem. (*c*) PICHLER in Candidat. Iurisp. sacr. ad Tit. *de Sent. excomm.* §. 16—23 *ducentas et viginti tres* recenset. (*d*) Idque ex Can 2. Dist. LXXXII. et Cap. 2. *de Constit.* in VI. colligunt.

§ 1196. Officium iudicis, censuram ferentis.

Iudex autem, siue censuram vt delicti, siue vt contumaciae poenam inferat, ea lege astrictus est, vt censura afficiendum *trina* citatione *dilatoria*, vel *vna peremtoria* (§. 1076.) primum admoneat; tum sententiam *scriptam*, illatae censurae causam expresse memorantem, proferat; eius deinde exemplum reo, id petenti, coram testibus, rei gestae fidem facientibus, tradat (*a*). Et quamuis censura *latae sententiae* statim vim suam in reum exserat; tamen iudex citationem et monitionem praemittere debet, vt sententiam *declaratoriam* ea de re ferre possit (*b*).

(*a*) Nouell. CXXIII. Cap. 11. Can. 11. II. q. I. Can. 6. XXIV q III. Cap. 48. *de Sent. excomm.* Cap. 1. 9. 13 *eod* in VI. (*b*) Arg. Cap. 3. *de Cens.* et Cap. 2. in fin. *de Poen.* in Clem.

§. 1197. Appellatio contra censuram.

Ad auertendam quidem, quam iudex forte minatur, censuram appellatio, tanquam a grauamine futuro (§. 1153.), locum habet, ea-

que irritam reddit sententiam postea latam (*a*); si vero sententia censurae a iudice competente modoque legitimo prolata est, tum appellatio, contra eam interposita, vim quidem *deuolutiuam*, non autem *suspensiuam* (§. 1151.) habet, vt adeo condemnatus censuram, ceu poenam *priuatiuam* (§. 1179.), interim ferre, itaque iudicis superioris sententiam exspectare teneatur (*b*).

(*a*) Cap. 52. *de Appell.* Cap. 40. *de Sent. excom.*
(*b*) Can. 1. XI. q. III. Cap. 37. *de Appellat.* Cap. 20. *de Sent. excom.* in VI.

§. 1198. Excommunicatio maior et minor.

Excommunicatio est censura, qua homo Christianus a communione sacrorum ecclesiae catholicae excluditur. Sicut varii generis sunt sacra, ad communem membrorum ecclesiae vsum instituta, ita et plures olim erant gradus, seu species excommunicationis. Sed nunc duae tantum dantur, *excommunicatio* scilicet *minor*, quae a sola sacramentorum perceptione submouet, saluo aliorum sacrorum vsu (*a*), et *excommunicatio maior*, quae omnium prorsus sacrorum communione priuat (*b*), eaque, si adhibitis diris cerimoniis in aliquem vibratur, *anathema* vocari solet (*c*), etsi hoc verbum pro quauis excommunicatione, praesertim maiore saepius sumatur (*d*). Cum porro veteres excommunicationis nomine plerumque *minorem* quamdam intelligerent, nunc, vbi lex, aut iudex excommunicationem intentat, *maiorem* semper intelligendam esse, iure nouo constitutum est (*e*).

(a) Cap. 9. 10. *de cler. excom.* (b) Can. 32. 107. XI q. III Cap 2. *de Except.* (c) Can. 106. XI. q. III. Cap. 10. *de Iudic.* (d) Can. 6. 7. 12. III. q. IV. Gratian. ad Can. 24. XI. q. III. (e) Cap. 59. *de Sent. excom.*

§. 1199. Illius effectus in sacris.

Maior autem *excommunicatio* excommunicatum 1. sacramenta non solum percipere, sed etiam administrare vetat (*a*); 2. diuinis officiis, puta sacrificio missae, horis canonicis, publice recitari solitis, aliisque cultus diuini solennis partibus interesse prohibet, expellendum, nisi admonitus sponte discedat (*b*); 3. ad officia et beneficia ecclesiastica obtinenda inhabilem reddit (*c*), quin tamen iuste acquisita statim adimat (*d*); 4. iurisdictione ecclesiastica exuit (*e*); 5. sepulturae ecclesiasticae honore excludit (*f*); 6. communione precum et sacrorum, quae pro veris ecclesiae membris constituta sunt, priuat, ideoque publicas pro excommunicato preces facere haud licet (*g*).

(a) Cap 3. 6. 10. *de cler. excom.* (b) Cap. 18. *de Sent. excom.* Cap. 24 *eod.* in VI. Cap. 2. *eod.* in Clem. Nihil tamen eum prohibet, quin sacras conciones audire, et priuatim ecclesias visere possit. Cap. 43. *de Sent excom.* (c) Cap. 7. *de cler. excom.* (d) Cap. 3 §. 1 *de Appellat.* (e) Cap. 1. *de offic. vicar.* in VI Cap 10. *de off. iud deleg.* in VI. (f) Cap. 12. *de Sepult* Cap. 1 *eod* in Clem. (g) *Ita interdum contingit. vt, qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus, — — et absolutus apud Deum, nondum sit apud ecclesiam absolutus.* Cap. 28. 38. *de Sent. excom.*

§ 1200. Item in profanis negotiis.

Ita quidem excommunicatio censura est

mere ecclesiastica, quandoquidem vt sontes *sacrorum* tantum communione priuat; ita aliis *sacrorum* duntaxat communionem cum illis interdicit (*a*). Dein vero apostolorum monita de vitandis fratribus, manifesto crimine obstrictis (*b*), argumento erant omnem prorsus, non solum in *sacris*, sed etiam *profanis* negotiis communionem cum excommunicatis prohibendi (*c*), sanciendique, vt, qui *scienter*, et *sine iusta causa* communionem cum illis haberet, simili excommunicatione afficeretur (*d*). Sed hoc ita nunc temperatum est, vt illicite communicans in *minorem* tantum excommunicationem incurrat; nisi in ipso crimine, ob quod alter excommunicatus est, communionem cum eo habuerit (*e*).

(*a*) Can. Apost. 10. 11. 12. eos tantum culpae arguunt, qui in *sacris* cum excommunicato communionem habent. (*b*) I. Cor. V. 1—13. II. Thessal. III. 6. 14. 15. Rom. XVI. 17. II. Ioann. 9. 10. 11. (*c*) Ex eo consequi videbatur, excommunicatum nec iudicis Cap. 24. *de sent. et re iud.*, nec testis, nec aduocati aut procuratoris, nec actoris Cap. 8. *de Sent. excom.* in VI. personam sustinere posse. Nihil autem obstat, quo minus conueniri, et tanquam reus omni modo se defendere possit. Cap. 5. *de Except.* Omnes prohibitae communionis actus hoc versiculo: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*, scholastici denotarunt. (*d*) Can. 16—19. Can. 24. Can. 28. 29. XI. q. III. Causas autem excusantes hoc versiculo indicare solent: *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Can. 103. XI. q. III. Cap. 31. 34. *de Sent. excom.* (*e*) Cap. 2. *de Except.* Cap. 29. 55. *de Sent. excom.* Cap. 3. *eod.* in VI. Illicita communio cum excommunicatis vnica excommunicationis minoris causa est, ab eaque quilibet sacerdos recte absoluit. Cap. 29. *de Sent. excom.*

§. 1201. Excommunicati vitandi et tolerati.

Adhuc tamen vetita cum excommunicatis communio magna incommoda inuehebat. Quo plures enim excommunicationes latae sententiae emanarant, eo saepius accidebat, vt complures alii ob illicitam communionem minore saltem excommunicatione implicarentur (*a*). Huic contagioni medelam attulit constitutio MARTINI V., vi cuius illi tantum sub poena excommunicationis minoris *vitandi* sunt; qui per sententiam iudicis nominatim excommunicati, et, vt tales, publice denuntiati, aut tanquam notorii clericorum percussores infamati sunt (*b*). Alii omnes, alio quouis modo excommunicati, *non vitandi*, et *tolerati* propterea dicuntur, quod tum in sacris, tum in profanis negotiis communionem cum illis habere omnibus permissum sit (*c*).

(*a*) Cap. 3. §. 1. *de Priuileg.* Cap. 15. *de Sent. excom.* (*b*) Constitutionem hanc omnes laudant; plures quoque verba eius referunt, sed non vno modo; caeterum ita apud nos vsu recepta est, vti *Concordata* MARTINI V. et SIGISMVNDI *Imp.* eam exhibent apud HARZHEIM Concil. Germ. Tom. V pag. 133. Secundum leges *Austriacas* nulla excommunicatio eam vim habet, vt vitandum reddat, nisi causa a quaesitoribus ecclesiasticis et ciuilibus cognita, et sententia ab episcopo quidem lata, placito autem regio approbata fuerit. *Constit.* 464. 466. 471. in Collect. cit. (*c*) Eodem iure et ipse excommunicatus gaudet, siquidem alii cum eo versari volunt, aut actum, ei alioquin interdictum, ab eo expetunt; de reliquo autem ita obstrictus manet, vt exceptio excommunicationis eidem opponi semper possit. Cap. 12. *de Except.* Cap. 1. *eod.* in VI. Cap. vn. *eod.* in Clem.

§. 1202. Interdictum personale et locale.

Interdictum est censura, qua vel persona a sacrorum vsu arcetur, vel locus ita afficitur, vt ne sacra in eo peragantur: vnde interdictum vel *personale* vel *locale* dicitur. Sacra autem, interdicto comprehensa, haec fere sunt: 1. Administratio et perceptio sacramentorum, exceptis baptismo et confirmatione (*a*), poenitentia, et sacro morientium viatico (*b*). 2. Celebratio omnium officiorum diuinorum, exceptis illis, quae certis temporibus (*c*), diebus praesertim festis magis solennibus, et regularibus in suis ecclesiis speciatim permissa sunt (*d*). 3. Sepultura ecclesiastica, exceptis clericis, qui in loco interdicto *tacite* sepeliri possunt (*e*).

(*a*) Cap. 43. *de sent. excom.* Cap. 19. *eod.* in VI. (*b*) Cap. 11. *de Sponsal.* Cap. 24. *de sentent. excom.* in VI. (*c*) Cap. 57. *de sent. excom.* (*d*) Cap. 24. *eod.* in VI. (*e*) Cap. 11. *de Poenit.* Cap. 24. *de Priuileg.* Cap. 8. *eod.* in VI.

§. 1203. Vtrumque generale vel particulare.

Etsi excommunicatio in collegium vel vniuersitatem ferri non possit (*a*); interdicto tamen vniuersitates quoque ferire, moris erat. Hinc *interdictum*, tum *personale*, tum *locale* vel *generale* est, quo personarum (*b*) aut locorum vniuersitates (c) olim premebantur, vel *particulare*, quo certae personae, aut certa quaedam loca sigillatim multabantur (*d*).

(*a*) Cap. 5. *de sent. excom.* in VI (*b*) Cap. 4. 16. *eod.* in VI. (*c*) Cap. 10. 17. *eod.* in VI. (*d*) Cap. 17. *de V. S.*

§. 1204. Interdictio ecclesiae, et cessatio a diuinis.

Interdicti quodammodo rationem habent 1. *Interdictio ingressus in ecclesiam*, ne quis scilicet diuina ibidem officia solenniter celebrare audeat, eaque poena ex mente canonum praelatis potissimum suspensionis loco irroganda est (*a*). 2. *Cessatio a diuinis* ob graues iniurias ecclesiae cuidam illatas, indici quondam solita, vt hac ratione delinquens ab iniuria abstinere, et damna resarcire cogeretur (*b*).

(*a*) Cap. 48. *de sent. excom.* Cap. 20. *eod.* in VI. Cap. 9. *de offic. ordin.* in VI. Cap. 2. *de Cens.* in VI. Conc. Trid. VI. Cap. 1. (*b*) Cap. 2. 8. *de offic. ord* in VI. Cap. 1. *de sent. excom.* in Clem.

§. 1205. Vsus interdictorum eccles. oblitteratus.

Caeterum nihil iam est, cur plura de his verba faciamus. Nam 1. *interdicta generalia*, seculi XI. partus, nunquam non male audierunt, et nunc quidem penitus abolita sunt. 2. Interdictum *particulare locale*, vti et *cessatio a diuinis* remedia pariter vetusta, atque ab vsu dudum intermissa sunt. 3. Interdictum *personale* et *particulare*, item *interdictio ingressus in ecclesiam* quaedam re ipsa vel *excommunicationis* vel *suspensionis* species sunt, prouti vel in laicum vel in clericum feruntur.

§. 1206. Suspensio generalis vel specialis.

Suspensio est censura, qua clerico vsus sui *ordinis*, *officii* aut *beneficii* interdicitur, eaque, si tum ordinem, tum officium et beneficium simul afficit, *generalis*, si alterutrum tantum,

specialis, et haec rursus prouti vel ad omnes ordinis, officii aut beneficii actus, vel ad quosdam duntaxat pertinet, *totalis* vel *partialis* vocatur (*a*).

(*a*) Sicut *suspensio generalis et perpetua* in poenam *depositionis* abit, ita suspensio *specialis*, *in perpetuum*, vel *ad certum tempus* irrogata, non *censurae*, sed *poenae* rationem habet. Eius exempla sunt in Cap. 7. § 3 *de Elect.* Cap. 1. *de Cler venat* Cap. 16. §. caeterum *de Elect.* in VI. Cap. 1. *de sent. excom* in VI. Datur porro *suspensio* quaedam *extraordinaria*, quam praelati *ex quacunque causa*, *etiam ob occultum crimen*, *etiam extraiudicialiter* in suos subditos ferre possunt. Conc. Trid. XIV. Cap. 1.

§. 1207. Annotationes de ea.

Quibus has positiones subiungimus: 1. Suspensio non solum in personas singulas, sed etiam in collegia ferri potest (*a*). 2. Suspensionis, vti et interdicti censura, generaliter lata, ad episcopos non pertinet, nisi expresse eorum mentio facta sit (*b*). 3. Suspensio ab officio illam a beneficio non importat (*c*), nec suspensus ab ordine suspensus a iurisdictione censendus est (*d*). 4. Suspensio ab ordine, vel officio tantum censura est mere ecclesiastica; quae autem beneficium attingit, poenae ciuilis rationem habet (*e*).

(*a*) Cap 40. *de Elect.* in VI. Cap. 1. *eod.* et Cap. 1. *de Simon.* Extrau. com. (*b*) Cap. 4. *de sentent. excom* in VI. (*c*) Cap. 10. *de purgat. can.* (*d*) Cap. 15. 49. *de R. I.* in VI. (*e*) Hinc leges, ne eiusmodi suspensio a iudicibus ecclesiasticis decernatur, nisi causa, a quaesitoribus ecclesiasticis et ciuilibus cognita; suspensionis sententia a regimine prouinciae

comprobata fuerit. Constit. 235. §. 3. *Constit.* 482. §. 3. in Collect. *cit.*

§. 1208. Ius absoluendi a censuris.

Quemadmodum censurae auctoritate ecclesiastica constitutae sunt; ita non nisi per *absolutionem*, eadem auctoritate impertiendam, tolluntur (*a*). Et 1. a censura quidem *hominis* ille tantum recte absoluit, qui eam tulit, eiusue successor (*b*). 2. Censuras vero *iuris*, *non reseruatas* soluere possunt non tantum episcopi aliique praelati, sed etiam parochi aliique sacerdotes (c). 3. Censurae *reseruatae* a reseruantis vtique arbitrio pendent; episcopi tamen in quibuscunque casibus occultis, etiam sedi apostolicae reseruatis, quoscunque subditos in dioecesi sua absoluendi potestatem habent (*d*). 4. Eadem facultate plurium ordinum, praecipue mendicantium, religiosos ex priuilegiis pontificiis praeditos esse, notum atque testatum est.

(*a*) Cap. 15. 28. *de sent. excom.* Caue, absolutionem hanc cum *absolutione sacramentali* confundas. *Haec* quidem a peccatis in Deum absoluit; res *ordinis* seu *ministerii sacri*, et *fori interni* est, atque a sacerdotibus tantum administrari potest. Absolutio contra, de qua hic agitur, a censura, seu poena forensi, liberat; iurisdictionis igitur, et fori plane *externi* est, eiusque tribuendae facultas etiam iis, qui non sunt sacerdotes, committi potest. (*b*) Can. 40. XI q. III. Cap. 3. *de Offic. iud. ordin.* (*c*) Cap. 29. *de sent. excom.* Episcopi aliique praelati ab eiusmodi censuris etiam extra confessionem sacramentalem, parochi aliique sacerdotes non nisi in confessione sacramentali absoluere possunt. Sed *illorum* absolutio pro foro *externo* tantum, *horum* pro *inter-*

no duntaxat, valet. (*d*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 6. Concilium addit: *in foro conscientiae.* Interpretes hanc clausulam sic explicant, quod absolutio episcopalis in huiusmodi causis reseruatis, etsi extra confessionem sacramentalem data sit, non solum in foro externo, sed etiam *in foro conscientiae* valeat. Sed qua ratione absolutio non sacramentalis vim absolutionis in foro conscientiae habere possit, haud sane apparet.

§. 1209. Absolutio ad cautelam, et ad reincidentiam.

Absolutio autem omnibus, qui ad officium redeunt, eiue satisfacere parati sunt, vel *simpliciter*, vel *interea* saltem impertienda est (*a*). Ita 1. in dubio, an quis censura irretitus, ideoque ad actum aliquem obeundum habilis sit, *absolutio ad cautelam* adhibetur, ne scilicet actus ob censuram forte latentem impugnari possit (*b*). 2. Si censura affectus, quin ipse in culpa sit, nondum praestitit, quod, vt simpliciter absolui possit, adhuc praestandum est, *absolutio ad reincidentiam*, ita nempe datur, vt absolutus, si praestandum praestare neglexerit, in eandem censuram recidat (*c*).

(*a*) Cap. 11. *de Constit* Cap. 28. *de sent. excom.* (*b*) Cap. 9. *de Except.* Cap. 40. 52. *de sent. excom.* Cap 2. 7. §. 2. *eod.* in VI. Talis absolutio quoque est, quae absolutioni sacramentali his verbis: *Absoluo te a vinculo excommunicationis, in quantum possum, et tu indiges*, praemitti solet. (*c*) Cap. 11. 26. *de sent. excom.* Cap 22. *eod.* in VI. Hoc modo non solum episcopi, sed etiam parochi aliique sacerdotes ab omnibus censuris, summo pontifici reseruatis, eos omnes absoluere possunt, qui iusto impedimento detinentur, quo minus sedem apostolicam adire queant. Cap. 13. 58 *de sent excom.*

CAPVT V.

DE POENIS ECCLESIASTICIS, SPECIATIM SIC DICTIS.

V. 37. *De Poenis.*

§. 1210. Irregularitas ex delicto.

Irregularitas ex delicto est poena, quae ordines *licite* tum accipiendi, tum exequendi iure priuat. Omnia delicta *publica* et *manifesta* sicut *infamiam*, ita quoque *irregularitatem*, ceu poenam omnibus eiusmodi delictis communem, pariunt. Quaenam vero delicta *occulta* eam inferant, suo loco (§. 387.) exposuimus.

§. 1211. Priuatio beneficii.

Priuatio beneficii poena est aliquando *latae*, aliquando *ferendae* sententiae (§, 634.); semper vero beneficii, iuste possessi, cessionem iniungit, itaque poenae *positiuae* rationem habet. Hinc sententia iudicis vel *condemnatoria*, vel *declaratoria* opus est, vt quis eam subire, adeoque de possessione decedere teneatur (*a*). Sed omnimodae priuationis loco plerumque *translocatio* (§. 640.) adhiberi solet.

(*a*) Quod de *suspensione a beneficio* (§. 1207.) idem de *priuatione beneficii* legibus nostris constitutum est.

§. 1212. Depositio

Depositio est poena, qua clericus ab omni prorsus munere ac functione clericali in perpe-

tuum remouetur (*a*), atque ita ad conditionem laicorum reducitur: vnde olim *reductio ad communionem laicam* dicebatur (*b*). Canones poenam hanc, valde grauem, in plura delicta non admodum grauia constituunt (*c*); interpretes autem testantur, eam, mitigata iam veteri seueritate, non nisi ob crimina atrociora irrogari (*d*). Cum vero prudenter cautum sit, depositum vel in monasterio includendum, vel in *alio bene prouiso loco prouidentia episcopi* constituendum esse (*e*); eius autem rei executio multum difficultatis nunquam non habuerit; mirum haud est, quod nullum fere huius poenae vsum videamus, etsi graues persaepe rationes eam exposcere videantur.

(*a*) Cap. 13. *de vit. et honest. cler.* Cap. 4. *de cler. excom.* Depositio non solum priuationem beneficii infert, sed etiam ad idem aliudue consequendum inhabilem efficit; sola autem beneficii priuatio (§. 571. §. 623.) hanc inhabilitatem non infert. (*b*) Can. 7. Dist. L. Can. 13. Dist. LV. (*c*) Cap. 4. 10. *de Iudic.* (*d*) Arg. Cap 6. *de cohabit. cler. et mulier.* Conc. Trid. XXV. Cap. 14. (*e*) Can 7. 8. Dist. LXXXI. Cap. 6. §. 7. *de homicid.* Cap 6. *de Poenis.*

§ 1213. Degradatio.

Degradatio ex hodierno loquendi vsu est depositio, eum in finem facta, vt depositus curiae seculari tradatur, secundum leges puniendus (*a*). Grauissima haec poena non solum ob delicta in iure expressa, veluti ob scelus in proprium episcopum (*b*), haeresin (*c*), adulterationem litterarum apostolicarum (*d*), assasinium (*e*), et insanabilem depositi atque anathe-

mate perculsi prauitatem (*f*), sed etiam ob alia flagitia valde damnosa, et mortis vel mutilationis supplicio expianda inferri potest (*g*).

(*a*) Canones *depositionis* et *degradationis* vocibus promiscue vtuntur. Can. 8. Dist. LXXXI. Cap. 2. *de Poen.* in VI. Cum vero non quilibet depositus iudici seculari sit tradendus Cap. 4. §. 1. *de Iudic.*, alia igitur sit depositio ad poenitentiam in claustro peragendam, alia ad poenam ciuilem subeundam; *illam* nomine *depositionis*, et *hanc* solum *degradationis* verbo denotare, eam porro inter vtramque differentiam statuere coeperunt, quod illa statum clericalem non auferat (§ 423); haec eodem penitus priuet. (*b*) Can. 18. 31. XI. q. I. Can. 8. III. q. IV. (*c*) Cap. 9. *de Haeret.* Cap. 4. *eod.* in VI. (*d*) Cap. 7. *de crim. fals.* (*e*) Cap. 1. *de Homicid.* in VI. (*f*) Cap. 10. *de Iudic.* (*g*) Cap. 4. *de Raptor.* Cap. 27. *de V. S.*

§. 1214. Eius forma solennis.

Sicut clerici solenni ritu creantur (§. 379.), ita non sine cerimoniis de gradu suo deiiciuntur. Vnde *degradatio*, quatenus per sententiam iudicis infertur, *verbalis*, quatenus cum cerimoniis peragitur, *realis* seu *solennis* vocatur (*a*). Vtraque his actibus absoluitur: 1. Episcopus, eiusue vicarius generalis, adhibitis in consilium, si presbyter condemnandus est, sex, si diaconus vel subdiaconus, tribus vel abbatibus, vel aliis clericis, in dignitate constitutis, aetate ac iuris scientia honorabilibus (*b*), sententiam pronuntiat (*c*). 2. Tum ipse episcopus, assistentibus personis memoratis, modo rituque praescripto degradationem exequitur (*d*). 3. Ea peracta degradatus iudici seculari, ad hunc actum

euocato, traditur, addita deprecatione, vt sententiam citra mortis periculum moderetur (*e*).

(*a*) Cap. 2. *de Poen.* in VI. Easdem cerimonias, olim adhibitas fuisse, etsi depositus iudici seculari non traderetur, Can 65. XI. q. III. nos docet. (*b*) Eorum suffragia *decisiua* esse, immo *vnanimia* hic requiri, ex Cap 3. *de sent. et re iud.* interpretes colligunt. (*c*) Can. 3 4. 7. XV. q. VII. Cap. 1. *de Haeret.* in VI. Conc. Trid. XIII. Cap. 4. Si de clerico *minorum ordinum* agitur, solius episcopi sententia sufficit Can 5. XV. q. VII. Cap. 2. *de Poen.* in VI. (*d*) *Solennis coelestis militiae militis, id est, clerici, degradatio fiet, vt exauctoratio eius, qui militiae deseruit armatae, cui militaria detrahuntur insignia, sicque a militia remotus castris reiicitur, priuatus consortio et priuilegio militari.* Cap. 2. *cit.*, vbi etiam, quaenam sacrae militiae signa, et quomodo detrahenda sint, praescribitur. Degradationem hanc actum ordinis episcopalis esse, non nisi ab episcopo consecrato expediendum, interpretes tradunt. Pro argumento illis est Cap. 15. *de Elect.* et Conc. Trid *cit.* (*e*) Cap. 27. *de V. S.* Ita quidem, vbi fori clericalis priuilegium adhuc viget. Sed nunc degradatio fit, non vt iudex ecclesiasticus clericum, suo iudicio condemnatum, iudici seculari tradere, sed vt iudex secularis de clerico, iudicio ciuili condemnato, poenam sumere possit. Quod IVSTINIANVS ea de re constituerat: *Si* clericus *de crimine conueniatur, siquidem ciuili, hic quidem iudex competens ciuilis* causam cognoscat, et, si crimen legitime probatum fuerit, *episcopo gesta monumentorum palam faciat, et, si ex his agnoscatur, proposita crimina commisisse eum, tunc ipse episcopus hunc secundum regulas ecclesiasticas ab honore, siue gradu, quem habet, separet; iudex autem vltionem ei inferat, legibus congruentem.* Nouell. LXXXIII. in praef. §. 2. Nouell. CXXIII. Cap. 21. §. 1.; idem fere legibus *Austriacis* constitutum est, secundum

quas sententia criminalis; in clericum lata, vna cum actis iudicio superiori proponi, ab illo dein eum in finem episcopo denuntiari debet, vt is ratione depositionis aut degradationis statuere possit. Cod. crim. Austr. P. I. §. 446.

CAPVT VI.
DE DELICTIS CONTRA FIDEM ET VNITATEM ECCLESIAE.

V. 6. De Iudaeis, Saracenis et eorum seruis
— 7. De Haereticis.
— 8. De Schismaticis et ordinatis ab eis.
— 9. De Apostatis et reiterantibus baptisma.

§. 1215. Infidelitas.

Infidelitas, qua *Ethnici* seu *Pagani*, et *Saraceni* seu *Mahomeddani*, item *Iudaei* laborant, eatenus in delictorum numero habetur, quatenus leges et canones illis iniungunt, vt ab actibus et cerimoniis in Deum et naturam iniuriosis abstineant. Sic *Paganis* templa habere, atque idolis sacrificia facere non licet (*a*); *Mahomeddanis* impium sectae suae auctorem publice colere et celebrare non permittitur (*b*); *Iudaei* ea conditione tolerantur, vt nihil contumeliose in Christum et religionem Christianam dicant, faciantue (*c*). Christianis contra demandatum est, vt *Iudaeis ac paganis, quiete degentibus, nihilque tentantibus turbulentum legibusque contrarium, manus inferre* (*d*), Iudaeos porro in sacrorum celebratione, ipsis concessa, impedire, aut turbare non audeant (*e*).

(*a*) L. 1. 3. 7. Cod. *de Pagan.* (*b*) Cap. vn. *de Iudae.* in Clem. (*c*) L. 14. Cod. *de Iudae.* Cap 13. *eod.* (*d*) L. 6. Cod. *de Pagan.* (*e*) Can. 3. Dist. XLV. Cap. 9. *de Iudae.*

§. 1216 Cautelae contra eam.

Ne autem ciuile fidelium cum infidelibus commercium, nimiaque familiaritas illorum fidei periculum reique Christianae detrimentum inferat; ita in iure cautum est: 1. Irrita sunt coniugia fidelium cum infidelibus, nec hi plures eodem tempore vxores habere possunt (*a*). 2. Infideles in familiari seruitio Christianos non habeant, nec hi, vt famuli domestici, illis seruiant, nec in vna domo cum illis habitent (*b*). 3. Arceantur infideles ab omnibus muneribus publicis, nec vlla in Christianos iurisdictio iis concedatur (*c*). 4 Nefas est Christianis, arma vel quaecunque instrumenta bellica, vel quaeuis alia tempore belli mercimonia ad infideles exportare (*d*). 5. Iudaeis antiquas synagogas habere, et reparare, non autem nouas aedificare, aut ampliores facere licet (*e*).

(*a*) L. 7. Cod. *de Iudae.* Cap. 8. *de Diuort.* (*b*) L. 1. 2. Cod. *Ne christian. mancip.* Cap. 5. 8. *de Iudae.* Ne Iudaei nutrices christianas habeant, speciatim cautum est Cap. 8. 13. *eod.* (*c*) L. 19. pr. Cod. *de Iudae* Cap. 16. 18. *eod.* (*d*) L. 2. Cod. *Quae res export.* L. 25 Cod. *de Poen.* Cap 6. 11. 12. 17. *de Iudae.* Cap vn. *eod.* Extrau. Ioan. Cap. 1. *eod.* Extrau. com. (*e*) L. 19 §. 1. Cod. *de Iudae.* Cap. 3. 7. *eod.* Interdicta, ne Christiani conuiuia cum Iudaeis celebrent, ne eodem balneo cum illis vtantur, neue Iudaeos medicos adhibeant, Can. 12 13. 14 XXVIII. q I., de vitanda nimia familiaritate cum illis intelligenda sunt.

Quod autem constitutum est, vt Iudaei die parasceues ostia vel fenestras apertas non habeant, et diebus passionis dominicae in publicum non prodeant, insuper vt in vestitu signum gestent, quo a Christianis discernantur Cap. 4. 15. *de Iudae.*; in vsu esse desiit.

§. 1217. Apostasia.

Apostasia est defectio a fide et religione Christiana, seu transitio Christiani ad impietates ac superstitiones infidelium (*a*) Atque haec apostasia *a fide*, seu *perfidiae* dicitur (*b*), vt ab ea, quam *ab ordine* (*c*), et ab illa, quam *a religione* (*d*) appellant, distinguatur.

(*a*) L. 1. seq. Cod. *de Apostat.* Cap. 13. *de Haeret.* in VI. (*b*) In L. 2. Cod. *cit.* *Violatae, atque desertae religionis Christianae* crimen vocatur. (*c*) Hac se contaminant clerici maiorum ordinum (§. 380), qui, abiecto habitu et tonsura clericali, ad laicorum mores et vitam transire audent. L. 53. §. 1. Cod *de Episc. et cler.* Cap. 1. 3. *de Apostat.* (*d*) In hanc incurrunt vitae et disciplinae regularis, quam professi erant (§. 439.), desertores, obligatam votorum religione fidem fallentes. Nouell. CXXIII. Cap. 42. Cap. 24. *de Regular.* Cap. 5. 6. *de Apostat.* Conc. Trid. XXV. Cap. 19. *de Regular.*

§. 1218. Haeresis, haeretici.

Haeresis est doctrina certo ac definito fidei catholicae dogmati (§. 74.) contraria (*a*), et *haereticus* est, qui Christi nomen profitetur, haeresin tamen probat, atque defendit (*b*). Qui haeresin mente tantum, ac cogitatione fouet, haereticus *internus*, qui eam verbis aut factis significanter declarat, *externus* audit, isque, si ex ignorantia, quantumuis superabili, illud fa-

cit, caetera paratus ad errorem, cognita veritate, deponendum, *materialis* (c), si scienter, et cum pertinacia in errore perseuerat, *formalis* appellatur (*d*). Tum *hic*, tum *ille*, si ita sibi temperat, vt nihil legibus ciuitatis salutique publicae contrarium moliatur, *quietus*, secus autem *turbulentus* merito vocatur.

(*a*) *Haeresis graece ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi vnusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.* HIERONYMVS ap. GRATIAN Can 27. XXIV. q. III. Quot et quaenam haereses inde ab initio ecclesiae vsque ad VII. seculum exortae fuerint, ISIDORVS *Hisp.* can. 39. *ibid.* refert. (*b*) *Haereticorum vocabulo continentur, qui vel leui argumento* (vel in vno fidei articulo §. 111.) *a iudicio catholicae religionis, et tramite detecti fuerint deuiare.* L. 2. §. 1. Cod. *de Haeret.* (*c*) *Qui sententiam suam, quamuis falsam atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia suae praesumtionis pepererunt, sed a seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi.* AVGVSTINVS ap. GRATIAN. can. 29. *loc. cit.* (*d*) *Qui alicuius temporalis commodi, et maxime gloriae principatusque sui gratia falsas, ac nouas opiniones vel gignunt, vel sequuntur, — — si correpti, vt sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, haeretici fiunt.* IDEM. ap. EVND. Can. 28. 31. *loc. cit.*

§. 1219. Recepti, tolerati, proscripti.

Omnis haeresis initio vel ideo turbulenta fuit, quod perniciosas in ciuitatem discordias semper induxerit (*a*), quae tum demum mites-

cere coeperunt, cum legibus pactisque publicis definitum est, quo modo nouarum religionum sectatores in ciuitatem recipiendi, in eaue tolerandi sint (§. 249). Vnde noua haereticorum diuisio, ex qua alii *recepti*, iisdem in ciuitate, quibus auitae religionis cultores vtuntur, iuribus praediti, alii *tolerati*, sub certis nempe conditionibus *gratiose* admissi dicuntur (§§. 137. 139.): alli omnes eo ipso *proscripti* censendi sunt (*b*).

(*a*) *Vix firma esse possunt pacis iura, inter quos est fidei bellum.* Ambrosivs Offic. 3. (*b*) *Sed praeter religiones supra nominatas* (Augustanae scilicet confessioni addictorum, eorumque, qui inter illos Reformati dicuntur) *nulla alia in sacro imperio Romano recipiatur vel toleretur.* *I. P O.* Artic. VII. §. 2. *Proscripti* igitur ex hac lege essent *Anabaptistae*, et, qui in tanta de religione sentiendi licentia (§. 114) passim vagantur, *Sociniani;* sed *illi* ex consuetudine tolerantur, *his* vel simulatio, vel principum indulgentia praesidio est.

§. 1220. Crimen haeresis.

Ad quaestionem, vtrum haeresis in numero delictorum habenda sit, ita respondemus: 1. Haeresis *interna*, seu *mentalis* peccatum esse potest; delictum esse (§. 1172.) nunquam potest. 2. Neque *externa* haeresis, si *materialis* tantum sit, et *quieta*, in crimen trahenda est (*a*). 3. De haeresi *formali* suspectus quidem esse, sed de ea condemnari iure vix quisquam potest, nisi forte pertinaciae et doli conuictus fuerit (*b*). 4. Haeresis externa *formalis*, etiam *quieta*, cum auctoritatem eccle-

siae catholicae palam contemnat, delictum certe *mere ecclesiasticum* est (*c*). 5. Haeresis *turbulenta*, siue *materialis*, siue *formalis* sit, delicti vtique *ciuilis*, et idcirco etiam *ecclesiastici* rationem habet.

(*a*) Ex ignorantia superabili in fide errans in *culpa* quidem est: sed hoc ipso pertinaciae, *animi obstinatioris*, *dementiae* L. 2. pr. Cod. *de Sum. Trin*, argui non potest; sine pertinacia autem haeresis *formalis*, seu *criminosa* non intelligitur. *Apud nos sunt haeretici, apud se non sunt. Veritas apud nos est, sed illi apud se esse praesumunt. Errant ergo, sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Dominum credentes*, SALVIAN. *de Gubernat. Dei.* Enimuero *huiusmodi haeretici materiales, qui tamen stricte haeretici non sunt, dantur plurimi, et quidem, meo iudicio, non solum illi, qui procul a catholicis degunt, sed etiam, qui catholicis immixti viuunt, nec illi tantum, qui sunt de plebe, verum etiam qui sunt de conditione honestiore, vel doctiores.* PICHLER Cand Iurispr. sacr. ad Tit. *de Haeret.* §. 2. (*b*) *Id, quod absconditum, solus sine periculo diiudicet seculorum iudex, cui soli patet et scientiae mensura, et fidei quantitas.* CHRYSOSTOM. in Homil. contr. Anathemat. Sententia, in Cap. 3 *de Haeret.* relata, et AVGVSTINO perperam adscripta, ad haereticos *formales* pertinet. (*c*) Cap. 18. *de Haeret.* in VI.

§ 1221. Notanda de poenis haereticorum.

De poenis, in haereses et haereticos constitutis annotamus: 1. Leges, quae plures et valde graues ponas (*a*), quin et vltimum supplicium (*b*) haereticis intentant, pro certo ponunt, omnes haereses plus minusue turbulentas, ideoque refrenandas, et coercendas esse.

2. Noli putare, poenas haereticorum ciuiles, quas canones referunt, canonibus constitutas fuisse; eaedem enim sunt, quae principum legibus pridem in illos sancitae erant (*c*). 3. Ex hisce legibus de haeresi iudicio ecclesiastico condemnati *secularis iudicis arbitrio relinquebantur, debitam recepturi pro qualitate facinoris vltionem* (*d*). 4. Quodsi haeretici *quieti*, aut non admodum *turbulenti* poenis illis affecti sunt, id contra ius et fas ex immodico religionis zelo, aliquando ex iudicum vel imperitia, vel malitia factum esse, dicendum est. 5. Canones omnibus sine discrimine haereticis sacrorum communionem, iuraque ex ea pendentia merito negant (*e*), illis quidem, qui *formales* sunt, vt poenam contumaciae, aliis autem, qui *materiales* tantum sunt, vt negationem iuris ob defectum, etsi innoxium, eo fere modo, quo *irregularitates ex defectu* constitutae sunt.

(*a*) Veluti infamiam, intestabilitatem, actiuam et passiuam; inhabilitatem ad officia publica, confiscationem bonorum; etc. L. 4. 5. 8. Cod. *de Haeret.* (*b*) Capitis nempe amputationem L. 11. 12. Cod. *eod.* Omnes illas poenas FRIDERICVS II. non solum confirmauit; sed diram quoque *viuicomburii* poenam addidit (§ 227). Summum apud Romanos supplicium erat viui crematio L. 28. pr. *de Poen.*, in hostes et transfugas speciatim constituta L. 8. §. 2. *eod.* Ex hoc igitur iure Imperator poenam illam desumpsisse videtur. (*c*) Cap 9. 10. 13. 15 *de Haeret* Cap. 4. 19. *eod.* in VI. *Imperialis fortitudinis suffragante potentia,* — — *de episcopali consilio, et suggestione culminis imperialis, et principum eius sancimus.* Cap. 9. cit. in *p. d.* (*d*) Itaque non ecclesiastici, sed secularis iudicis erat, de poena ciuili *iuxta sanctiones legitimas* Cap. 26. *de V. S.* statuere; hae autem vltimum supplicium intentant; saluo vtique iudicis arbitrio, *pro qualitate facinoris* moderando L. 11. 16. 42. *de*

Poen. Haud frustra ergo iudices ecclesiastici deprecari solebant, vt iudex secularis *citra mortis periculum* sententiam moderetur. Cap. 27. *de V. S.* Vanam ac inanem hanc deprecationem FLEVRY Instit. Iur. Eccles. P. III. Cap. X. §. 4. propterea appellauit, quod iudex vi cap. 18. *de Haeret.* in VI. sub poena excommunicationis confestim exequi debeat leges, quae vltimum supplicium in haereticos constituunt. *En hyprocrisin turpissimam*, exclamauit BOEHMERVS (§. 266) in not. ad §. 4. cit. Sed aperte falsum est, in cap. 18. *cit.* alioue iuris nostri loco eam necessitatem iudici seculari impositam esse. Nam cap. 18. *cit.* iis iudicibus excommunicationem minatur, qui *executionem facere detrectant*, hoc est, iudicio ecclesiastico de haeresi damnatos, impunitos dimittunt. (*e*) Ita in omnes haereticos constituta est excommunicatio latae sententiae, priuatio officiorum et beneficiorum eccles, inhabilitas ad ea deinceps acquirenda, et negatio sepulturae ecclesiasticae. Cap. 7. 8. 9. 13. 15. *de Haeret.* Cap. 2. 12. *eod.* in VI. Ab officiis et beneficiis ecclesiasticis excluduntur non solum ipsi haeretici, sed etiam liberi eorum, et quidem primi et secundi gradus in paterna, primi tantum in materna linea. Cap. 15. *eod.* in VI. Sed in Germania id ne quidem ratione haeretici, ad ecclesiam catholicam reuersi, multo minus ratione liberorum obseruari, interpretes testantur.

§. 1222. Schisma.

Schisma est dissolutio vnitatis ecclesiae catholicae (*a*), per repudiationem sacri regiminis, in ea constituti (§. 67.) effecta (*b*). Christianus igitur, qui, illo repudiato, alios praeter legitimos sacrorum antistites sequitur, vna cum his *schismaticus* vocatur (*c*). Schisma, quod ecclesiae particularis regimen atque rectorem inuadit, *particulare* (*d*), quod regiminis ecclesiastici vniuersalis; ecclesiae scilicet docentis (§. 70.), aut summi pontificis (§. 86.) auctoritatem aspernatur, *vniuersale* dicitur (*e*). Schisma porro, quod nullum fidei catholicae dogma (§. 74.) negat, *purum*; secus cum haeresi

coniunctum, seu *haereticum* erit (*f*). Schismatici autem vel *materiales* tantum sunt, vel *formales*, iisdem fere, vt haeretici, poenis, aut iurium negationibus obnoxii, siue purum, siue haereticum schisma foueant, quia canones hac in re nihil distinguunt (*g*).

(*a*) *Schisma, quod graecum nomen est, scissuram sonat.* Can. 34. XXIV. q. I. (*b*) Can. 26. XXIV. q. III. (*c*) Can. 7. VII. q. I. (*d*) Can. 6. 7. 9. *ibid.* (*e*) Tale est schisma, in quo *Graeci non vniti* adhuc perseuerant (§. 113.). Qua de re vid. Can. 39. 40. Dist. V. *de Consecr.* Cap. 2. 3. *de Sum. Trinit.* in VII. (*f*) *Caeterum nullum schisma non aliquam sibi confingit haeresin, vt recte ab ecclesia recessisse videatur.* HIERONYM. ap. GRATIAN. Can. 26. XXIV. q. III. (*g*) Can. 2. IV. q. I. Can. 29. 31. XXIV. q. I. Can. 43. XXIII. q. V. Cap. 5. *de Elect.* Cap. 1. 2. *de Schismat.* Dirae, schismaticis in cap. vn. *eod.* in VI, obnuntiatae, dudum abolitae sunt in cap. vn. *eod.* Extrau. com.

CAPVT VII.

DE DELICTIS CONTRA CVLTVM DEO REBVSQVE DIVINIS DEBITVM.

V. 3 *De Simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.*
— 4. *Ne praelati vices suas vel ecclesias sub annuo censu concedant.*
— 5. *De Magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*
— 21. *De Sortilegiis.*
— 26. *De Maledicis.*

§. 1223. Blasphemia.

B*lasphemia* est dictum vel factum in contume-

liam Dei admissum. Eius igitur rei sunt, qui attributa Dei negant, vel naturae diuinae contraria ei tribuunt, vel maledicta in eum coniiciunt, vel facta, furiosum eiusmodi animum significantia edunt. Sicut autem Deus in sanctis colitur, ita contumeliae, sanctis et beatissimae inprimis Virgini dictae vel factae, in Deum redundant, ideoque *blasphemiae mediatae* rectae dicuntur (*a*). Ius nostrum peculiarem poenitentiam publicam blasphemis indicit (*b*), eosque denuntiandi obligationem, iure ciuili constitutam, repetit (c) Sed vsus nouas principum de hoc crimine leges sequitur.

(*a*) Cap 2. *de Maled.* Ita quoque iniuriae, liberis, vxori, seruis illatae, in parentem, maritum, dominum redundare censentur. §. 2. 3. Insiit *de Iniur.*, vnde iniuriae in *immediatam* et *mediatam* diuisio recepta est. Sed hanc diuisionem in blasphemiam non quadrare, Protestantes contendunt, alii grauissime monent, fieri vtique non posse, vt Deus iniuria afficiatur; quasi notissimum non esset, quo sensu *iniuria in Deum*, ab eaque blasphemia dicatur. (*b*) Cap. 2. *cit.* (*c*) Nouell. LXXVII. Cap 1. Can. 10. XXII. q. I.

§. 1224. Magia eiusque species.

Magia generatim est vanus ac fraudulentus, cum abusu rerum sacrarum persaepe iunctus, conatus mira patrandi per dicta et verba, nomina et signa, res et actiones, quae nullam prorsus ad id, quod quaeritur, proportionem habent. Prauus eiusmodi conatus occulta detegendi *sortilegium* (*a*), futura praenuntiandi *diuinatio* (*b*), mala qnaeuis vel afferendi et efficiendi (*c*), vel sanandi et depellendi (*d*) *magia* speciatim appellatur.

(*a*) Veluti molimen *arte legibus odiosa thesaurum quaerendi* L. vn. Cod. *de Thesaur.* Item *inspectio astrolabii, vt furtum posset recuperari* Cap. 2. *de Sortileg.* (*b*) Huius generis sunt *auguria* et *auspicia* Can. 1. XXVI. q. III. IV., *astrologia* iudiciaria, cuius professores olim *mathematici* dicebantur L. 2. Cod. *de Malefic.* Can. 6. §. 3. Can. 8. XXVI. q. II. Huc quoque pertinent *sortes sanctorum* dictae Can. vn. XXVI q. I. Can. 3 *ibid.* q II. Can. 6. *ibid.* q. V. Cap. 1 *de Sortileg.* (*c*) Venefici et malefici vocantur, qui tam venenis, quam susurris magicis elementa turbare, vitam insontium labefactare, pudicos animos ad libidinem deflectere non dubitant, et, manibus accitis, audent ventilare, vt quisque suos conficiat malis artibus inimicos §. 5. Instit. *de publ. iud.* L. vn. 4—7. Cod. *de Malefic.* Can. 14. §. 1. XXVI. q. V. (*d*) Exemplo sunt ligaturae atque remedia, quae medicorum quoque disciplina condemnat, siue in praecantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant, siue in quibusdam rebus suspendendis atque ligandis, quae infirmitatibus hominum nihil remedii possunt conferre. Can. 6. §. 1. XXVI. q II. Can. 14. §. 4. *ibid.* q. IV. Can. 15. 16 *ibid.* q. VII. *Non sunt ista: si incantauit, si imprecatus est, si, vt vulgari verbo impostorum vtar, exorcizauit, medicinae genera; tametsi sint, qui hos sibi profuisse cum praedicatione affirment.* L. 1. §. 3. *de extraord. cognit.*

§. 1225. Ortus et vanitas magiae.

Vanae sine dubio, et futiles sunt molitiones magicae, fabulis falsisque doctrinis nixae, quas idolorum sacerdotes de *geniis*, *daemonibus* seu *angelis malis*, eorumque in homines et res mundanas vi ac potestate tradiderunt, venditantes, se verba signa et res nosse, quibus inferi et infesti illi genii allici, placari, et ad

quaeuis obsequia promoueri cogique possint. Vnde artes magicae *ex traditione angelorum malorum*, *ex quadam pestifera societate hominum et daemonum* emanasse, quique eas exercent, *quaedam quasi pacta cum daemonibus* fecisse, eo sensu dicuntur (*a*), quo *omnes dii gentium daemonia* (*b*), eorumque cultores *socii daemoniorum* (c) vocantur.

(*a*) Can. 6. 7. XXVI. q. II. (*b*) Psalm. XCV. 3. (*c*) I. Cor. X. 20. Qui, vt omnes scelerati, *percusserunt foedus cum morte, et cum inferno fecerunt pactum.* Isai. XXVIII. 15.

§. 1226. Opinio de potestate diaboli.

Quae et quantacunque etiam daemonum scientia et potestas sit (*a*); *nec ideo quisquam credere debet, quoslibet artibus magicis aliquid facere posse sine permissu Dei; — nec ideo quisque debet eis credere, quia aliquando eueniunt, quae praedicunt, aut sanare videntur languidos, aut laedere sanos, quia hoc permissu Dei fit* (*b*). Etsi vero satis manifestum est, eiusmodi permissus diuinos tanquam *priuilegia singulorum legem communem facere non posse* (c); ea nihilominus opinio inualuit, ac si daemones efficere possent, quidquid vel sponte effectum dare voluerint, vel improbi homines per eos fieri postulauerint. Itaque persuasi erant, homines daemonem euocare, verum cum eo pactum inire, turpissimum cum illo commercium habere, eiusdemque ope auium instar volare, tempestates ac grandines excitare, generandi potentiam coniugibus adimere, mures aliasque be-

stias molestas procreare, et, nescio, quae mala hominibus, animalibus, terris inferre posse (*d*).

(*a*) Can. 2. XXVI q. III. IV. Can. 14. *ibid.* q. V. (*b*) Can. 14. *cit.* §. 9. 11. Can. 5. *ibid.* q. II. (*c*) Can. 2. 4. *ibid.* q. II. (*d*) Can. 12. *ibid.* q. V. Cap. 4. *de Malef.* in VII.

§. 1227. Inde noua magiae notio.

Ex hac opinione *magia* est pactum, quod quis cum daemone eum in finem iniit, vt eius ope mira et exitiosa opera exequi possit. Tanti facinoris tum viros, tum, et quidem plurimum feminas, (*sagas*, seu *strigas*) insimulare, immo dira ignis poena afficere moris erat (*a*), etsi de vero ac reali *corpore delicti* nunquam constiterit, *confessiones* autem non obscura vel animi, tormentis fracti, dolorique succumbentis, vel perturbatae phantasiae, et delirii argumenta fuerint.

(*a*) Constit. Crim. Carol. §. 44. 109.

§. 1228. Explosa tandem, et eiecta.

Nunc ea de re haec stat sententia, illos, qui fatentur, se pactum atque commercium cum daemone habere, eiusque ope portenta edidisse, medicorum curae committendos; illos autem, qui sana mente magicas operationes suscipere ausi sunt, si non veneficii, fraudationis certe et laesae religionis reos esse. Et in hos canones excommunicationem (*a*), leges supplicia (*b*) merito constituerunt.

(*a*) Can. 1. 4. 6. 7. q. XXVI. q. V. Can. 15. 16. *ibid.* q. VII. (*b*) L. 3. 7. 9. Cod. *de Malefic.* Molitiones magicas, ad bonum et salutem hominum tendentes,

extra crimen esse, L. 4. Cod. *tit. cit.* constitutum est. Sed rectius Leo Imp. Nouell. LXV. has quoque, ceu perniciosas, reprobauit, sacris canonibus dudum reprobatas.

§. 1229. Simonia iuris naturalis vel eccles.

Simonia est permutatio rei spiritualis cum temporali (§. 643.), cum scilicet vel res spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali datur, aut promittitur, sicque res spiritualis, vt mercimonium, quaestui habetur (*a*): quod quam sit a rerum spiritualium ratione religionisque sanctitate alienum, nemo non videt. Quare hanc rerum spiritualium profanationem *simoniam iuris diuini*, vel *naturalis*, permutationem vero rei siue spiritualis, siue temporalis cum alia eiusdem generis, quam canones veluti simoniacam, reprobant, *simoniam iuris ecclesiastici* appellare solent.

(*a*) Ita Simon *magus* pro facultate, Spiritum sanctum conferendi, apostolis pecuniam obtulit Act. VIII. 14. seq., eo animo, *vt ex venditione signorum, quae per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur.* Can. 8. §. 1. I. q. III. Et ab hoc facto quaeuis rerum spiritualium nundinatio *Simonia* dicta, legibusque ecclesiasticis et ciuilibus nefarii criminis nomine damnata est. Can. 5. 7. 11. 16. I. q. I. L. 31. Cod. *de Episcop. et cler.*

§. 1230. Illius explanatio.

Tria igitur *veram*, seu *iuris diuini simoniam* constituunt: 1. *Res spiritualis*, quae *mercis* loco habetur; 2. *Res temporalis*, seu *munus*, quod instar *pretii* est, et vel *a manu*, vel *a lingua*, vel *ab obsequio* esse dicitur (*a*), prouti vel in

re pecuniaria, vel in captatione fauoris et gratiae (*b*), vel in praestatione operarum (*c*) consistit; 3. *Pactum*, seu *conuentio*, mutuam obligationem dandi rem temporalem, et spiritualem largiendi inducens. Si sine pacto, sed eo animo vel temporale datur, vel spirituale tribuitur, vt illud afferens rem spiritualem, et hoc largiens rem temporalem consequatur, *simonia mentalis*; si pactum de dando munere, et impertienda re spirituali factum est, *conuentionalis*, si vtraque pars pactum hoc impleuit, *realis* appellatur.

(*a*) Can. 6. VIII. q. 1. Can. 114. 1. q. 1. (*b*) De *munere a lingua* argendus non est, qui suis aliorumue precibus et commendationibus rem spiritualem impetrauit. Can. 121. 122. 1. q. 1.; sed qui rem spiritualem ideo tribuit, vt vel accipientis, vel per eum tertii potentioris fauorem ac gratiam sibi conciliet. Qui alteri pecunias dat, vt eius patrocinio rem spiritualem consequatur, *munus a manu* dedisse videtur. Can. 3. I. q. V. (*c*) Cap. 12. *de Simon.*

§. 1231. Quinam de illa rei sint.

Itaque verae simoniae rei sunt, qui 1. pro *sacramentorum* (*a*), rituumque *sacramentalium* administratione, pro quauis igitur *ordinis*, seu *ministerii sacri* functione (*b*), 2. pro quibusuis actibus *iurisdictionis ecclesiasticae* (*c*), 3. pro iure alterutrius generis, ordinis scilicet vel iurisdictionis, actus exercendi ac dispensandi (*d*) res pecuniarias dant, vel exigunt, et extorquent.

(*a*) Can. 99. 100. 105. I. q. I. (*b*) Cap. 21. *de Simon.* Eiusmodi actus speciatim sunt *consecrationes*, et *benedictiones*, item *sepultura* et sacrae *exequiae*.

Can. 106. I. q. I. Can. 15. I. q. III. Cap. 9. 29. 42. *de Simon.* (c) Cap. 10. *de vit. et honest. cler.* Huius generis actus nominatim sunt *absolutiones* a censuris pro foro externo, et *dispensationes*. Can. 124. I. q. I. Cap. 24. *de Simon.* Conc. Trid. Sess. XXIV. Cap. 5. *de Reform. matrim.* (d) Hac ratione in simoniam decidunt praelati aliique officiis sacris praefecti, qui vices suas, puta exercitium sui officii aliis vendunt, vel pro annuo censu seu mercede elocant. Cap. 8. *de Simon.* Cap. 1. 2. 3. *Ne prael. vic. suas.* Huc quoque pertinent, qui ipsum ius spirituale, veluti *ius patronatus* (§. 608.) vendere attentant.

§. 1232. Species illius praecipuae.

Inprimis vero canones de simonia illos damnant, qui 1. pro receptione in congregationem religiosam (*a*), 2. pro adeptione vel collatione ordinum clericalium, aut primae tonsurae (*b*), pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, aut pro examine in concursu pro officio parochiali (*c*), 3. pro adeptione vel collatione praelaturae alteriusue beneficii ecclesiastici (*d*), scilicet pro *praesentatione* (*e*), vel *institutione* (*f*), vel *electione* (*g*), vel *confirmatione* (*h*), res temporales quasi ex pacto dare vel exigere audent (*i*).

(*a*) Cap. 8. 19. 25. *de Simon.* Cap. 1. *eod.* Extrau. com. Attamen sodalitates religiosae praesertim foeminarum, pecunias a candidatis titulo *sustentationis* vel *dotis* non solum accipere, sed etiam exigere et stipulari passim solent. Nec obstant Cap. 40. *de Simon.* Cap. vn. §. 1. *de Stat. regul.* in VI. Conc. Trid. XXV. Cap. 3. *de Regular.*, quibus communis consuetudo ita derogauit, vt haec simoniae species penitus fere sublata videatur. (*b*) Can. Apost. 28. Can. 8. 9. 21. I. q. I. Cap. 1. *de Simon.* (*c*) Conc. Trid. XXI. Cap. 1. XXIV. Cap. 18. (*d*) Can. 2. 9. 15. I. q. III. Adeo nempe beneficium ecclesiasticum cum officio

spirituali connexum est, vt, *qui alterum vendit, neutrum inuenditum derelinquat.* Can. 7. 8. *ibid.* (*e*) Cap. 6. *de Pact.* Cap. 15. *de Cens.* (*f*) Cap. vn. *Vt benef. eccles. sine demin.* Cap. 9. *de Simon.* (*g*) Cap. 26. *de Elect.* Cap. 2. *de Confess.* Cap. 23. 27. *de Simon.* (*h*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 14. (*i*) Tantopere canones a simonia abhorrent, vt et fundationem beneficii plane respuant, ea lege factam, vt fundanti illud tribuatur. Cap. 34. *de Simon.*

§ 1233. Quinam Simoniae non rei sint.

At vero simoniae rei non sunt, 1. qui propter ministrationem spiritualium, non pacti aut mutuae compensationis, sed stipendii et honorarii, lege vel consuetudine definiti, titulo (*a*), pecunias dant, vel voluntarie oblatas recipiunt (*b*), immo et non oblatas exigunt (*c*); 2. qui res sacras, consecratione scilicet vel benedictione affectas, aliasque res sanctas emunt, aut vendunt, dummodo ne pretium ob affectionem spiritualem augeatur, et ad vsus profanos venditae prius confringantur, aut dissuantur (*d*), 3. qui pro licentia docendi, seu artes liberales ac scientias tradendi pecunias exigunt; quod canones quidem vt inciuile et indecens improbant; de simonia tamen non accusant (*e*).

(*a*) Hoc titulo nituntur *iura stolae*, legibus *Austriacis*, excepto nummo baptismali, firmata. *Constit.* 500. 501. 502. 504. in Collect. cit. Iisdem legibus pensiones, seu *taxae*, curiae episcopali exsoluendae, definitae sunt. Constit. 489. 491. 492. 495. *cit.* (*b*) Can. 4. I. q. II. Cap. 18. 30. *de Simon.* Sed iure nouo ob ordines clericales, litteras dimissorias et testimoniales, et examen in concursu pro beneficio parochiali ne sponte quidem oblata accipere licet, siue ante, siue post quaesitam functionem oblata fuerint. Conc.

Trid. XXI. Cap. 1. XXIV. Cap. 18. (c) Titulum *consuetudinis* penitus reprobare videntur canones in Cap. 8. 9 39. *de Simon.* Sed ibi *de prauis exactionibus*, de consuetudine anticipandi et extorquendi pecunias sermo est. Cap. 42. *eod.* (d) L. 21. et Auth *praeterea* Cod. *de sacros. eccles.* Non obstant Can. 7. 12 I. q III., contraria consuetudine abrogati Excipe tamen *sacrum oleum* et *chrisma* Cap 16 36. *de Simon.*, et *sacras reliquias* L. 3. Cod. *eod.* Cap. 2. *de Reliq. et Vener. sanct.*, pro quibus nulla prorsus ratione pecuniam dare vel exigere licet. (e) Cap. 1. 2. 3 *de Magist. et ne quid. etc.*

§. 1234. Simonia iuris ecclesiastici.

De *simonia* autem *iuris ecclesiastici* accusantur: 1. Ementes et vendentes officia eccles., ad rerum temporalium administrationem instituta (*a*); 2. permutantes beneficia ecclesiastica (*b*), vel de beneficio litigioso transigentes (c) sine consensu legitimi superioris; 3. paciscentes de beneficio hunc in modum, vt, qui illud accipit, illud ipsum postea alteri designato cedat, sicque quasi fideicommissum illud tantisper teneat (*d*). Vnde talis pactio *simonia confidentialis* appellatur.

(*a*) Can. 8. I. q. I Can 8. I q. III. Cap. 38. *de Simon.* (*b*) Cap. 5. 7 *de rer. permut.* (c) Cap. 4 7. *de Transact.* (*d*) Eius species est resignatio, saluo *accessu*, vel *ingressu*, vel *regressu* (§ 636.) facta.

§. 1235. Poena simoniae plerumque arbitraria.

De *poenis simoniae* hasce positiones subiungimus: 1. Simonia *mentalis* peccatum est; sed nec crimen est, nec poenae obnoxia (*a*). 2. Poena simoniae *conuentionalis* est arbitraria. Canones enim, qui certas simoniae poenas indi-

cunt, de simonia *reali*, per *dationem* scilicet vel *acceptionem* commissa, loquuntur. 3. Huius quoque poenam arbitrariam esse, interpretes tradunt, nisi talis sit, in quam poena *latae sententiae* constituta est; eoquod canones eiusmodi poenam certis tantum simoniae *realis* speciebus expresse irrogent, et in poenalibus causis interpretationem *restrictiuam* adhibere oporteat.

(*a*) Can. 1. 2. seq 1. q. III. Cap. 8. 34. *de Simon.* Cap. 1. 2. *eod.* Extrau. Com.

§ 1236. Poenae in eam speciatim constitutae.

Ita vero poenae in tres simoniae *realis* species constitutae sunt: 1. Simonia in receptione in ordinem religiosum sicubi admittitur, recipientem suspensione ab officio afficit; simoniace autem professus in arctius monasterium transferendus est (*a*). 2. Ob simoniam, in collatione ordinum commissam, ordinans a collatione ordinum, et ordinatus ab ordine, sic accepto, suspensus est (*b*). 3. Simonia, in collatione beneficii perpetrata, omnem prouisionem, adeoque praesentationem, et institutionem, electionem et confirmationem ipso iure nullam (§. 573.) simulque prouisum ad idem beneficium dein consequendum inhabilem reddit, etsi, ipso ignorante, tertius pecunias dando simoniae auctor fuerit (*c*). Secus statuendum est, si tertius eo tantum animo, vt nulla fieret prouisio, id fecit (*d*), aut prouisus factum illius diserte improbauit (*e*).

(*a*) Cap. 19. 25. 40. *de Simon.* (*b*) Cap. 37. 45. *eod.* (*c*) Cap. 59. *de Elect.* Cap. 27. *de Simon.* (*d*) Cap.

27. *cit.* (*e*) Cap. 33. *de Simon.* Caeterum in Cap. 2. *eod.* Extrau. com. omnibus, qui simoniam realem in collatione ordinum aut beneficiorum commiserunt, excommunicatio, summo pontifici reseruata, intentatur.

CAPVT VIII.

DE DELICTIS IN CORPVS ET VITAM HOMINIS.

V. 10. *De his, qui filios occiderunt.*
— 11. *De Infantibus et languidis expositis.*
— 12. *De Homicidio voluntario vel casuali.*
— 13. *De Torneamentis.*
— 14. *De Clericis pugnantibus in duello.*
— 15. *De Sagittariis.*

§. 1237. Homicidium licitum vel illicitum.

Homicidium est factum hominis, quod est causa ereptae vitae hominis. Lex quidem ait: *non occides;* veruntamen *quasdam exceptiones eadem ipsa diuina fecit auctoritas, vt liceat hominem occidi* (*a*). Vnde homicidium vel *licitum*, ideoque extra crimen et poenam est, vel *illicitum*, quod *crimen homicidii* constituit.

(*a*) Can. 9. §. 4. Can. 41. XXIII. q. V.

§. 1238 Illius species.

Homicidium *licitum* est, quod faciunt 1. iudices, qui maleficos secundum leges capite damnant, horum ministri, qui damnatos morte afficiunt (*a*), 2. milites, qui in bello hostes prosternunt (*b*), 3. qui in re licita cum debita circumspectione versantes ex improuiso necem af-

ferunt (*c*), 4. qui iniustum aggressorem, seruato *moderamine inculpatae tutelae* interficiunt (*d*).

(*a*) Can. 26—31. XXIII. q. V. (*b*) Can. 13. 19. *ibid.* (*c*) Exempla homicidii *casualis* exhibent Cap. 9. 13—16. 22. 23. 25. *de Homicid.* Huc quoque pertinet homicidium a furioso, vel infante, vel dormiente commissum Cap. vn. *eod.* in Clem. (*d*) *Vim vi defendere omnes leges omniaque iura permittunt.* L. 45. §. 4. *Ad Leg. aquil.* Cap. 18. *de homicid.* Cap. 3. *de sent. excom.*; id tamen *cum moderamine inculpatae tutelae* fieri debet. L. 1. Cod. *vnde vi* Cap. 18. *cit.* Licitum quoque erat marito et patri adulterum, cum vxore vel filia in adulterio deprehensum, occidere L. 20. 24. 38. §. 8. *ad leg. Iul. de adult.* L. 4. Cod. *eod.* Eandem licentiam in *bannitos*, seu proscriptos leges Germaniae omnibus concedebant. Sed canones vtrumque reprobant; prius Can. 6. XXXIII. q. II., posterius Can. 14. XXIII. q. V., eorumque sententiam vsu receptam esse, interpretes testantur.

§. 1239. Moderamen inculpatae tutelae.

Moderamen vero *inculpatae tutelae* is seruat, qui 1. vel se ipsum, vel alium defendendi causa 2. aggressorem iniustum (*a*), vitae, vel membrorum, vel pudicitiae, vel etiam bonorum (*b*) periculum molientem, 3. nullo alio hoc e periculo euadendi remedio suppetente (*c*), 4. in continenti, hoc est, aggressione ac periculo adhuc durante (*d*), enecat. Et qui, his seruatis, quempiam occiderunt, vel mutilarunt, ne quidem *ex defectu lenitatis* (§. 386.) irregulares fiunt (*e*).

(*a*) Can. 6. 7. XXIII. q. III. Cap. 6. pr. *de sentent. excom.* in VI. (*b*) Bonorum raptorem, vitae simul periculum iniicientem, iure occidi posse, in confesso est. Can. 32. XIII. q. II. Cap. 2. *de Homicid.* Hinc furem nocturnum, *si quis parcere ei sine periculo suo*

non potest, occidere licet, diurnum non nisi armis se defendat. L. 4. §. 1. *Ad L. Aquil.* L. 9. *Ad L. Cornel. de Sicar.* Cap. 3. *de Homicid.* Extra vitae periculum tum demum raptoris occisio licita videtur, si res ablatae maximi pro spoliati conditione momenti forent, nec alia ratione seruari, aut recuperari possent. Hoc sensu sanctiones L. 1. Cod. *vnde vi*, et Cap. 10. *de Homicid.* intelligendas esse, interpretes tradunt. (*c*) Cap. 2. et 18. in fin. *de Homicid.* Cap. 35. in fin. *de sentent. excom.* (*d*) Cap. 3. *eod.* (*e*) Cap. vn. *de Homicid.* in Clem. Nec obstant Can. 6. 8. Dist. L. Conc. Trid. XIV. Cap. 7., vbi de illis sermo est, qui iustae defensionis modum excedendo culpam contraxerunt.

§. 1240. Homicidium illicitum dolosum vel culposum.

Homicidium illicitum vel *dolosum* est, vel *culposum*, prouti vel *dolo*, seu animo occidendi *directo* aut *indirecto* (§. 1175), vel praeter talem intentionem ex *culpa* committitur (*a*). *Illius* rei sunt, tum qui *immediate*, et per se occisionem faciunt, tum qui *mediate*, et per alium, veluti iussu ac mandato, consilio aut consensu mortem alteri consciscunt (*b*); *huius* autem nomine tenentur, qui in re licita improuide, aut in re illicita, etsi forsitan prouide, versati mortem alicui attulerunt (*c*); non enim cautionem atque prouisionem debitam adhibuisse videntur, quos res illicita occupatos habuit.

(*a*) Cap. 18. *de Homicid.* (*b*) Can. 8. Dist. L. Can. 23. Dist. I. *de poenit.* Cap. 6. §. 2. 3. Cap. 11. *de Homicid.* Cap. 2. *de cleric. pugn.* (*c*) Can. 49. 50. Dist. L. Cap. 7. 8. 12. 19. *de Homicid.* Qui mandat, aliquem verberari, si non *indirecte* dolosi, certe culposi homicidii reus erit, si mandatarius, fines mandati excedens, occisionem facit. Cap. 3. *de Homicid.* in VI.

§. 1241. Illud vel simplex vel qualificatum.

Homicidium dolosum vel *simplex* est, si dolo repentino, veluti in ebrietate (*a*), in rixa, subito exorta (*b*), vel ex impetu iracundiae (*c*), vel *qualificatum*, si dolo praemeditato factum est, veluti *latrocinium* (*d*), *veneficium* (*e*), *assassinium* (*f*), prouti scilicet quis vel lucri causa, vel per venenum, vel mercede conductus alterum iugulauit.

(*a*) L. 11. §. 2. *de Poen.* Can. 7. 9. XV. q. I. (*b*) Can. 34. XXIII. q. VIII. (*c*) *Cum difficillimum sit iustum dolorem temperare.* L. 38. §. 8. *ad L. Iul. de adult.* L. 48. *de R. I.* (*d*) L. 28. §. 10. 15. *de Poen.* (*e*) L. 1. §. 1. *ad L. Cornel. de Sicar. et venef.* L. 1. Cod. *de Malef.* (*f*) Cap. 1. *de Homicid.* in VI.

§. 1242. Aliae illius species.

Homicidii porro *illiciti* species sunt 1. *Parricidium*, quod *sensu latiore* caedem personae, sanguine, affinitate, aut matrimonio coniunctae (*a*), *proprie* autem homicidium in ascendentes vel descendentes commissum (*b*), significat. 2. *Infanticidium*, a parentibus, *dolo* vel *culpa*, speciatim a matre in partum recentem admissum (*c*). 3. *Expositio infantum* aliorumue infirmorum, ab illis, qui curam et alimenta iis debent, impie facta (*d*). 4. *Procuratio abortus*, seu foetus humani ex vtero expulsio (*e*), quae, si foetus iam formatus, et animatus est, dolosi vel culposi homicidii reum facit (*f*). 5. *Autochiria*, seu sui ipsius occisio, si quidem sana mente et consulto, quod in dubio non praesumitur, suscepta est (*g*).

(*a*) L. 1. 3. *de L. Pompe. de parricid.* (*b*) L. 9. *eod* L. vn. Cod. *de his qui par. vel lib. occid.* (*c*) Cap. 1. 2. *de his, qui fil. occid.* Infanticidii culposi arguuntur parentes, qui paruulos in eodem secum lecto habent, et forte opprimunt. Can. 20. II. q V. Cap. 3. *eod.* (*d*) L. 3. 4 Cod. *de Infant. expos.* Cap. vn. *eod.* (*e*) L. 38. § 5 L. 39. *de Poen.* Can. 20. in fin. II. q. V. (*f*) Can. 8 9 XXXII. q II. Cap. 20. *de Homicid.* Qui *sterilitatem* mari vel feminae dolo malo infert, etsi homicida proprie non est, tamen *vt homicida* (quasi animo hominem perimendi id fecisset) *teneatur* Cap. 5 *eod.* (*g*) Can. 9. XXIII. q. V.

§ 1243. Poenae homicidii canonicae.

Poena *canonica* homicidii tum *manifesti*, tum *occulti*, est *irregularitas*, (§. 387.), eo inter homicidium *dolo* vel *culpa* admissum discrimine, vt, qui *illo* se contaminauit, nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit, nec illi aliquod beneficium ecclesiasticum conferre liceat, sed omni ordine, ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat; *hoc* autem obstrictus dispensationem ab episcopo impetrare (§. 391.) queat (*a*). Si plures homicidio causam dederunt, omnes, qui vel agendo, vel non impediendo in culpa sunt, irregulares fiunt (*b*), etsi vnus tantum letale vulnus intulerit, et, quisnam ille sit, ignoretur (*c*). Eadem irregularitatis poena in sui ipsius, vel alterius *mutilationem* (§. 387.) constituta est (*d*).

(*a*) Conc. Trid. XIV. Cap. 7. XXIV. Cap. 6. Qui sana mente sibi ipsi mortem intulit, sepultura eccles. sacrisque exequiis priuatur can. 12. XXIII. q. V., et qui per assassinium quempiam interfici mandauit, in excommunicationis, et depositionis a dignitate, hono-

re, ordine, officio et beneficio sententias ipso facto incurrit. Cap. 1. *de Homicid.* in VI. (*b*) Can. 4. 5. 6. 8. Dist L. Cap. 6. § 1—4. *de Homicid.* Cap. 3. *eod.* in VI. (*c*) Can. 34. XXIII. q. VIII. Cap. 18. *de Homicid.* (*d*) Can. 4. 5. 6. Dist. LV. Cap. 3. *de corp. vitiat.* Cap 5. *Ne cles. vel monach.* Cap. 3. *de Homicid.* in VI. Cap. vn. *eod.* in Clem.

§. 1244. Duellum, et poenae in illud constitutae.

Crimen mutilationis, aut vulnerationis, et persaepe homicidii infert *duellum*, hoc est, certamen inter duos, armis letiferis siue ad ostentationem audaciae et peritiae armorum, siue ex vindictae cupidine, siue ob laesionem honoris improbe susceptum (*a*), idque prouti vel ex condicto, et aliquo post tempore initur, vel, exorta rixa, per iram in continenti patratur, vel *praemeditatum*, vel *repentinum* dicitur. *Illius* rei, nec non eorum, vt vocantur, *patrini*, aliique fautores in excommunicationem latae sententiae incidunt, et, qui in ipso conflictu perierunt, *perpetuo careant ecclesiastica sepultura* (*b*). Duellum repentinum irregulares quidem efficit, secuta scilicet caede vel mutilatione; alioquin certam poenam canonicam ius commune in illud non constituit (*c*).

(*a*) Ex superstitioso more licita olim erant *duella iudicialia*, probationis loco a partibus, eorumue procuratoribus, quos *pugiles* vocabant, ita suscepta, vt, qui vicerit, iustam causam habere crederetur. Prauum hunc morem canones nunquam non reprobarunt can. 22. II. q. V., poena *depositionis* in clericos, eiusmodi duella facientes, constituta. Cap. 1. 2. *de cler. pugn. in duell.* (*b*) Conc. Trid. XXV. Cap. 19. (*c*) Cum *torneamenta*, olim celebrari solita, re

ipsa nihil aliud essent, quam duella magis solennia; merito pontifices ea prohibuerunt Cap. 1. 2. *de Torneam.* Cap. vn. *eod.* Extrau. Ioan. Ex eadem ratione *agitationes taurorum*, in Hispania vsitatas, reprobarunt Cap. vn. *de Taur. agit.* in VII., quin et bellicas *ballistariorum*, et *sagittariorum* artes, horrendam stragem inferentes, cohibere studuerunt. Cap. vn. *de Sagitt.*

CAPVT IX

DE DELICTIS IN FAMAM ET BONA ALIORVM.

V. 17. *De raptoribus, incendiariis et violatoribus ecclesiarum.*
— 18. *De Furtis.*
— 19. *De Vsuris.*
— 20. *De Crimine falsi.*
— 36. *De Iniuriis et damno dato.*

§. 1245. Iniuria, eiusque species.

Iniuria, seu *contumelia* est dolosa violatio famae et existimationis alterius (*a*) cuiuscunque, etiam rationis vsu destituti, immo et mortui (*b*). Iniuria prouti verbis fit, vel factis, *verbalis* vel *realis* (*c*), pro ratione personarum, loci ipsiusque dicti vel facti *leuis* vel *atrox* (*d*), prouti porro cuipiam vel directe, vel per eos, qui in eius potestate sunt, infertur, *immediata* vel *mediata* dicitur (*e*). Iniuriae verbalis species est *iniuria scripta*, et speciatim *libellus famosus*, seu scriptum, ad alterius infamiam siue suo, siue alterius, siue sine nomine editum, ac diuulgatum (*f*).

(*a*) *Generaliter iniuria dicitur omne, quod non iure fit, specialiter, alias contumelia*, quae *cum ex affectu facientis consistat*, consequens est, *vt pati quis iniuriam, etiamsi non sentiat, possit, facere nemo possit, nisi qui scit, se iniuriam facere.* L. 1. pr. L. 3. §. 1. 2. *de Iniur.* pr. Instit. *eod.* (*b*) L. 3. §. 1. 4. 6. L. 15. §. 7. *eod.* (*c*) L. 1. §. 1. 2. *eod.* §. 1. Instit. *eod.* (*d*) L. 7. §. 8. L. 8 *eod* §. 9. Instit. *eod.* Atrox certe iniuria est, quae *sacerdoti, dignitatis habitum et ornamenta praeferenti*, infertur L. 4. Cod. *de Iniur.*, item quae contra ecclesiam Romanam, seu sedem apostolicam iacitur. Cap. 1. *de Maledic.* (*e*) *Patitur autem quis iniuriam non solum per semetipsum, sed etiam per liberos suos, item per vxorem suam, vel sponsam*, L. 1. §. 3. L. 15. §. 24. *de Iniur.* L. 2. Cod. *eod.*, non autem contra, *quia defendi vxores a viris, non viros ab vxore aequum est.* L. 2. *de Iniur.* §. 2. Instit. *eod.* (*f*) L. 5. §. 9. *de Iniur.* L. vn. Cod. *de famos. libell.* Can. 1. 3. V. q. I.

§. 1246. Poenae in eas canonicae.

Ius *canonicum* omnes, qui de honore et fama aliorum detrahunt, grauissime reprehendit (*a*), et clericis quidem maledicis, si veniam rogare, laesoque satisfacere noluerint, depositionem ab ordine et officio (*b*), *libelli* autem *famosi* auctoribus, nisi peccatum suum *palam* et vltro fateantur, excommunicationem intentant (*c*).

(*a*) Can. 15. 16. VI. q. I. Can. 3. XXIV. q. III. (*b*) Can. 5. Dist. XLVI. (*c*) Can. 2. 3. V. q. I.

§. 1247. Damnum iniuria datum.

Quaeuis patrimonii alieni deminutio, non iure facta, et quidem sine lucro facientis, *damnum iniuria datum* dicitur, idque resarcire tenetur, non solum qui *dolo* (*a*), sed et qui *culpa* (*b*),

etiam *leuissima* (*c*) illud intulit. Si homo vulneratus, alioue modo laesus est, expensae in curationem factae, et operae amissae, quasque amissurus est, in aestimationem veniunt; cicatricum vero, et deformitatis ratio non habetur (*d*). Quodsi animal *mansuetum* contra naturam generis sui nocuit, eius dominus damnum compensare, vel animal noxae dedere, in animalibus autem *feris* aestimationem damni simpliciter praestare debet (*e*).

(*a*) Veluti si quis pecus, vt aliena depascat, immisit L. 6. Cod. *de L. Aquil.* Cap. 4. *de Iniur.*, res alterius igne corrupit Cap. 5. 6 *eod.*, arbores aut vites succidit L. 2. *Arbor. furt. caes.*, quibus aliisque *dolosis* corruptoribus poena quoque *arbitraria* infligenda est. L. 1. §. 1. *de extraord. crim.* (*b*) Veluti, si quis imperitia artis, quam profitetur, aliquid egit, vel infirmitatis suae parum memor aliquid suscepit, quo alteri nocetur. L. 5. 6 7. L. 30. 31. *Ad L. Aquil.* §. 3–8. Instit. *eod.* L. 8. *eod.* (*c*) L. 1 L. 44. pr. *eod.* Cum *factum cuique suum, non aduersario nocere* debeat. L. 155. *de R. I.* (*d*) L. 3. *Si quadrup. pauper.* L. 7. *de his, qui effud.* Cap. 1. *de Iniur.* (*e*) L. 1. §. 4. seq. *Si quadrup. pauper.* pr. et §. 1. Instit. *eod.* Cap. 9. *de Iniur.*

§ 1248 Vsura ex pacto vel ob moram

Creditor ex *solo mutuo*, pure scilicet ac simpliciter dato, *sortem* quidem (*a*), seu tantundem in eodem genere, quantum dedit, sed non plus a debitore exigere potest, alioquin exceptione plus petitionis repellendus (*b*). Quia vero debitor ex re, mutuo accepta, vtilitatem capit, creditor contra re, mutuo data, non sine periculo et incommodo carere interim de-

bet; nihil impedit, quo minus is et incrementum aliquod sortis stipulari (*c*), et, licet nihil stipulatus sit, ob *moram* debitoris in soluendo id amplius, *quod interest*, petere ab eodem possit (*d*). Id autem, quod creditor praeter sortem, siue eiusdem, ac sors, siue alterius generis sit, a debitore exigit, *vsura* seu *foenus* (*e*), et, prouti vel ex pacto, vel ex mora debetur, vsura vel *compensatoria*, vel *punitoria* vocatur (*f*).

(*a*) *Sors* generatim hic est certa rerum *fungibilium*, praesertim *pecuniae*, summa, alteri ex quouis titulo, plerumque mutui, debita. (*b*) L. 2 L. 11. §. 1. *de R. C.* (*c*) L. 1. 3. Cod. *de Vsur.* (*d*) L. 17. §. 3. 4. L. 32. §. 2. *de vsur. et fruct.* (*e*) L. 14. 16. Cod. *eod.* Can. 1—4. XIV. q. III. (*f*) Tertiam vsurae speciem, scilicet *lucratoriam* addunt, in eo sitam, quod vi *solius mutui* sine vllo alio titulo exigatur, eamque solam *proprie vsuram*, atque hoc nomine *prohibitam* esse, aiunt. Sed cum illi tituli, puta lucri cessantis, damni emergentis, periculi ac incommodi in recuperanda sorte, quibus vsurae *compensatoriae* et *punitoriae* nituntur, nunquam desint; consequens est, vt, qui vsuras stipulatus est, id non solius mutui, sed alio titulo fecisse censendus sit. Vsura igitur, quam *lucratoriam* vocant, in *foro* certe *externo*, nusquam apparet, nec facile quispiam adeo hebes erit, vt ex *solo* mutuo vsuras se stipulatum esse fateatur. Quod ad forum *internum* attinet, eadem vtique in stipulatione vsurarum, quae in aliis contractibus iniquitas committi potest.

§ 1249. Vsura moderata vel mordens.

Vsura, quae ad commodum, quod debitor capit, ad incommodum et periculum, quod creditor subit, aequam proportionem habet, *moderata*, quae hunc modum in perniciem de-

bitoris excedit, *mordens* appellatur; et talis quidem plurimum erit, vbi res haec feneratorum iudicio relicta est. Principis igitur est, legibus cauere, ne fenebre malum priuatorum opes exhauriat.

§. 1250. Leges de vsuris.

Ita vero ea de re in iure cautum est: 1. *Vsurae vltra alterum tantum*, id est, quarum summa adhuc debita maior est ipsa sorte, non exigantur (*a*). 2. *Anatocismus*, seu foenus ex fenore non fiat (*b*), fas igitur non sit, vsuras in sortem redigere, et totius summae vsuras capere (*c*). 3. Vsurarum nomine viris illustribus *trientes*, mercatoribus *besses*, reliquis *semisses* tantum, ob pecuniam vero, et species *traiectitias* non vltra *centesimas* stipulari, vel ex mora petere liceat (*d*).

(*a*) L. 10. L. 27. §. 1. Cod. *de Vsur.* Idem de vsuris, particulatim solutis, in Nouell. CXXI et CXXXIII. constitutum est, quod tamen vsus non seruat. (*b*) L. 26. §. 1. *de condict. indeb.* L. 27. *de re iud.* L. 29. *de Vsur.* (*c*) L. 28. Cod. *eod.* Hodie tamen anatocismus permittitur, siquidem debitor praeteriti temporis vsuras tanquam nouam sortem suscipere velit. (*d*) Ex antiquo Romanorum iure *centesimas* stipulari omnibus licebat; improbi autem feneratores *bis centesimas*, immo *ternas*, et *quaternas* exigere solebant. IVSTINIANVS tandem *veterem duram, et grauissimam vsurarum molem* ad mediocritatem reuocauit L. 26 Cod. *de Vsur.* Leges Germaniae vsuras *quincunces* tantum admittunt. *R. I. N.* §. 174; in pluribus tamen locis *semisses* permittuntur.

§. 1251. Ex iure canon. omnis vsura illicita.

Itaque *vsurae* nunc *licitae*, et *legitimae* sunt,

quae modum, lege definitum, seruant; *illicitae* autem, et *criminosae*, quae modum illum excedunt. Equidem ius nostrum omnes sine distinctione vsuras in crimen vocare videtur, cum illas omnibus, tum clericis, tum laicis seuerissime interdicit (*a*), de crimine, vtriusque testamenti pagina condemnato, arguit (*b*), eosque, qui licitas esse vsuras contendunt, veluti haereticos puniri iubet (*c*). Ex hoc igitur iure vsurarii, si clerici sunt, deponendi, si laici, excommunicandi, hi denique ac illi sepultura ecclesiastica priuandi essent (*d*).

(*a*) Can. 1. 2. 4. 5. 8. Dist. XLVII. Can. 11. Dist. LXXXVIII. Can. 1—12. XIV. q. IV. Cap. 2. *de Vsur.* (*b*) Cap. 3. 4. *eod.*, idque ex lege Mosaica forensi Exod. XXII. 25. Leuit. XXV. 36. 37. Deuter. XXIII. 19. 20., et ex Saluatoris nostri de colenda liberalitate et beneficentia monitis Luc. VI. 30—36. colligunt. (*c*) Cap. vn. §. 2. *de Vsur.* in Clem. Adde, quod etiam venditores, ob dilatam pretii solutionem pluris vendentes Cap. 6. 10. *eod.*, creditores ex pacto antichreseos re oppignerata vsurae loco vtentes Cap. 1. 2. 8. *eod.*, et ipsum fenus nauticum Cap. 19. *eod.* vsurariae prauitatis incuset. (*d*) Cap. 1. 3. 7. *eod.* Cap. 1. *eod.* in VI. Cap. 1. *de Sepult.* in Clem.

§. 1252. Quo sensu id intelligendum.

Sed animaduertendum hic est, canones illos eiusmodi temporibus editos fuisse, quibus leges de aequo vsurarum modo vel nullae erant, vel palam violabantur, omnesque adeo vsurae *mordentes* videri merito poterant. Caeterum omnes iuris nostri interpretes vno ore tradunt, canones illos de *lucratoriis* tantum vsuris intelligendos esse, quae tamen cum nusquam ap-

pareant (§. 1248.), fateantur quoque, necesse est, nullam in *foro externo* dari vsurariam prauitatem praeter illam, quae modum, lege definitum, excedit; hoc autem seruato, omnem de licitis vel illicitis vsuris quaestionem ad forum *internum* pertinere, ex eo aestimandam, an et quatenus creditor debitorem subleuare charitatis lege obstrictus sit.

§. 1253. Crimen falsi seu stellionatus.

Crimen *falsi*, seu *stellionatus* est dolosa immutatio vel suppressio veritatis, cum damno plerumque pecuniario alterius coniuncta. Cum crimen hoc *dicto*, *facto*, *scripto* et *vsu* committi possit; facile patet, innumeras fere eius species dari. Ius *canonicum* falsariorum nomine eos expresse notat, et, si laici sint, excommunicatione, si clerici, depositione ab officio et beneficio afficit, 1. qui falsum in iudicio testimonium dicunt, aut veritatem occultant (*a*), 2. qui falsum aurum vel argentum conficiunt, ex eoque monetam cudunt, vel expendunt (*b*), 3. qui bullas aliasque litteras pontificias adulterant (*c*), 4. qui falsis litteris pontificiis vtuntur (*d*).

(*a*) Can. 7. Dist. L. Cap. 1. *de crim. fals.* (*b*) Cap. vn. *eod.* Extrau. com. His similes sunt, qui falsis ponderibus aut mensuris ementes decipiunt Cap. 2. *de Emt. vendit.*, nec non qui sigillum principis falsificant Cap. 3. *de crim. fals.* (*c*) Cap. 4. *eod.* Quibus modis potissimum id fieri possit, in cap. 5. 6. *eod.* recensetur. (*d*) Cap. 7. *eod.*

§. 1254. Furtum, Rapina, Incendium.

Furtum sensu angustiori, quo nunc sumitur,

est dolosa ablatio rei alienae mobilis, inuito domino, et lucri faciendi animo facta (*a*). Furtum, quod fit per vim, personae illatam, *rapina* (*b*), qua res sacra, vel ex loco sacro profana aufertur *sacrilegium* (*c*), quo aedes sacrae, effractis valuis ac claustris, spoliantur, *violatio ecclesiae* speciatim dicitur (*d*). Furto longe grauius crimen est *incendium*, seu excitatio ignis non solum bonis, sed etiam vitae aliorum perniciosa (*e*). Incendiariis furibusque violentis canones excommunicationem, et, nisi poenitentiam subierint, sepulturae ecclesiasticae priuationem intentant (*f*).

(*a*) Itaque inuasio rei alienae immobilis, vsurpatio rei incorporalis, seu iuris alieni, et, quae ius Romanum habet, furta vsus ac possessionis §. 1. 6 10. Instit. *de oblig. quae ex delict.* non furti, sed alterius delicti, veluti vis, damni iniuria dati aut falsi nomine nunc appellantur. Quod autem omnis illicita rei alienae vsurpatio furtum dicatur can. 13. XIV. q. V., et, qui furti conscius quaerente domino non indicat, aut res, a se inuentas, clam detinet, furti nomine notetur can. 6. 8. *loc. cit.* Cap. 4 *de furt.* ratione *fori interni* intelligendum est. (*b*) *Pr.* Instit. *de vi bon. rapt.* Can. 13. XIV. q. V. Qui rem, quam suam existimat, siue mobilem, siue immobilem, rapuit, vel inuasit, rapinae quidem reus haud est L. 2. §. 18. *de vi bon. rapt.*; sed dominio rei suae cadit, et, si aliena res reperiatur, praeter restitutionem rei aestimationem quoque eius praestare tenetur. §. 1. Instit. *eod.* Can. 2. XVI. q. VI. Cap. 18. *de Praebend.* in VI. (*c*) L. 9. §. 1. *ad leg. Iul. pecul.* Can. Apost. 71. Can. 21. §. 2. XVII. q. IV. Caeterum quaeuis personarum rerumue sacrarum violatio *sensu latiori* sacrilegium vocatur. Can. 29. XVII. q. IV. Cap. 16. *de for. compet.* (*d*) Can. 12. XVII. q. IV. Cap. 16. *cit.* Cap. 22. *de sent.*

excom. (e) L. 28. §. 12. *de Poen.* Can. 31. 32. XXIII. q. VIII. Cap. 5. 6. *de Iniur.* (f) Cap. 1. 2. 3. 5 *de Raptor.* Cap. 19. 22. *de sentent. excomm.* Singulare remedium res, furto ablatas, vel quouis modo deperditas, recuperandi per *monitoria* scilicet *generalia*, et comminationem excommunicationis, vt, qui res eiusmodi possident, earumue notitiam habent, ad restitutionem, aut denuntiationem permoueantur, in Cap. vn. *de furt.* Extrau. Comm. proponitur, a Conc. Trid. XXV. Cap. 3. quidem laudatum, sed vsu nusquam receptum.

CAPVT X.

DE DELICTIS CARNIS.

V. 16. De Adulteriis et stupro.

§. 255. Delictum carnis, variaeque eius species.

Delictum carnis generatim est omnis concubitus, aliaue libidinis expletio, legibus repugnans. Eius variae sunt species, variis pro personarum statu nominibus notatae: 1. Concubitus soluti cum soluta meretrice, quae scilicet multorum libidini patet, *fornicatio* (a), cum soluta, virgine vel vidua, honeste viuente, *stuprum* (b) dicitur. 2. Concubitus cum persona ordinem religiosum professa, *sacrilegium* (c), cum ea, qua cum ob cognationem vel affinitatem matrimonium legibus prohibitum est, *incestus* (d) vocatur. 3. Concubitus vxoris cum eo, qui maritus ipsius non est, aut mariti cum ea, quae ipsius vxor non est, *adulterium* (e),

et adulterium, adhibita matrimonii forma commissum, *bigamia* (*f*) appellatur.

(*a*) L. 43. *de R. N.* Can. 16. Dist XXXIV. Can. 11. XXXII. q. IV. (*b*) L 6 §. 1. L. 34. *ad leg. Iul. de adult.* Stuprum *violentum* dicitur, si per vim, cui resisti non potest, vel per minas, praesens vitae aut corporis periculum inferentes, extortum est. L. 3. §. 4. *ad leg. Iul. de vi publ.* (*c*) Can. 11. XXVII. q. I. Concubitus clerici maiorum ordinum cum soluta non sacrilegii, sed fornicationis aut stupri instar habetur Cap 6. *de Bigam.* (*d*) L. 39. §. 1. *de R. N.* Can. 8. 9 XXXV. q. III. (*e*) Iure *Romano* adulterium non erat, nisi cum alterius vxore; vnde concubitus mariti cum soluta stuprum, non adulterium dicebatur. L. 6. §. 1. L. 34. §. 1. *ad leg. Iul. de adult.* L. 18. Cod. *eod.* Sed ius *canonicum* ex lege diuina I. Cor. VII 2. 3. 4., eandem a marito, quam ab vxore fidem coniugalem exigit, eiusque violationem vtrinque adulterii damnat. Can. 4. XXXII. q IV. Can. 20. 23. ibid. q. L. Can. 4. ibid. q. VI. (*f*) Cap. 1. seq. *de spons. duor.*

§. 1256. Poenae in eas canonicae.

Poenae, iure canonico in haec delicta constitutae, veluti excommunicatio, si laici, depositio, si clerici eorum rei essent, *ferendae sententiae*, hodie igitur *arbitrariae* sunt. Excommunicatio *latae sententiae* bigamis *similitudinariis* (§. 387.) tantum, iisque, qui incestas nuptias scienter contrahunt, denuntiata est (*a*). De *stupro* ratione obligationis *priuatae* ius canonicum statuit, vt, qui innuptam, honeste viuentem sollicitauit, et ad concubitum induxit (*b*), eam vel vxorem habere, vel dotare, hoc est, indemnem reddere teneatur (*c*). Quodsi pater puellae eam dare renuit, aut stuprator, clericus for-

te, vel maritus, ducere illam non potest, is ad praestandam indemnitatem praecise obligatur.

(*a*) Cap. vn. *de Consang. et affin.* in Clem. (*b*) Id, quod contra stupratorem iure praesumitur. L. vn. §. 2. Cod. *de Rapt. virg.* (*c*) Cap. 1. *de adult.*, vbi dicitur: *dotabit eam, et habebit vxorem.* Sed *alternatiuam* esse stupratoris obligationem, Cap. 2. *eod.* aperte indicat.

§ 1257. Concubinatus iuris Romani.

Concubinatus secundum ius *Romanum* est licita coniunctio maris et feminae, imparis plerumque conditionis, eoque animo assumtae, vt ne vxoris iure frueretur, sed *amicae* et *conuictricis* loco esset (*a*). Ita tamen concubinatus *licita* erat consuetudo, vt nec marito concubinam (*b*), nec cuiquam plures (*c*), nec illas habere liceret, quas vxores habere non licebat (*d*). Cum vero solus consensus nuptias facere, nec alia eas ineundi forma legibus praescripta esset (*e*), consequens erat, vt, concubinatus, an matrimonium subsit, ex eo penderet, vtrum maritalis honor ex affectio praecesserit (*f*), vt adeo concubina ab vxore solo delectu, et animi destinatione differret (*g*).

(*a*) L. 144. *de V. S.* L. 5. Cod. *ad sct. Orfit.* Vnde liberi, ex concubina nati, nec *legitimi*, nec patris sui *heredes* erant, nisi is concubinatum in nuptias commutasset. L. 10. 11. Cod. *de nat. lib.* (*b*) L. vn. Cod. *de Concub.* (*c*) Nouell. XVIII. Cap. 5. (*d*) §. 13. Instit. *de Nupt.* (*e*) L. 30. *de R. I.* Neque enim solennis domum deductio, nec instrumenta dotalia. L. 5. *de R. N.* §. 13. Instit. cit., ad substantiam nuptiarum pertinebant, cum nuptialis consensus, affectusque maritalis signa tantum essent. (*f*) L. 31.

pr. *de Donat* L. 9. Cod. *de Nupt.* (*g*) L. 4. *de Concub* L. 49. §. 4. *de Legat.* III.

§. 1258. Temporarius vel perpetuus.

Talis concubinatus, prouti vel ad tempus, vel per omnem vitam initus videbatur, ita vel *temporarius* vel *perpetuus* esse poterat. *Illum*, ceu naturae matrimonii, legique diuinae aperte contrarium, ecclesiae praesules semper reprobarunt (*a*); *hunc*, matrimonio adeo similem, tolerarunt (*b*). Sed, qui concubinatum perpetuum praetendit, cur eum in nuptias non commutet, adeoque mulieri vxoris nomen, liberis ius legitimorum natalium non tribuat, haud sane apparet (*c*).

(*a*) Can. 6. Dist. XXXIV. Can. 5. XXXII. q. II.
(*b*) Can. 4. 5 Dist XXXIV. Can. 6. XXXII. q. II.
(*c*) Can 9. XXXII. q. IV.

§ 1259 Vterque nunc proscriptus.

Merito igitur Leo Imp. in Graeca (*a*), tum Leo X. in Latina ecclesia (*b*) omnem generaliter concubinatum proscripsit; vtriusque autem legem Concilium Tridentinum per id maximopere stabiliuit, quod certam matrimonium contrahendi formam praescripserit, qua neglecta, nullus iam concubinatus vero matrimonio similis, adeoque licitus videri potest (*c*).

(*a*) Nouell. Leon. XCI. (*b*) Cap. 1. *de Concub.* in VII. (*c*) Conc. Trid. XXIV. Cap. 8. *de Reform. matrim.* Modus procedendi contra clericos et episcopos, de concubinatu suspectos, in Sess. XXV. Cap. 14. praescribitur. Cum matrimonia ad *morganaticam*, et *conscientiae* (§. 760. 762.) ex forma praescripta incantur, oppido patet, quantum a concubinatu differant.

§. 1260. Sodomia.

Sodomia, *nefanda libido*, *venus monstrosa*, est concubitus contra naturam eiusque ordinem admissus, veluti hominis cum bruto, aut hominis cum homine eiusdem sexus, vnde vel *generis*, vel *sexus sodomia* dicitur (*a*). Ius *canonicum* in huius flagitii reos, si laici sunt, excommunicationem, si clerici, depositionem vtrinque *ferendae sententiae* constituit (*b*), iique ex constitutione Pii V. curiae seculari tradendi essent (*c*).

(*a*) *L.* 31. Cod. *ad leg. Iul. de adult.* Can. 13. 14. XXXII. q. VII. (*b*) Cap. 4. *de Excess. prael.* (*c*) Cap. 2. *de Concub.* in VII.

§. 1261. Crimen raptus secundum leges.

Huc insuper refertur *crimen raptus*, cuius reus est, qui feminam honestam de loco in locum, vbi aliquamdiu latenter detineri possit, libidinis explendae causa abducit (*a*). Illud committitur 1. non solum contra voluntatem abductae, si per vim aut fraudem abducta est, sed ea etiam volente, si, abduci se, passa est, insciis et inuitis illis, quorum potestati subiecta est. 2. Raptus porro fit, etsi matrimonii ineundi causa factus dicatur, etsi nec concubitus intercesserit, etiamsi sponsam suam quis rapuerit (*b*). 3. Sed nec in meretricem, nec in feminam sui iuris consentientem, nec a femina in marem crimen raptus, proprie sic dictum, committitur.

(*a*) Illicita occupatio vel interceptio hominis, quae non libidinis causa, sed eo animo facta est, vt inter-

ceptus alieno arbitrio subiiciatur, *plagium*, seu furtum hominis dicitur. L. 1. seq. *de leg. Fab.* Cap. 1. *de furt.* (*b*) L. vn. Cod. *de Rapt. virg.* Can. 3. XXXVI. q. I. Can. 6. ibid. q. II.

§. 1262. Iuris canonici de eo sanctiones.

At veso *ius canonicum* raptum eatenus potissimum considerat, quatenus libertatem matrimonii afficit, eiusque ideo impedimentum constituit (§. 724.). Hinc 1. impedimentum istud contrahit, tum is, qui meretricem, tum femina, quae marem rapit, cum eadem vtrinque impedimenti illius ratio subsit. 2. Contra vero in illud non incidit, qui puellam volentem, inuitis licet eius parentibus (*a*), aut legitime sibi desponsam (*b*) abducit, cum ius canonicum consensum parentum in nuptiis liberorum absolute non requirat (§. 726.), sponsa autem iure dissentiendi se ipsam priuasse videatur. 3. Etsi raptae, in loco tuto positae, consensus raptorem ab impedimento liberet, is *nihilominus ipso iure excommunicatus sit*, *et*, *si clericus fuerit*, *de gradu suo decidat* (*c*), non vt matrimonium, sed illicitus illud aucupandi modus puniatur.

(*a*) Cap. 6. *de Raptor.* (*b*) Can. 49. XXVII. q. II. Can. 2. XXXVI. q. I. Can. 5. ibid. q. II. (*c*) Can. 1. 4. ibid. q. II. Conc. Trid. XXIV. Cap. 6. *de Ref. matrim.*

CAPVT XI.
DE FORMA IVDICII ECCLES. CRIMINALIS.

V. 1. *De Accusationibus, inquisitionibus et denuntiationibus.*
— 2. *De Calumniatoribus.*
— 22. *De Collusione detegenda.*
— 34. *De Purgatione canonica.*
— 35. *De Purgatione vulgari.*

§. 1263. Iudicii huius materia.

Iudicium *ecclesiasticum criminale* est, quod propter delictum coram iudice ecclesiastico eum in finem habetur, vt reus debita poena afficiatur. Huc ergo secundum *ius commune* pertinent non solum delicta *mere ecclesiastica*, a quibuscunque, sed etiam *ciuilia*, a clericis vel regularibus admissa (§. 420. 436.). At vero, vbi sublatum est fori clericorum criminalis priuilegium, ibi sola delicta *mere ecclesiastica*, mixta autem eatenus tantum fori ecclesiastici sunt, quatenus dispensatione vel absolutione ecclesiastica (§. 1188.) forsitan opus est.

§ 1264. Iudex competens ipse episcopus.

Iudex ecclesiasticus *competens* hic est ipse episcopus, non vicarius eius generalis, nisi ex speciali mandato (*a*): Episcopus autem hanc potestatem habet non solum in personas *immediate* subiectas, sed etiam in capitula *exemta* (*b*), et regulares quoscunque, extra claustra delinquentes; si, instante episcopo, a suis superio-

ribus non puniantur (c). In episcopos metropolitani, et in hos patriarchae iurisdictionem criminalem olim exercebant (d); nunc autem delicta episcoporum *grauiora*, quae nempe depositionem, vel amotionem mererentur (§. 467), immo, cessante synodorum prouincialium vsu (§. 486.) et *leuiora* summi pontificis iudicio reseruata sunt.

(a) Cap. 2. *de offic. vicar.* in VI. Conc. Trid. XXV. Cap. 20. (b) Idem *ibid* Cap. 6. (c) Cap. 8. *de Stat. monach.* Conc. Trid. XXV. Cap. 14. *de Regular.* (d) Can. 46. XI. q. 1.

§. 1265. Accusatio legitima olim necessaria.

Quod iure *Romano* constitutum est, nullum scilicet iudicium criminale rite institui posse, nisi iudex ad illud instituendum per legitimam *accusationem* prouocatus esset (a); idem canones antiqui identidem repetunt (b). Vt autem accusatio legitima sit, accusator *inscriptionem*, seu libellum accusatorium iudici offerre, in eoque delictum, et personam ream describere, locum item, mensem ac annum delicti commissi designare, oneri probandi, et poenae *talionis*, ni probarit, se subiicere, simulque, se perseueraturum in crimine vsque ad sententiam, cauere debet (c)

(a) L. 17. Cod. *de Accusat.* (b) Can. 4. 19. §. 2. 3. II. q. 1. Can. 5. 6. 8 9. III. q. IX Cap 1. *de Accusat.* (c) L. 3. 7 *de Accusat.* L. 3. Cod. *de his, qui accus. non pos.* Can. 1 – 5. II. q. VIII. vid., quae GRATIAN. ad Can 6. cit. annotauit.

§. 1266. Delicta accusantium, propria.

Eo diligentius igitur caueat accusator 1. a *calumnia*, ne, in falsi crimen incidisse oneri pro-

bandi succumbens, videatur (*a*); 2. a *praeuaricatione*, seu *collusione*, vt ne in gratiam accusati veras probationes dissimulet, falsas contra exceptiones admittat (*b*); 3. a *tergiuersatione*, ne a suscepta accusatione ante sententiam desistat (*c*).

(*a*) Can. 2. 3. II. q. III. L. 10. Cod. *de Calumn.* Cap. 1. 2. *eod.* (*b*) L. 1. §. 6. *ad sct. Turpill.* Cap. 1 2. *de collus deteg* (*c*) L. 4 6. *de Praeuaricat.* L. 1. 2 Cod. *ad sct. Turpill.* Can 8. II q. III. vid., quae Gratian. ad Can. 8. *cit.* addidit

§. 1267. Accusatio res valde odiosa.

Ita vero accusationis negotium non solum accusato, sed etiam accusatori valde molestum, ac periculosum erat, praeterquam quod accusatoris conditio non poterat non odiosa videri. Hinc etsi vnicuique ex populo ius accusandi daretur (*a*), immo et publici accusatores, ab onere subscriptionis in crimen liberi, constituti essent (*b*); manifesta tamen et grauia delicta persaepe impunita manebant, cum nemo accusationem factitaret.

(*a*) Exceptis iis, qui vel accusato terrori esse, vel pietatem accusando laedere, vel quocunque modo suspecti videntur. L. 8—13 *de Accusat.*, Can 14. II q I. Iisdem *canones* quoque ius accusandi negant Can. 5. 7. III q. V., insuper et speciatim admonent, vt nec clerici laicos, nec laici clericos, nec hi, nec illi episcopos facile accusent can 1. seq II q. VII. Cap 10 *de Accusat.* His omnibus tamen quoscunque accusare licet, si suam, vel suorum iniuriam, vel grauioris criminis reum persequantur L. 11. *de Accusat.* Cap. 27. *eod.* Cap 14. *de Testib* Cap. 24 *de Appellat.* Cap 2 *de Homicid.* in VI (*b*) L. 7. Cod. *de Accusat.* L. 6 §. 2. Cod *de custod. reor.*

§. 1268. Hinc praeter eam inquisitio instituta.

Quapropter Innocentius III., pontifex

iurium peritissimus, constituit, *famam* de commisso crimine *publicam*, *clamoremque publicum*, item *denuntiationem*, non accusandi, sed iudicem de crimine certiorem reddendi animo factam, accusationis vice ita fungi, vt iudex sua sponte in veritatem criminis eiusque auctorem inquirere teneatur, *non tanquam idem sit accusator et iudex*, *sed quasi denuntiante fama*, *vel deferente clamore officii sui debitum exequatur* (*a*).

(*a*) Cap. 14. 17. in *p. d.* Cap. 24. *de Accusat.* Cap. 31. *de Simon.* Cap. vn. *Vt eccles. benef. sine dimin.*

§. 1269. Processus criminalis accusatorius vel inquisitorius.

Inde *duplex* est iudicii criminalis forma, duplex *processus criminalis*, nimirum *accusatorius* et *inquisitorius*. Vterque eo tendit, vt insimulati culpa vel innocentia patefiat, noxius igitur poena afficiatur, innoxius iudicio liberetur. Vtriusque ergo *partes essentiales* sunt 1. *insimulatio*, quae iudicem iudicium de ea facere permoueat, 2. *causae cognitio*, quae tum criminis illati *probationem*, tum in illud vocati *defensionem* complectatur: 3. *Sententia*, quae vel condemnationem, vel absolutionem pronuntiet. Sed in *illo* partes, vt in processu ciuili, probandi, atque inter se disceptandi munus sustinent, in *hoc* ipse iudex tum criminis et culpae, in eo admissae, tum innocentiae causarumque excusantium probationes conquirere, et adhibere debet (*a*).

(*a*) Processus *accusatorius* per *priuatos* accusatores nusquam fere, per *publicos* in quibusdam duntaxat terris locum habet, in aliis vel in desuetudinem abiit, vel expresse abrogatus est. Itaque *processus inquisitorius*, etsi pro foro ecclesiastico tantum, et

contra clericos potissimum introductus est, primas in vtroque foro partes obtinuit.

§. 1270. Huic causam dat fama vel denuntiatio.

Equidem pontifex *denuntiationem* ab *accusatione*, et *inquisitione* per id distinguit, quod, *sicut accusationem legitima debet praecedere inscriptio, sic et denuntiationem charitatiua monitio, et inquisitionem clamosa insinuatio* (*a*); sed hac distinctione non diuersam processus speciem constituit, alteram modo praeter clamorem publicum inquisitionis causam, *denuntiationem* scilicet, designauit. Quaecunque autem canonum de *fraterna* illa *monitione* seu *correctione* mens sit (*b*), forum certe *externum* eius necessitatem haud agnoscit.

(*a*) Cap. 31. *de Simon.* Cap. 24. *de Accusat.* (*b*) Cap. 2. 20. *eod.* Can. 19. § 2. 3. II. q. I.

§. 1271. Item euidentia facti et exceptio criminis.

Sicut autem iudex, si quem in flagranti, seu ipso delinquendi actu deprehendit, quasi per clamosam insinuationem prouocatus, inquisitionem facere (*a*), ita quoque, si testi in iudicio ciuili crimen obiectum est, hoc probato, illum repellere, et quasi ex denuntiatione in illum inquirere debet (*b*). Sicut ergo probabilis vel *fama*, vel *denuntiatio*, ita quoque *euidentia facti*, vel *exceptio criminis* iustam processus inquisitorii causam constituit.

(*a*) Can. 15. 16. II. q. I. *Euidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris.* Cap. 9 *de Accusat.* (*b*) Cap. 2. §. 1. *de Ord. cognit.* Cap 1. *de Except.* Cap. 16. *de Accusat.* Quid iuris sit, si ei crimen obiiciatur, cui beneficium eccles. conferendum, vel iam collatum est, vid. Cap. 16. et 23. *de Accusat.*

§. 1272. Ipsa inquisitio quomodo instruenda.

Fundato per alterutrum modum inquisitionis iudicio, id maxime agendum est, vt accurata eorum omnium, quae tum ad naturam delicti eiusque circumstantias, tum ad personam rei eiusque qualitates pertinent, disquisitio fiat. Hoc autem recte atque ordine fieri non potest, nisi quaestiones generales de *corpore delicti* eiusque *auctore*, an scilicet delictum re ipsa, quo item tempore et loco, et a quo forte commissum sit, eum in finem praemittantur, vt ex iis intelligi queat, quae nominatim persona merito suspecta, et quarum speciatim rerum inuestigatio ad ferendam ex lege et aequitate sententiam adhuc necessaria sit.

§. 1273. Inquisitio generalis speciali praemittenda.

Duae igitur sunt *processus inquisitorii partes*, videlicet *inquisitio generalis*, in qua de delicto, eiusque opinabili auctore *generatim* quaeritur, et *specialis*, in qua a persona, de commisso delicto vehementer suspecta, quidquid ad augendam minuendamue culpam momentum habet, *singillatim* exquiritur. *Illa* nemini damno est; *haec* vero inquisiti famam laedit, atque suspensionem ab officio infert (*a*). *Illam* ergo *huic* semper praemittendam esse, non solum natura et scopus inquisitionis, sed manifesta etiam iuris ratio plane postulat.

(*a*) L. vn. Cod. *de reis postulat.* L. 3. Cod *de requis. reis.* Cap. 56 *de Testib.* Cap. 4. *de Accusat.* Cap. 4. 5. *de Simon.*

§. 1274. Tum citatio insimulati facienda.

Is autem, in quem inquisitio *specialis* facien-

da est, citatione *verbali* vel *reali*, vel *publica* seu *edictali* ita in ius vocandus est, vt ipse compareat, cum in causa criminali procurator non admittatur (*a*), nisi ad excusandam rei absentiam (*b*), vel nisi causa talis sit, vt et absenti poena irrogari possit (*c*). Si *legitime* et praesertim *edictaliter* citatus non compareat, refert, an poena, crimini, de quo agitur, imminens, praesenti tantum, an etiam absenti infligi possit. Si prius, iudex ecclesiasticus contumacem censuris, vt se sistat, compellere (*d*), si posterius, in eum, quasi de crimine confessum, sententiam ferre potest (*e*).

(*a*) L. 1. *An per al. caus. appell.* Cap, 15. *de Accusat.* Cap. 1. *de Iudic.* in VI. (*b*) L. 71. *de Procurat.* L. 13. §. 1. *de publ. iud.* (*c*) L. 33. §. 2. *de Procurat.* (*d*) Conc. Trid. XXV. Cap. 3. (*e*) L. 5. *de Poen.*

§. 1275. Eius custodia quando decernenda.

Custodiae reorum causa est metus fugae, et eludendi per eam iudicii. Ex quo consequitur, *reum praesentem*, siue ob criminis et poenae grauitatem, siue aliunde de fuga suspectum, in custodiam tradendum; leuioris criminis postulatum, nec de fuga suspectum suae promissioni *simpliciter*, de fuga suspectum *erga cautionem* committendum esse; ea igitur de re iudicem pro qualitate delicti, et personae: de eo suspectae, statuere debere (*a*).

(*a*) L. 1. *de custod. et exhib. reor.* Cap. 15. *de sent. excom.* in VI. Conc. Trid. XXV. Cap. 6. Cum sola fere delicta *mere ecclesiastica*, et quidem *clericorum* tantum *propria* ad forum ecclesiasticum nunc pertineant, perraro quoque opus est, vt ad iudicem ecclesiasticum delati in custodia includantur.

§. 1276. Plenae probationis criminalis ratio.

Probationes criminales, de crimine commisso scilicet, eiusque auctore fidem facientes, eaedem sunt, quae in processu *ciuili* habentur, praeterquam quod probatio, quae in iudicio ciuili alioquin *plena* est, in criminali non semper eam vim habeat. Si enim de grauiori crimine et poena agatur, leges *apertissima documenta*, *vel indicia indubitata*, *et luce clariora* (*a*) adeo requirunt, vt tanto crimine damnari non possit, nisi qui vel confessione vndique firmata, vel testimoniis plane idoneis conuictus fuerit (*b*).

(*a*) L. 25. Cod. *de Probat.* (*b*) L. 16. Cod. *de Poen.* Can. 1. 2. 18. II. q. I.

§. 1277. Consectaria.

Hic ergo 1. sola *confessio* delinquentis, in iudicio licet facta, plenam probationem non facit, nisi de corpore delicti satis constet, aliaeque circumstantiae cum eadem congruant (*a*); 2. *testis* plane *idoneus* non est, nisi annis viginti maior sit (*b*); 3. sola *indicia*, seu *praesumtiones* ad sententiam damnatoriam non sufficiunt (*c*). Sed in *leuioribus* delictis eam confessionem, easque testificationes et praesumtiones, quae in processu ciuili ad reum condemnandum satis validae sunt, tales quoque in criminali censendas esse, interpretes tradunt.

(*a*) L. 8. *de Confes.* L. 1. §. 17. 27. *de Quaest.* (*b*) L. 20. *de Testib.* (*c*) L. 5. *de Poen.* Cap. 14. *de Praesumt.*

§. 1278. Defensio rei maxime curanda et sustinenda.

Quod ad *probationem innocentiae*, seu *defensionem rei* attinet, ea tanto facilius admittenda,

tantoque magis ex probabilitatis, quam certitudinis iuridicae regulis aestimanda est, quanto fauorabiliores sunt partes rei, quam actoris (*a*), quantoque satius est, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari (*b*). Maxime igitur curandum est, ne quid praetermittatur, quod ad defensionem rei pertinet, adeoque *exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, vt facultatem habeat defendendi se ipsum; et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei publicanda, nec non exceptiones et replicationes legitimae admittendae, ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionum vero exclusionem deponendi falsum audacia praebeatur* (*c*).

(*a*) L 38. *de re iud.* L. 125. *de R. I.* Cap. 11. *eod.* in VI. (*b*) L. 5. *de Poenis.* (*c*) Cap. 24. *de Accusat.* Quamuis autem *capitula inquisitionis* reo non sunt tradita, aut nulla praecedente infamia, inquisitio in eum facta est; ob id tamen processus infirmari non potest, si modo de crimine satis constet, reusque de illo plane confessus sit. Cap. 1. 2. *de Accusat.* in VI.

§. 1279. Sententia criminalis absolutoria vel condemnatoria.

Peracta inquisitione sequitur *sententia criminalis*, et quidem, si insimulatus omnino innocens repertus est, *absolutoria*, si reus legitime aut confessus, aut conuictus est, *condemnatoria*, ritu modoque praescripto promulganda. *Illa* hanc vim habet, vt eius criminis, cuius quis expers iudicatus est, denuo reus agi non possit (*a*). *Haec* secundum *ius commune* per appellationem impugnari potest (*b*), cui tum demum locus non datur, si quis legitime confessus (*c*), vel in flagranti deprehensus (*d*), vel criminis,

quod statim puniri publice interest, conuictus (*e*), damnatione affectus fuerit.

(*a*) L. 7 §. 2. *de Accusat* Cap. 6. *eod* Excipe sententiam ipso iure nullam, veluti si quis per collusionem, vel praeuaricationem absolutus esset L. 3. §. 1. *de Praeuaricat.* Cap 4. *de collus. deteg.* (*b*) L. 6. *de Appell* Cap. 11. *eod.* (*c*) L. 2. Cod. *Quor. appell. non recip* Cap. 9. *de Excess praelat* (*d*) Cap. 6. §. porro *de Appellat.* Cap. 3 §. 5 *eod* in VI (*e*) L. 16. *de Appellat* Cap. 18 §. vtque *de Haeret* in VI. Ius *canonicum* specialim reprobat appellationem contra correctiones et coercitiones, queis superior ecclesiasticus subditorum mores corrigere nititur, nisi ipse ea in re modum excedat Cap 3. 26. 32. *de Appell.*

§ 1280 Purgatio vulgaris et canonica.

Haud raro contingit, vt reus nec confessus, nec conuictus sit, attamen merito suspectus videatur. Vsitata olim erat probatio, seu *purgatio*, *vulgaris* dicta, per duellum, ferrum candens, aquam feruentem vel calidam, aliosque ritus aecque superstitiosos fieri solita (*a*). Barbarum hunc morem summi pontifices semper reprobarunt (*b*), atque in eius locum *purgationem canonicam*, per iusiurandum ex canonum praescripto peragendam, substituerunt (*c*).

(*a*) Can. 7. § 1. Can. 15. 22. II. q. V Can. 24 XVII. q. IV. Cap. 1. *de purg can.* (*b*) Can. 7. 20. 22. II. q. V Cap. 1. 2. 3 *de purg vulg.* (*c*) Can. 4. 5. 6. II. q. V. Cap. 3. 4. *de purg. can.*

§. 1281. Huius ratio et modus.

De *canonica* vero *purgatione* canones ita statuunt, 1. vt non ob quaeuis, sed ob grauia tantum indicia de crimine valde suspecto, vel aliunde grauiter infamato indiceretur (*a*); 2. vt non solum suspectus, aut infamatus iuret, se crimen, sibi obiectum, non commisisse, sed vt alii quoque *compurgatores* fide digni (*b*), pro

causae et personarum conditione plures vel pauciores (*c*), adiurent, se credere, illum ex vero iurasse, adeoque innocentem esse (*d*); 3. vt, qui hac ratione se purgasset, omnino absoluatur; qui iurare recusaret, vel purgatores idoneos non haberet, quasi conuictus condemnetur (*e*).

(*a*) Cap. 12. 15. *de purg. canon.* (*b*) Cap. 7. 9. 11. *eod.* (*c*) Can. 12. 13. 16. II. q. V. (*d*) Can. 17. 19. *ibid.* Cap 5 13. *eod.* (*e*) Cap. 7. 8. 10. *eod.* Cap. 8. *de cohab. cler.*

§. 1282. Vsus eius rei hodiernus.

Cum vero compurgatores adhibendi mos dudum exoleuerit, has modo interpretes tradere solent regulas, videlicet 1. ex indiciis leuioris momenti, ideoque leuiter tantum suspectum *ab instantia* absoluendum esse; 2. ex grauibus indiciis vehementer suspecto iusiurandum *purgatorium* eo modo ac effectu, quo in processu ciuili deferri posse (*a*); 3. ex indiciis, et factis, per se inhonestis et illicitis suspectum poena *arbitraria* omnino dignum (*b*), immo quandoque *ordinaria* afficiendum esse, si quidem eiusmodi indicium delicto proximum, et poena ordinaria haud admodum grauis sit (*c*).

(*a*) *Diram quaestionem*, seu *torturam* L. 15. §. 41. *de Iniur.*, vtpote *rem fragilem et periculosam*, *et quae veritatem fallat* L. 1. §. 23. *de Quaest.*, canones nunquam probarunt. Quaestio, in Cap. 1. *de Depos.* in furem constituta, non torturam, sed arctius examen significat, et Can. 4. V. q. V., ab Isidoro illo (§. 170.) confictus, barbarum seculi IX. morem, non pontificis sententiam refert. (*b*) Cap. 14. *de Praesumt.* (*c*) Cap. 12. *eod.*

Anchora de prora iacitur, stant litore puppes.

Virgil. Aeneid. III. 277.

S. D. G.

INDEX
VOL. I.

PARS I.

Lectori Pag. III.
Præfatio ad Part. I & III. . . . V.

PROLEGOMENA. De iure ecclesiastico generatim.

I. Leges ecclesiasticae . . . Pag. 1
II. Diuinae, naturales et positiuae . 2
III. Humanae, ecclesiasticae speciatim et seculares —
IV. Illarum species ratione auctorum . —
V. Praeceptiones pontificiae earumque species 3
VI. Leges eccles. non scriptae vel consuetudines vel traditiones . . . —
VII. Ius eccles. subiectiue et obiectiue spectatum 4
VIII. Diuinum et humanum . . 5
IX. Publicum et priuatum . . 6
X. Graecum et Latinum . . . 7
XI. Catholicorum vel Protestantium . —
XII. Illud vel antiquum vel nouum . 8
XIII. Idque vel vniuersale vel commune vel particulare —
XIV. Fontes iuris eccles. noui, et quidem vniuersalis 9
XV. Fontes iuris eccles. communis . —

XVI. Tum etiam germaniae quondam proprii Pag. 9
XVII. Fontes iuris eccles. particularis . —
XVIII. Adminicula iuris eccles. praecipua 10
XIX. Ius eccles. publicum ac priuatum separatim traditum . . . 11
XX Minus apta haec seiunctio . . 12
XXI. Aptior pertractationis ratio generalia praestruit 13
XXII. Tum tria iuris obiecta sequitur . —

CAPVT I. De religione et ecclesia christiana generatim.

1. Religio eiusque notiones communes . 14
2. Cultus Dei eiusque species . . 15
3. Religio naturalis et reuelata . . 16
4. Religio res summi omnium momenti . —
5. Rationis humanae in constituenda religione infirmitas 17
6. Solutio dubii 18
7. Religionis reuelatae necessitas . . 19
8. Consectaria —
9. Religio christiana . . . 20
10. Traditionis notio et diuisio . . 21
11. Religio christiana initio sola traditione nitebatur 22
12. Sacra scriptura veteris et noui testamenti —
13. Canon librorum sacrae scripturae . 23
14. Translatio eius vulgata . . 24
15. Quaestiones de sacra scriptura perpetuae —
16. Responsa cuiusque ingenio relinqui non possunt 25
17. Traditio diuina omnino necessaria, eiusque testes sunt sancti patres . . 26

18. Doctrinae religionis Christianae partim scriptae, partim traditae . . Pag. 28
19. Vtriusque generis doctrinae vel fidei, vel morum dogmata vel sacramenta . 29
20. Fidei dogmata triplicis generis . 30
21. Leges Mosaicae . . . —
22. Doctrina euangelica . . . 31
23. Lex christiana de cultu Dei externo . 32
24. Liturgiae et disciplinae notio . . 32
25. Ecclesiae ad religionem christianam ratio 33
26. Ecclesiae christianae notio, finis triplex 34
27. Sacra, interna et externa: religionis et ecclesiae essentialia et accidentalia . 35
28. Eccles. christiana cathol., vna, et perpetua —
29. Eius partitio 36

CAPVT II. De potestate eccles. eiusque subiecto.

30. Potestatis et regiminis, societatis aequalis et inaequalis imperiique notiones generales 37
31. Potestatis et regiminis eccles. duae partes praecipuae 38
32. Potestas ordinis et iurisdictionis, Regimen internum et externum . . —
33. Partes potestatis ordinis . . 39
34. Partes potestatis iurisdictionis . . —
35. Potestas ecclesiastica a ciuili plane disiuncta. 40
36. Libertas conscientiae . . . 41
37. Cardo quaestionis de potestate ecclesiastica —
38. Nostra sententia 42
39. Potestas Petro et apostolis generaliter a christo concessa . . . —

40. Petri Primatus Pag. 43
41. Potestas apostolis demandata omnes potestatis eccles. partes complectitur . . 44
42. Modus, quo ea vsi sunt . . 46
43. Apostoli potestatem eccles. episcopis et presbyteris tradiderunt . . . 47
44. Traditio haec per sacramentum ordinis facta 48
45. Consectaria maximi momenti . . 49
46. Vulgaris de successoribus apostolorum opinio 52
47. Differentiae inter potestatem ordinis et iurisdictionis maxime notandae . . 53
48. Ecclesia christiana tanquam societas inaequalis ab ipso christo immediate instituta 55
49. Ecclesia docens et discens . . 56
50. Perplexae de potestatis eccles. subiecto loquendi formulae . . . —

CAPVT III. De hierarchia.

51. Ratio differentiae inter episcopos et presbyteros introductae . . . 58
52. Eius rei illustratio . . . 60
53. Episcopi presbyteris omnino superiores 61
54. Ecclesiae in dioeceses et parochias divisio 62
55. Canones antiqui de sedibus episcoporum 62
56. Diaconorum aliorumque ministrorum origo, Clericorum et Laicorum, Sacerdotii et Ministerii appellatio . . . 63
57. Ratio graduum et dignitatum inter episcopos 65
58. Metropolitani eorumque iura primaeua —

59. Exarchae, Archiepiscopi seu Primates praecipui tres Pag. 66
60. Patriarchae 67
61. Eorum ratio hodierna . . 68
62. Causa primatus Petro delati . . 69
63. Eo episcopi Romani ex consensu ecclesiae potiuntur 71
64. Consectaria 73
65. Hierarchia ordinis et iurisdictionis . 74
66. Hierarchiae notio magis vsitata . —
67. Quo iure, diuino an humano, hierarchia et clericorum ordo nitatur . . 75

CAPVT IV. De forma regiminis ecclesiastici, et natura primatus.

68. Modi, quibus regimen eccles. haberi potest 76
69. Omne regimen eccles. triplici ratione temperatum 77
70. Summa potestatis eccles. penes ecclesiam docentem 78
71. Consectaria 79
72. Ecclesiae docentis infallibilitas . 80
73. Eius explanatio . . . 82
74. Conditio dogmatis fidei catholicae . 83
75. Libertas conscientiae male intellecta . 84
76. Ecclesiarum particularium autonomia . 85
77. Ratio regiminis eccles. penes episcopos 86
78. Quaestio, vnde episcopi potestatem habeant, perfacilis 87
79. Ratio regiminis eccles. penes archiepiscopos 89

80. Axioma de iuribus primatus eccles. . Pag. 89
81. In eo nec Legislatoris, nec iudicis summi ius inest —
82. Notio primatus eccles, plana et distincta 90
83. Iura primatus naturalia et primigenia . 91
84. Iura eiusdem fortuita et aduentitia . 93
85. Regulae in iis diiudicandis seruandae . 94
86. Ratio regiminis eccles. penes primatum vniuerse 95

CAPVT V. De conciliis ecclesiasticis speciatim oecumenicis.

87. Concilii eccles. notio . . - 96
88. Diuisio 97
89. Ius concilia vocandi et dirigendi . —
90. Materiae in iis pertractandae . . 98
91. Personae ad ea agenda idoneae . —
92. Personae ad ea inprimis vocandae . 99
93. Locutiones hac de re ambiguae et perplexae —
94. Conciliorum habendorum tempora . 100
95. Eorum frequentatio penitus intermissa . 101
96. Nec est, cur vsus eorum reuocetur . 102
97. Concilia generalia hucusque habita . 102
98. Octo priora ad Orientem . . 103
99. Reliqua in ecclesia Occidentali acta . 105
100. Differentiae inter haec et illa . 108
101. De concilii generalis auctoritate, et requisitis sententia vulgaris . . 109
102. Summa potestatis eccles. concilio generali simpliciter tribui nequit . . 110
103. Qua ratione concilium generale vniuersam ecclesiam docentem repraesentet . 111

104. Concilii generalis auctoritas a consensu et approbatione vniuersae eccles. penitus pendet Pag. 111
105. Hunc assensum concilii legitime peracti indicem tantum esse, frustra sumitur . 112
106. Solutio dubii 114
107. Confirmatio pontificia, proprie sic dicta, minime necessaria . . . 115
108. Quo sensu vtiliter sit adhibita . 116

CAPVT VI. De ecclesia catholica speciatim.

109. Ecclesiae Romano-Catholicae notio 117
110. Ecclesia catholica vere apostolica . —
111. Datae notionis explanatio . . 118
112. Ecclesiae Christianae in sectas diuisio 120
113. Sectae in ecclesia Graeca a communione catholica alienae . . . —
114. Sectae in ecclesia Latina praecipuae 121
115. Sententia Protestantium de potestate et regimine eccles. . . . 123
116. Systema eorum episcopale . . 124
117. Systema territoriale et collegiale . 124
118. Sumtiones, quibus systemata nituntur 125
119. Explicatio systematis collegialis . 127
120. Systema hoc ab ipsis Protestantibus merito reprobatum . . - . 128
121. Fundamentum, cui systemata Protestantium superstructa sunt, commentitium . 129
122. Potestas eccles., ab apostolis in sacerdotes deriuata, eorundem semper fuit, eritque semper propria . . . 130
123. Conclusiones ex Protestantium principiis satis paradoxae . . . 131

124. Sententia eorum anceps, et non procul a periculo Pag. 133

CAPVT VII. De mutua ratione inter ecclesiam et civitatem.

125. Ecclesia in ciuitate . . . 134
126. Notio ciuitatis et imperii ciuilis . —
127. Origo eius incerta, vsus et finis certus 135
128. Imperii ciuilis summa et ambitus . . 136
129. Imperium ciuile ad ecclesiam quoque et causas eccles. pertinet . . . —
130. Lex Christiana imperii ciuilis firmamen. 137
131. Regimen eccles imperio ciuili nihil detrahit 139
132. Iura principum circa sacra . . —
133. Ius aduocatiae eccles. eiusque partes praecipuae 140
134. Ecclesia Christiana, et speciatim catholica ius aduocatiae merito apellat . 141
135 Dissidia in religione haud miranda . 142
136 Principum partes ratione ecclesiarum diuersae religionis . . . 143
137. Deuotio domestica simplex et qualificata 143
138. Exercitium religionis priuatum et publicum 144
139 Ecclesia recepta et tolerata . . —
140. Religio et ecclesia dominans . . 145
141. Ius Inspectionis secularis, eiusque ratio ad sacra interna . . . 146
142. Eiusdem vis in illis, quae ad sacra externa et regimen eccles. externum pertinent 147
143. Distinctio inter negotia mere eccles. et mixta hic parum valet . . . —

144. Iuris inspectionis secularis partes generatim Pag. 148
145. Eiusdem partes speciatim . . 149
146. Solutio dubii . . . 150
147. Vana Protestantium obiectatio . 151
148. Absona de potestate pontificia in principes opinio —
149. Immunitatis ecclesiasticae ratio . 154
150. Vtriusque potestatis concordia . 156

PARS II.

CAPVT I. De antiquis canonum collectionibus apud græcos.

151. Leges eccles initio paucae . . 158
152. Canones, qui apostolorum dicuntur . 159
153. Libri constitutionum apostolicarum . 160
154. Leges eccles. seculo IV. adauctae . —
155. Concilia antiqua magis notabilia . 161
156. Primi canonum codices apud Graecos —
157 Codex canonum ecclesiae vniuersae commentitius 162
158. Codex canonum Ioannis Scholastici . 163
159. Corpus juris ciuilis . . . 164
160. Nomocanon Ioan. Scholastici . 166
161. Codex canonum ecclesiae Orientalis . 167
162. Noua eius editio Photiana . . 168

CAPVT II. De antiquis canonum collectionibus apud latinos.

163. Canones ecclesiae latinae . . 169
164. Codex canonum Dionysii Exigui . 170

165. Eius auctoritas . . . Pag. 172
166. Collectio canonum Martini Bracarensis —
167. Concordia canonum Cresconii . 173
168. Corpus canonum Hispaniense . 174
169. Primatus eccles. amplificatio . 175
170. Isidori Mercatoris eam in rem fraudes 177
171. Artes, quibus fraudator vsus est . 178
172. Causae, ob quas fidem obtinuit . 180
173. Argumenta falsitatis . . . 181
174. Capitularia 182
175. Eorum collectiones . . . 183
176. Ratio in colligendis canonibus deinceps seruata 184
177. Regino Prumiensis . . . 184
178. Burchardus Wormatiensis . . 185
179. Iuo Carnotensis . . . 186
180. Gregorius VII. dominatus pontificii firmator —

CAPVT III. De corpore iuris canonici.

181. Partes Corporis Iuris Canonici . 188
182. Decretum Gratiani . . . —
183. Eius partitio et forma . . 189
184. Eiusdem materia . . . 190
185. Correctores Romani . . 191
186. Decretum magis emendatum . 192
187. Decreti fortuna . . . 193
188. Eius vis in amplificanda potestate pontificia 194
189. Dominatus pontificii specimina . 195
190. Potestas eccles. in causas ciuiles porrecta 198
191. Compilationes Decretalium . . 199

192. Ex antiquis quinque magis notae . Pag. 200
193. Earum vsus et auctoritas . . 202
194. Decretales Gregorii IX. . . 203
195. Earum materia et forma . . 204
196. Partes dicisae . . . —
197. Liber sextus Bonifacii VIII. . 205
198. Clementinae 206
199. Extrauagantes Ioan. XXII. . . 207
200. Concilii Pisani . . . —
201. Dein Constantiensis . . 208
202. Tum Basileensis contra pontificum licentiam molimina 209
203. Pontificum in eadem tuenda conatus 210
204. Extrauagantes communes . . 211
205. Editiones Corporis Juris Can praecipuae 212
206. Paul. Lanceloti Institut. Jur. Canon . 213
207. Petr Matthaei Liber VII. decretalium —

CAPVT IV. De auctoritate et usu Corporis iuris canonici.

208. Auctoritas Corporis I. C. ex acceptione 214
209. Huic causam dederunt Decretistae . 215
210. Tum Decretalistae . . . 216
211. Ius can et ciuile e scholis in fora peruenit 217
212 Legibus dein publice probatum . 218
213. Error veterum Iur. Canon interpretum 219
214. Conditiones, quibus corpus Iur. can. receptum est —
215. Librorum, ex quibus constat ad se inuicem ratio 222
216. Vis partium singularum . . 223

CAPVT V. De Concilio Tridentino et curia romana.

217. Concilii Trident Canones et Decreta Pag. 224
218 Pontificum vires in illud . . 225
219 Concilii Trident auctoritas . . 227
220. Regimen pontificium iuris eccles. commun. appendix 228
221. Curia Romana . . . 228
222. Cardinales 229
223. Eorum auctoritas . . . —
224. Consistorium secretum et publicum . 230
225. Causae consistorii secreti . . —
226. Causae publici . . . 231
227. Congregatio inquisitionis . . —
228. Congregatio indicis . . . 232
229. Congregatio interpretum concil Trid. 234
230. Congregatio rituum . . . 235
231. Dicasteria Gratiae . . . —
232. Tribunalia Iustitiae . . . 236
233. Cancellaria et Secretaria apostolica . 237
234 Regulae Cancellariae . . 238
235. Conciliorum collectiones et Bullaria . —
236. Bullarum papalium vis et auctoritas . 240

CAPVT VI De iure ecclesiastico particulari germaniae.

237. Fundamenta, queis ius eccles. Germaniae nitebatur 241
238. Episcopi et Abbates Germaniae ab imperatoribus constituti . . . 242
239. Ius eos eligendi ecclesiis relictum . 243
240. Ius regaliae sublatum . . 244
241 Ius eligendi capitulis concessum . 245

242. Quaerelae Germaniae de curia Romana Pag. 246
243. Concordata principum Germaniae cum Eugenio IV. 247
244. Capita eorum praecipua . . —
245. Concordata nationis Germanicae cum Nicolao V. minus aequa . . 248
246. Eorum ad priora ratio et incommoda inde orta 250
247. Archiepiscoporum Germaniae de illis tollendis consilia . . . 251
248. Noua concordata ineunda . . 252
249. Pacta publica de ecclesiis in Germania receptis 253
250. Capita illorum praecipua . . 254
251. Nunc cum aliis imperii German. legibus extincta 255
252. Ius eccles. German. hodiernum ex legibus principum 256
253. Concilia Germaniae et constitutiones dioecesanae 257

CAPVT VII. De præcipuis iuris eccles. scriptoribus.

254. Iuris canonici materia ecclesiae coaeua 257
255. Eam Gratianus seculo XII. in formam artis redegit 258
256. Inde canonum interpretes et Doctores —
257. Decretistae 259
258. Decretalistae . . . —
259. Eorum celebriores seculo XIII. . 260
260. Horum successores seculo XIV. et XV. 261
261. Iuris canonici eo tempore facies . 263

262. Eius rectius excolendi seculo XVI. auctores Pag. 264
263. Seculo XVII. Galliae Doctores cultioris iuris canonici patres . . . 265
264. Celebriores alii canonum doctores . 267
265. Canonistae Germani antiquiores . 269
266. Canonum disciplina ad tria iuris obiecta reuocata 270
267. Seculo XVIII. Germani Canonistae praecipui 271
268. Initio Decretalistae tantum . . 273
269. Tum veri iuris eccles. doctores . 274
270. Protestantium in colendo iure canonico studia 276

PARS III.

CAPVT I. De legibus humanis, speciatim ecclesiasticis.

271. Voluntatis humanæ natura . 279
272. Obligatio actiua et passiua . . —
273. Lex moralis eiusque partes . . 280
274. Summa legum ratio voluntas Dei . —
275. Rationis et reuelationis ope cognoscenda 281
276. Leges diuinæ naturales et positiuæ . —
277. Imperium human. diuinitus constitutum —
278. Leges humanæ ecclesiasticæ et ciuiles 282
279. Leges omnes diuinæ, humanæ aut mixtæ —
280. Obligatio interna, externa et mixta . 282
281. Leges præcipientes, prohibentes et permittentes 282

282. Leges inuitantes aut cogentes . Pag. 283
283. Consilium —
284. Leges humanæ pœnales et non pœnales 284
285. Ius stricte tale et permissiuum . —
286. Ius poli et fori . . . 285
287. Ius perfectum et imperfectum . —
288. Obligatio perfecta et imperfecta . —
289. Leges eccles. secul. et eccles. speciatim 286
290. Ius ferendi leges eccles. vniuersales —
291. Ius ferendi particulares . . —
292. Conditiones, quibus astrictum est . 287
293. Eius ratio in negotiis mixtis . —
294. Actus mere interni exemti . —
295. Promulgationis necessitas et effectus . 288
296. Leges humanæ in foro interno obligat. 289
297. Quousque obligent, a voluntate legislatoris pendet —
298. Vis legum pœnalium . . —
299. Leges pure pœnales et mixtæ . 290
300. Dantur leges pure pœnales . . —
301. Eiusdem fere generis sunt leges ex præsumtione facti 291
302. Lex prohibens actum ex regula irritum facit 292
303. Eadem vis legis, certam formam præscribentis —
304. Lex actum irritum faciens persæpe est prohibens —
305. Actus lege humana nulli in vtroque foro irriti 293
306. Legibus eccles. exemti, obstricti, excusatione tecti —

307. Legibus eccles. vniuersalibus omnes omnino subiecti Pag. 294
308. Vis legum particularium ex domicilio . —
309. Peregrini legibus particularibus ex regula exemti —
310. Legislator quousque teneatur . . 295
311 Legum abrogatio . . . —
312. Earum cessatio . . . 296

CAPVT II. De rescriptis ecclesiasticis,

313. Rescripta eccles . . . —
314. Gratiæ et iustitiæ. . . . 297
315. Vis eorum —
316. Signa falsitatis . . . —
317 Rescripti ad preces dati partes . 298
318 Vitium ob- et subreptionis . . —
319. Ratio inter rescriptum prius et posterius 299
320. Executoris rescripti partes. . . —
321. Modi, quibus rescripta perimuntur. . —

CAPVT III. De dispensationibvs et privilegiis eccles.

322. Dispensatio . . . 300
323 Ius dispensandi penes episcopos . —
324 Sententiæ contrariæ refutatio. . 301
325. Consectaria —
326. Iusta dispensandi causa . . 302
327 Dispensatio eccles in causis mixtis . —
328. Dispensatio superiorum in causa propria —
329. Priuilegii notio et diuisio . . —
330. Ius concedendi priuilegia eccles . 303
331. Quomodo intelligenda . . —

332. Vis eorum Pag. 304
333. Collisio priuilegiorum . . —
334. Modi, quibus cessant . . 305
335. Iustæ reuocationis causæ . . —
336. Iura singularia . . . —

CAPVT IV. De statutis ecclesiasticis.

337. Collegium, seu congregatio eccles . 306
338. Ius eiusmodi collegia instituendi . —
339. Eorum iura et statuta . . 307
340. Modus condendi statuta . . —
341. Eorum vis 308
342. Condit. iusti statuti . . —
343. Ius inspectionis in statuta . . —

CAPVT V. De consuetudine et observantia ecclesiastica.

344 Consuetudo eccles. . . 309
345 Moribus introducitur . . —
346 Consensu imperantis firmatur . 310
347. Consuetudines prauæ . . —
348. Consuetudo probatione indiget . —
349. Vis legitimæ consuetudinis . 311
350. Modi, quib. tollitur. . . —
351. Stilus Curiæ 312
352. Præiudicia —
353. Obseruantia eccles. . . . —
254. Eius ratio 313

CAPVT VI. De confirmatione iudiciali.

355. Confirmatio 313
356. Necessaria et voluntaria . . —

357. In forma communi et speciali . Pag. 314
358. Vtriusque effectus . . . —
359. Confirmatio vtilis et inutilis . —

CAPVT VII. De interpretatione legum.

360. Interpretatio grammatica, et iuridica 315
361. Illius partes 316
362. Huius species . . . —
363. Interpretatio doctrinalis triplex . —
364. Eius argumenta . . . 317
365. Regulæ generales . . . —
366. Interpretatio extensiua ob paritatem et similitudinem rationis . . . 318
367. Differentia inter vtramque . . . 319
368. Leges speciales neutram admittunt . —
369. Vsus interpretationis restrictiuæ . 320

VOL. II.

PARS IV.

Præfatio ad Part. IV. & VI. . . Pag. III.

SECTIO I. De statu clericali.

CAPVT I. De statu ecclesiastico et clericali generatim.

370. Tria iuris obiecta . . . Pag. 1
371. Persona, Status . . . —
372. Status ecclesiasticus . . . 2
373. Communis et peculiaris . . —
374. Status eccles, communis . . —

375. Eius iura, et obligationes . . Pag. 2
376. Respectu ecclesiae catholicae . 3
377. Status eccles. peculiaris triplex . —
378. Status clericalis; Clerici, Laici . —
379 Clerici tonsurati, ordinati . . 4
380. Ordines minores et maiores . —
381. Clerici minores . . . 5
382. Clerici maiores alii in ministerio . —
383. Alii in sacerdotio . . . 6

CAPVT II. De irregularitate.

384 Habilitas ad ordines . . 7
385. Irregularitas —
386. Irregulares ex defectu . . 8
387. Irregulares ex delicto . . 9
388. Consectaria 10
389. Effectus irregularitatis . . 11
390. Eius tollendae modus dispensatio . —
391. Certis in causis episcopo permissa . —

CAPVT III. De ordinationibus clericorum.

392. Ordinatio 12
393. Ius ordinandi penes episcopum . 13
394. Minister ordinarius qualis episcopus . —
395. Quinam proprius . . . —
396. Litterae dimissoriae . . . 14
397. Conditio episcopi se abdicantis . —
398. Presbyteri ministri extraordinarii . —
399. Locus et tempus tribuendi ordines minores 15
400 Solennia ordinationum maiorum . —
401. Scrutinium —
402. Eius necessitas . . . 16

403. Titulus Pag. 16
404. Saltus vitandus . . . 17
405. Interstitia seruanda . . . —
406. Tempora et loca ordinationum . 18

CAPVT IV. De obligationibus clericorum.

407. Canones ea de re ad tria capita reuocati 18
408. Vestitus et tonsura clericorum . 19
409. Actiones alioqui honestae clericis interdictae —
410. Vitiorum quorundam fuga speciatim praecepta 20
411. Caelibatus clericorum prioribus seculis 21
412. Matrimonia clericorum initio valida . —
413. Tum vero irrita . . . 22
414. Disciplina ecclesiae hodierna . —
415. Lex caelibatus partim eccles., partim 23
416. Controuersia de ea . . . 23

CAPVT V. De iuribus clericorum.

417. Iura clericorum singularia . . 24
418. Immunitas a muneribus ciuilibus . —
419. Beneficium competentiae . . 25
420. Priuilegium fori . . . 25
421. Eius circumscriptio . . . —
422. Priuilegium canonis . . 26
423. Iurium istorum amissio . . 27

SECTIO II. De statu religioso.

CAPVT I. De origine et varietate religiosorum.

424. Status religiosus: regulares, Seculares 28

425. Trium votorum ad hunc statum ratio Pag. 28
426. Eius conditores Basil et Benedictus 29
427. Monachi initio vnius generis, et laici —
428. Tum clerici, et in diuersas species diducti 30
429 Species eorum praecipuae . . —
430 Nouis incrementis auctae . . 32
431. Feminae religiosae . . . 33

CAPVT II. De professione religiosa.

432. Professio religiosa . . . 34
433. Iusta et valida . . . —
434. Expressa vel tacita . . . 35
435 Ante eam liber discessus . . —
436. Iura ex professione . . . 36
437 Obligationes ex ea . . . 37
438. Ius acquirendi bona monasteriis fere ademtum 38
439. Professionis religiosae vinculum arctissimum 39
440. Singularia de feminis religiosis . 40

CAPVT III. De rectoribus regularium.

441 Rectores monachorum et canonicorum regularium abbates . . . 40
442 Mendicantium et clericorum regularium superiores triplicis generis . . 41
443. Quinam et quomodo vtrinque constituendi —
444 Eorum potestas et regimen . . 42
445 Consensu vel consilio capituli astrictum 43
446. Iura abbatum pontificalia . . 44

447 Monasteria ratione regiminis eccles. exemta et non exemta . . . Pag. 45
448 Praelati Germaniae immediati quondam, vel mediati 46
449. Status religiosi fata nouissima . 47
450. Conditio regularium sublatis eorum monasteriis —

CAPVT IV. De religiosis Hospitalariis et Militaribus.

451. Religiosi hospitalarii et militares . 48
452 Ioannitici et Teutonici . . 49
453 Communia vtriusque ordinis . . 49
454. Ordinis Ioannitici in linguas diuisio . 50
455 Linguae Alemannicae prioratus duo . 51
456. Ordinis Teutonici constitutio . . —

SECTIO III. De statu eccles. speciatim sic dicto, seu de officiis ecclesiasticis.

CAPVT. I. De officiis ecclesiasticis generatim.

457. Status eccles. speciatim: Officium eccles. 52
458 Eius species praecipuae . . —
559. Officii sacri partes . . . 54
460. Praelati primigenii . . . —
461. Praelati secundarii . . . 55
462. Exemti eorumque species . . —
463. Officia eccles. speciatim sic dicta . 56

CAPVT II. De summo pontifice.

464. Summus Pontifex: Primatus . 56
465. Primatus honoris . . . 57
466. Primatus iurisdictionis . . 58

467. Causae maiores . . . Pag. 59
468. Iura primatus pactis circumscripta . 60
469. Iura eius patienter tolerata . 61

CAPVT III. De cardinalibus.

470. Cardinales . . . 62
471. Eorum creatio . . . —
472. Dotes 63
473. Munia viuo pontifice . . —
474. Munia eo vita functo . . 64
475. Iura cardinalium . . . 65
476. Eorum ornamenta . . . —

CAPVT IV. De legatis pontificiis.

477. Legati pontificii . . . 66
478. Nati —
379. Dati seu missi . . . 67
480. Natorum conditio hodierna . . 68
481. Vti et missorum . . . —
482. Nuntii in Germania . . 69

CAPVT V. De archiepiscopis.

483. Archiepiscopus . . . 70
484. Eius iura generatim . . —
485. Iura iurisdictionis olim insignia . —
486. Nunc pleraque oblitterata . . 71
487. Quaedam adhuc integra . . —
488. Pallium 72
489. Eius subiectum . . . —
490. Vis et effectus . . . 73
491. Vsus —
492. Honor crucis praeferendae . . 74

CAPVT VI. De episcopis.

493. Episcopus Pag. 74
494. Ius constituendi episcopatus . 75
495. Iura episcopalia . . . —
496. Iura iurisdictionis . . . —
497. Quatenus ab aliis haberi possint . 77
498. Lex dioecesana . . . 78
499. Iura ordinis communia . . 79
500. Iura ordinis reseruata . . 80
501 Aliis quoque concessa . . —
502 Communicationi omnino apta . —
503. Iura dignitatis episcopalis . . 81

CAPVT VII. De vicariis episcoporum.

504 Vicarii episcoporum duplicis generis 82
505 Ratione iurisdictionis quondam Archidiaconi 82
506 Nunc Vicarii generales . . 83
507. Eorum dotes 84
508 Potestas cum expresse . . —
509 Tum tacite circumscripta. . . 85
510 Eius cessatio 86
411 Consistorium episcopale . . —
412 Vicarii ratione ordinis olim Chorepiscopi —
413 Item Archipresbyteri . . 87
414. Nunc episcopi titulares, . . 88
515 A summo pontifice postulandi. . —

CAPVT VIII. De canonicis et capitulis cathedralibus.

516. Canonicorum institutio . . 89
517. Eorum quondam officia . . 90

518. Disciplina monachica . . Pag. 90
519 Mox dissoluta . . . 91
520. Dein penitus collapsa . . —
521. Canonici et canonicae seculares . —
522. Capitulum cathedrale presbyterii loco 92
523. Capituli cathedralis duplex consideratio —
524. Eius iura, prout est collegium ab episcopo separatum 93
525. Item prout est Senatus, cui praeest episcopus —
526. Sedem episcopalem vacantem capitulum administrat 94
527. Eius partes cum in spiritualibus . 95
528. Tum in temporalibus - . 96
529. Per Vicarium et Oeconomum exequendae —
530. Sedes impedita coadiutorem recipit . 97
531. Eius constituendi ius papae reseruatum 98
532. Munia veri coadiutoris . . 99
533. Coadiutor solius successionis causa . —

CAPVT IX. De parochis eorumque vicariis et capitulis ruralibus.

534. Parochia, Parochus, Parochiani . 100
535. Ius instituendi parochias . . 101
536. Regulae in eius vsu seruandae . —
537. Officia parochorum . . . 102
538. Et parochianorum . . . 103
539. Iura parochialia . . . —
540. Iuris parochialis limites . . 105
541. Vicarius parochi ficti verus parochus —
542. Vicarii et cooperatores parochorum 106

543. Capitulorum et Decanorum ruralium constitutio Pag. 106
544. Munia decani ruralis . . —

SECTIO IV. De beneficiis ecclesiasticis.

CAPVT I. De beneficiis ecclesiasticis generatim.

545. Praebendae clericorum primitiuae . 108
546. Beneficiorum origo . . . 109
547. Notio beneficii . . . 110
548. Eius Spiritualia et Temporalia . 111
549. Beneficium maius et minus . . . —
550. Seculare et regulare . . . 112

CAPVT II. De constitutione et immutatione beneficiorum.

551 Constitutio beneficii . . 113
552. Ius constituendi beneficia . . —
553. Modi, quibus beneficia immutantur . 114
554. Vnio beneficiorum . . . 115
555 Incorporatio . . . —
556. Differentiae inter vtramque . . 116
557 Oneris impositio . . . 117
558. Quatenus diminutionem inferat . —
559. Iusta immutatio qua ratione fiat . 118
560 Secularisatio 119

CAPVT III. De modis consequendi beneficia generatim.

561. Prouisio plena, minus plena . 119
562. Vtriusque species . . . 120
563. Ius prouidendi pars iurisdictionis eccles. —

564. Prouisio extraordinaria papalis . Pag 121
565. Item per primas preces , . 122
566. Prouisio canonica quae sit , . —
567. Beneficium vacans . . . —
568. Quatenus prouisionem admittat . 123
569. Tempus eius faciendae . . 124
570. Aetas praeficiendorum . . —
571. Ordo eorum . . . 125
572. Dotes aliae 126
573. Prouisio non gratuita nulla . . 128
574. Iura principis circa prouisionem . —

CAPUT IV. De electione et confirmatione.

575. Ius eligendi capitulis datum . 128
576. Electio, Postulatio . . . 129
577. Ius suffragii penes quos sit . . —
578. Quinam eligi non possint . . 130
579. Quinam recte postulentur . . —
580. Quinam postulari nequeant . . 131
581. Electionis institutio . . . —
582. Tempus eius peragendae peremtorium 132
583. Electionis canonicae forma triplex . —
584. Electio per Scrutinium . . 133
585. Eius non recte factae effectus . 134
586. Electio per compromissum . . 135
587. Compromissi exstinctio . . —
588. Singularia in electionibus monialium 136
589. Electi vel postulati consensus requirendus . . , . . —
590. Tum confirmatio vel admissio petenda 137
591. Vtriusque effectus . . . 138
592. Iura principis in electione . . —

593. Episcoporum consecratio . . Pag. 139
594. Abbatum benedictio . . —
595. Singularia in electione papae . 140
596. Nominatio regia . . . 141

CAPVT V. De collatione et institutione.

597. Collatio libera vel necessaria . 142
598. Libera collatio ex regula penes episcopum —
599. Ius episcopi, provis ad alium spectante 143
600. Ius capituli hac in re . . 144
601. Collationis liberae deuolutio . —
602. Institutio corporalis . . 145

CAPVT VI. De iure patronatus.

603. Ius patronatus, eiusque origo . 146
604. Modus illud constituendi fundatio . 147
605 Quinam ius hoc habere possint . 148
606. Quinam non . . . —
607. Eius species . . . 149
608. Modi in alios illud transferendi . 150
609 Ius patronatus plenum, minus plenum —
610. Vtriusque limites . . . 152
611. Regulae in prasentatione seruandae . —
612. Ius praesentandi penes plures . 154
613 Vis litis, de eo motae . . 155
614. Iuris huius exstinctio . . —

CAPVT VII. De obligationibus et iuribus ex beneficio.

615. Triplex huc spectat obligatio . 156
616. Fidei catholicae professio . . —
617. Breuiarii recitatio . . . 157
618. Residentia assidua . . . 157

619. Regulae, quibus astricta est . . Pag. 158
620 Residentia canonicorum laxata . 159
621. Distributionum apud illos ratio . —
622. Beneficia incompatibilia . . 160
623. Primi et secundi generis . . —
624. Dispensationes hac in re papales . 161
625. Ius ex triennali possessione beneficii 162
626 Ius in fundum beneficiarium . —
627. Peculium clericorum . . 163
628. Dominium olim valde circumscriptum —
629 Nunc libera testandi facultate firmatum 164
630 Scrupuli quos iniiciunt . . 165
631. Eorum solutio . . . —

CAPVT VII. De renuntiatione et translatione.

632 Priuatio, Renuntiatio beneficii . 166
633 Beneficiario inhabili coadiutor dandus 167
634 Priuationis causa delictum . . —
635 Renuntiatio exressa vel tacita . 168
636. Illa vel pura, vel sub conditione . —
637. Renuntiatio expressa quomodo facienda 169
638 Quinam superior eius causa adeundus —
639 Episcopi ea in re potestas . . 170
640. Translat vel priuat collat vel sequela est 171

PARS V.

SECTIO I. De rebus eccles. spiritualibus, speciatim de sacramentis.

CAPVT I. De rebus eccles. generatim.

641. Rerum eccles. duo genera . 172

642. Ritus et actus sacri . . . Pag. 172
643. Res spirituales et temporales . 173
644. Corporales et incorporales . . —
645. Iura spiritualia et temporalia . —

CAPVT II. De liturgia generatim.

646. Liturgiae partes . . . 174
647. Liturgia res maximi momenti . —
648. Eius seruandae causa libri sacrorum rituum confecti 175
649. Lingua latina et Graeca liturgiae consecrata 176
650. Linguae Latinae apud nos vsus omnino retinendus —
651. Vti semper et vbique retentus est . 177
652. Et nulla ratio contrarium suadet . 178
653. Episcoporum in re liturgica partes . 179
654. Principum circa eandem iura . . 180

CAPVT III. De sacramentis generatim.

655. Notio sacramenti . . . 181
656. Sacramenta septem . . . —
657. Partes eorum essentiales et accidentales —
658. Communis omnium sacramentorum effectus 182
659. Doctrinae de iis generales . . —

CAPVT IV. De baptismo, confirmatione et ordine.

660. Baptismus 183
661. Eius forma 184
662. Minister ordinarius . . . —
663. Subiectum baptismi . . . 185

664. Ritus obseruandi . . . Pag. 186
665. Confirmatio . . . —
666. Eius forma . . . 187
667. Minister ordinarius . . . 188
668. Ritus consueti . . . —
669. Ordo presbyteratus . . . 189
970. Eius forma —
671. Cur tria haec sacramenta iterari non possint. 190

CAPVT V. De poenitentia, eucharistia et extrema unctione.

672. Poenitentia eiusque partes . . 192
673. Eius peragendae necessitas . . 193
674. Minister sigillo confessionis obstrictus —
675. Is vt approbatus sit, et iurisdictione praeditus, requirunt . . . 194
676. Quilibet legitime ordinat. valide absoluit —
677. Etsi casus reseruatus sit . . 195
678. Poenitentiae disciplina olim valde seuera 196
679. Per indulgentias sensim oblitterata . 197
680. Indulgentiarum recentiorum ratio . 198
681. Vsus hodiernus . . . —
682. Eucharistiae notio. . . . 199
683. Eius materia . . . —
684. Et Forma . . i 200
685. Eius confectio sacrificii rationem habet —
686. Consectaria 201
687. Parochi in dispensanda, et parochianorum in accipienda eucharistia obligatio . —
688. Canones alii de eadem danda et accipienda 203

689. Missa publica et priuata . . Pag. 204
690. Canones de ea . . . —
691. Mos antiquus oblationum inter Missam 205
692. Inde stipendia missarum . . 206
693. Ritus eucharistiam in ostensoriis exponendi —
694 Vnctio extrema . . . 207
695. Eius minister . . . —
696. Eiusdem forma . . . 208
697 Reliqua hic obseruanda . . 208

CAPVT VI. De sacramento matrimonii.

698 Matrimonium . . . 208
699. Ex lege Christiana Sanctum et Sacramentum 209
700. Eius materia, forma et minister . 210
701. Absona de his aliorum opinio . —
702. Ritus in ministrando matrimonii Sacramento praescripti . . . 211

SECTIO II. De contractu et societate coniugiali.

CAPVT I. De civili et ecclesiastica in matrimonium potestate.

703 Iura principum in matrimonia . 212
704. Iura potestatis eccles. in ea . . 213
705. Limites sacrae potestatis . . —
706. Impedimenta matrimonii ciuilia et eccle. 214
707. Eorum ad se inuicem ratio . . —
708. Vtriusque potestatis iura initio seruata 216
709. Tum sola fere potestas eccles. de matrimonio statuit —

710. Id principium indulgentia factum . Pag. 218
711. Hinc nouae leges matrimoniales . 219
712. Regulae de iure dispensandi . —

CAPVT II. De impedimentis matrimonii impedientibvs.

713. Impedimenta eiusmodi quatuor . 221
714. Sacratum tempus . . . —
715. Vetitum 222
716. Sponsalia —
717. Votum 223
718. Scilicet simplex . . . —

CAPVT III. De impedimentis dirimentibus ex defectu consensus.

719. Impedimenta eiusmodi quindecim . 224
720. Consensus mutui ad matrimonium ratio 225
721. Error substantialis . . . —
722. Impotentia 226
723. Vis et metus 227
724. Raptus 228

CAPVT. IV. De impedimentis dirimentibus ex conditione personarum.

725. Aetas immatura . . . 228
726. Matrimonia liberorum et minorennium 229
727. Ligamen 231
728. Nuptiae secundae . . . —
729. Votum solenne et ordo sacer . 232
730. Cultus disparitas . . . —
731. Crimen adulterii et coniugicidii . 234

CAPVT V. De impedimentis dirimentibus ex consangvinitate et affinitate.

732. Cognatio triplex . . . 235
733. Gradus et Lineae . . . —

734. Computatio graduum . . . Pag. 236
735. Affinitas, eiusque gradus . . 237
736. Affinitas illegitima . . . 238
737. Leges Mosaicae et Romanae de gradibus prohibitis —
738. Eorum nimia amplificatio . . 240
739. Definita dein moderatio . . 241
740. Cognatio legalis . . . 243
741. Cognatio spiritualis . . . 244
742. Quasi affinitas . . . —

CAPVT VI. De sponsalibus.

743. Sponsalia 245
744. Inhabiles ad ea . . . 246
745. Sponsalia facere qui possint . . —
746. Consensus sponsalitus . . —
747. Sponsalia sub conditione . . 247
748. Item sub arrha et poena . . 248
749. Obligatio ex Sponsalibus . . —
750. Dissolutio eorum . . . 249

CAPVT VII. De matrimonio legitime contrahendo.

751. Consensus facit nuptias! . . 250
752. Matrimonia clandestina olim valida . —
753. Tum proscripta . . . 251
754. Denuntiatio publica . . . —
755. Denuntiatio priuata . . . 252
756. Forma matrimonii contrahendi legitima 253
757. Consectaria 254
758. Matrimonium per procuratorem . 256
759. Vis conditionum in matrimonio . —
760. Matrimonium solenne, consientiae et clandestinum 257
761. Legitimum et ratum . . . 258
762. Morganaticum et disparagium . —

CAPVT VIII. De obligationibus et iuribus ex matrimonio.

763. Officia et iura ex coniugio . . Pag. 259
764. Eaque coniugum inter se . . —
765. Liberi legitimi . . . 260
766. Ex iustis nuptiis et iusto tempore nati —
767. Ex matrimonio putatiuo . . 261
768. Illegitimi 262
769. Status liberorum vtriusque generis . —
770. Obligatio parentum liberos educandi 263
771. Legitimatio —
772. Vis matrimonii ea in re . . 264
773. Effectus legitimationis . . —

CAPVT IX. De dissolutione matrimonii.

774. Dissolutio matrimonii viuis coniugibus 265
775 Auctoritate iudiciali facienda . . 266
776. Accusatio matrimonii . . —
777. Forma iudicii ea in re . . 267
778. Matrimonii irriti resuscitatio . 268
779. Effectus matrimonii in irritum redacti 269
780. Diuortium legesque diuinae de eo . 270
781. Ecclesia nostra illud non permittit . 272
782. Idque non ob rationem sacramenti . 273
783. Matrimonium ratum solubile . . 274
784. Separatio a toro et mensa . . —
785 Mutuo coniugum consensu ea fieri potest 775
786. Causae separationis inuito altero . —
787. Adulterium causa separationis perpetuae 276
788. Effectus separationis a toro . 278

SECTIO III. De ritibus et actibus sacris praeter sacramenta.

CAPVT I. De ritibus sacramentalibus.

789 Rituum et actuum praeter sacramenta species 279

790. Ritus sacramentales . . . Pag. 280
791. Vnctiones, chrisma, et olea sacra . —
792. Benedictiones et consecrationes . 281
793. Consecrationes personarum ac rerum 281
794 Benedictiones earundem . . —
795 Ministri sacramentalium sacerdotes . 282

CAPVT II. De officio divino, speciatim sic dicto.

796 Ius statas ac solennes preces praescribendi 283
797. Officium diuinum, seu horae canonicae —
798 Breuiarium Romanum . . 284
799. Ecclesiae, in quibus horae canonicae quotidie agendae sunt . . . 285
800. Recitatio earum priuata . . —

CAPVT III. De diebus festis.

801 Dies Festi 286
802 Ius eos instituendi . . . —
803. Quinam primo et deinceps instituti . —
804 Praecepta ecclesiae de iis seruandis . 287
805. Sacra ex praecepto affirmatiuo obeunda 288
806 Missae auditio . . . 289
807 Actus ex praecepto negatiuo interdicti —
808 Dierum festorum ad iustum numerum reuocatio 290
809 Dies festus princeps pascha . . —
810 Calendarri Iuliani vitia . . 291
811. Calendarium Gregorianum . . —
812 Dies paschalis aliorum festorum index 292

CAPVT IV. De ieivniis et vigiliis.

813 Ieiunium eccles; abstinentia . 293
814 Stata ieiuniorum tempora . 294
815. Vigiliae 295
816. Canones de ieiunio et abstinentia . —
817. Quinam iis teneantur . . 296

CAPVT V. De veneratione sanctorum, sacris reliquiis et imaginibus.

818 Venerationis sanctorum ratio . Pag. 297
819. Ius beatos sanctosque renuntiandi . 298
820 Pontificum ea in re auctoritas . 298
821. Venerationis sacr. reliq. et imagin. ratio 299
822. Canones eam in rem . . —

CAPVT VI. De sacris exequiis et sepulturis.

823 Doctrina ecclesiae catholicae de precibus pro defunctis . . . 300
824 Exequiae, et sepultura sacra . 301
825. Exequiae post sepulturam . . —
826 Sacrorum funebrium locus parochia, minister parochus . . 302
827 Sepultura in ecclesiis interdicta . 303
828 Sepulturae electio quatenus libera . —
829. Iura stolae parochialis circa sepulturam et exequias . . . 304
830. Quibus canones sacram sepulturam negent 305
831. Denegationis huius ratio . . 306

CAPVT VII. De religione voti.

832. Natura et religio voti . . 307
833 Vota irrita . . . —
834 Votum reale, personale, mixtum . 308
835. Votum simplex vel solenne . 309
836. Voti obligatio tollitur irritatione . —
837. Item dispensatione . . 310

CAPVT VIII. De sanctitate iurisiurandi.

838. Iusiurandum, assertorium promissorium 311
839 Iurisiurandi sanctitas . . . —
840 Comites iusti iurisiurandi . . 312
841. Verba, quibus iurisiurandi vis insit . 313
842. Quinam iurare possint . . —
843. Iusiurandum corporale et simplex . 314

844 Canones de vi iurisiurandi promissorii Pag. 315
845. Consectaria —
846. Obligatio iurisiurandi accessoria . 316
847. Absolutio ab ea a quo et quomodo fiat 317

SECTIO IV. De rebus eccles. temporalibus, sacris speciatim et religiosis.

CAPVT I. De rebus eccles. temporalibus generatim.

848 Res eccles temporales duplicis generis 318
849. Res sacrae —
850. Res eccles. speciatim sic dictae . 319
851. Vtraeque mobiles vel immobiles . —
852. Ius circa res vel in re, vel ad rem 320
853 Vtriusque species . . . 321
854. Ius res aquirendi ecclesiis datum . —
855 Dominium earum rerum penes ipsas ecclesias 322
856. Dominium scilicet limitatum . 323

CAPVT II. De ecclesiis et aris generatim.

857. Ecclesia, seu templum . . 324
858. Oratorium domesticum. seu capella . 325
859. Capellae in ecclesias mutatae . 326
860. Ecclesiae, proprie sic dictae . —
861. Capellae publicae et priuatae . 327
862 Arae —
863. Arae lapideae . . . —
864. Arae fixae et portatiles . . 328

CAPVT III. De consecratione ecclesiarum et altarium.

865. Ecclesiae et Arae consecrandae . 328
866. Ius consecrandi penes episcopos . 329
867. Ritus consecrationis ecclesiae . —
868. Benedictionis ratio . . . 330

869. Ecclesiae aut Arae execratio . Pag. 331
870. Ecclesiae pollutae reconciliatio . —

CAPVT IV. De sacra ecclesiarum supellectili, et cœmeteriis.

871. Supellex ecclesiarum, vasa sacra . 332
872. Vestes, mappae et campanae . 333
873. Imagines, et varia instrumenta . 334
874. Coemeterium . . . 335
875. Eius benedictio . . . —
876. Eiusdem reconciliatio . . 336

CAPVT V. De ecclesiis aedificandis et reparandis.

877. Capellae priuatae conditio . . 336
878. Ecclesias et capellas publicas aedificandi ratio 337
879. Dos sufficiens vnde petenda . 338
880. Reparationis onus penes fabricas . —
881. Capellarum reparatio . . 339
882. Ecclesias parochiales reparandi obligatio —
883. Leges ea de re peculiares . . 341

CAPVT VI. De domibus religiosis.

884. Domus religiosae . . 342
885. Rerum suarum dominae . . —
886. Res earum quasi ecclesiasticae . 343
887. Hospitalia —
888. Eorum cura episcopis olim demandata 344
889. Monasteria 345
890. Scholae episcopales . . . 346
891. Vniuersitates studiorum . . 347
892. Academiae et Gymnasia . . 348
893. Scholarum episcopalium cessatio . —
894. Seminaria clericorum . . 349
895. Scholarum publicarum ad ecclesiam ratio 350

CAPVT VII. De aedium rerumque sacrarum sanctitate.

896. Canones contra profanam rerum sacrarum tractationem . . . Pag. 351
897. Continuatio 352
898. Asylum ecclesiasticum . . 353
899. Loca eo iure praedita . . 354
900. Crimina excepta . . . —
901. Ius Asyli circumscriptum, alibi sublatum 355

SECTIO V. De rebus seu bonis eccles. speciatim sic dictis.

CAPVT I. De bonis eccles. primigeniis.

902. Primitiae, oblationes, decimae initio voluntariae 356
903 Tum canones de iis soluendis editi . 357
904 Primitiae oblitteratae . . —
905 Oblationes adhuc voluntariae . —
906. Decimae in ecclesia latina legibus praeceptae 358
907 Decimae profanae iam antea vsitatae 359
908. Decimae sacrorum ministris dicatae . —
909 Decimarum possessio laicis interdicta 360
910 Argumentum interdicti . . 361
911 Tamen laici decimas retinuerunt . —
912. Hinc decimae ecclesiasticae et seculares 362

CAPVT II. De decimis speciatim.

913. Ius decimandi, decimae . . 362
914 Decimae reales et personales . 363
915. Illae maiores vel minores . . —
916. Veteres et nouales . . 364
917. Ius decimarum vniuersale vel particulare, plenum vel minus plenum . —

918. Decimae ex iure communi parochis debentur Pag. 365
919. Collegiis item ecclesiasticis quasi parochis —
920. Alii ex priuilegio aut praescriptione eas habent 366
921. Laici quoque eas praescribere possunt 367
922. Plures decimatores in eodem territorio 367
923 Regulae tum obseruandae . . —
924. Continuatio 368
925. Ius parochi in decimas nouales . —
926 Quinam decimis obnoxii . . 369
927. Decimae ex fructibus debentur . 370
928 Modus soluendi decimas . . —
929. Immunitas ex pruilegio . . 371
930. Item ex praescriptione . . 372
931. Vis consuetudinis . . . 373
932. Immunitas ex contractu . . 374

CAPVT III. De emphytevsi, feudis et censibus ecclesiasticis.

933. Alia bona eccles . . . 374
934. Praecariae 375
935. Feudum, actiuum et passiuum . —
936 Rectores ecclesiarum Prouasalli . 375
937. Iidem Prodomini . . . 376
938. Canones de emphyteusi eccles . 377
939. Census reseruatiuus et constitutiuus . 378

CAPVT IV. De iure ecclesiarum bona aquirendi.

940. Ecclesiae in aequirendo vtuntur iure communi 379
941. Exemplo est donatio vel pollicitatio ecclesiae facta 380
942. Aliud in testamentis et codicillis ad pias causas placuit —
943. Vnde priuilegia causarum piarum . 381

944. Domus religiosae quatenus alumnis suis succedant Pag. 382
945. Ecclesiae ab oneribus publicis olim immunes —
946. Immunitatis huius amplificatio . 383
947. Bona eccles iurisdictioni eccles. olim obnoxia —

CAPVT V. De alienatione rerum ecclesiasticarum.

948. Bonorum eccles. administratores . 384
949. Tria eorum genera . . . —
950. Bonorum eccles. alienatio regulariter prohibita 385
951. Notio alienationis . . . —
952. Eius explanatio . . . —
953. Iusta alienationis causa . . 386
954. Solennitas praescripta . . 387
955. Modus eam seruandi . . —
956. Ius ecclesiae facta alienatione iniusta 388
957. Annotationes . . . 389

CAPVT VI. De administratione rerum ecclesiasticarum.

658. Interdictum alienationis quatenus ad praelatos pertineat . . . 389
959. Alienationes praelatis permissae . 390
960. Beneficiariorum hac in re potestas . 391
961. Oeconomorum conditio . . 391
962. Vis contractuum ab administratoribus initorum 392
963. Beneficia legis ecclesiae obaeratae . 393

CAPVT VII. De praescriptione rerum ecclesiasticarum.

964. Praescriptio . . . 394
965. Acquisitiua et extinctiua . . 394
666. Possessio, Titulus . . 396

967. Summa doctrinae de praescriptione acquisitiua Pag. 396
968. Res praescriptioni obnoxiae, eaque exemtae —
969. Bona fides necessaria . . 397
970. Hinc iustus quoque titulus requiritur 398
971. Species praescriptionis ratione temporis 399
972. Iura cuique speciei propria . . —
973. Possessio continua aeque necessaria 400
974. Praescriptio interrupta . . 401
975. Praescriptio suspensa . . 402
976. Regulae de praescriptione contra ecclesias —
977. Natura praescriptionis extinctiuae . 403
978. Quatenus ea contra eccles. locum habeat —
979. Computatio temporis in ea . . 404
980. Iura huic praescriptioni obnoxia . 405
981. An ecclesiae contra praescriptionem in integrum restituendae . . . 406

PARS VI.

SECTIO I. De iudiciis ecclesiasticis generatim.

CAPVT I. De iurisdictione ecclesiastica.

982. Exordium 408
983. Iurisdictio eccles . . . —
984. Suprema et subordinata . . 409
985. Propria et aliena . . . —
986. Criminalis et ciuilis . . . 410
987. Eaque contentiosa vel voluntaria . —
988. Iurisdictio vel ordinaria vel extraordinaria, vel propria 411
989. Mandata vel delegata . . —
990. Differentiae inter utramque . . 412

CAPVT II. De iudicibus ecclesiasticis.

991. Iudex eccles. ordinarius, mandatarius, delegatus . . . Pag. 412
992. Iudices ecclesiastici ordinarii . . 413
993. Mandatarii —
994. Delegati 414
995. Qui delegare possint . . . —
996. Quinam delegari . . . 415
997. Delegati plures . . . —
998. Iudicis delegati officium et potestas . 416
999. Quomodo finiatur . . . 417

CAPVT III. De iudice et foro ecclesiastico competente.

1000. Forum competens et incompetens . 417
1001. Vtrumque ratione fori eccles. . 418
1002. Forum competens speciale . —
1003. Fori generalis ratio . . . 419
1004. Forum praeuentionis . . 420
1005. Fori competentis ad incompetens ratio —
1006. Iudex eccles. competens in prima instantia 421
1007. Iudex competens suspectus . 422
1008. Ius eum recusandi . . . —
1009. Iusti iudicis officium . . 423

CAPVT IV. De Materia et forma iudicii ecclesiastici.

1010. Iudicium eccles., Processus, Instantia, 424
1011. Iudicium eccles. criminale vel ciuile, idque possessorium, vel petitorium . 425
1012. Partes processus essentiales et accidentales 426
1013. Iudicium ordinarium, vel summarium —
1014. Ratio processus summarii et quae causae summarie sint tractandae . . 427

SECTIO II. De Iudicio ecclesiastico ciuili generatim.

CAPVT. I. De modis extra iudicium lites finiendi.

1015.	Transactio, et amicabilis compositio	Pag. 428
1016.	Qui et in quibus causis eam facere possint	429
1017.	Vtriusque vis et efficacitas . .	—
1018.	Arbiter, Compromissum, Laudum .	430
1019.	Arbitri iuris seu necessarii .	—
1020	Qui et in quibus causis compromissum facere possint . . .	431
1021.	Quinam arbitri eligi possint .	431
1022	Quomodo compromissum fieri possit	432
1023.	Officium arbitri . . .	—
1024.	Quid, si plures arbitri sunt? .	433
1025.	Conditio sententiae, ab arbitro dictae	434
1026.	Quando impugnari possit, vel non .	—
1027.	Compromissi dissolutio . .	435

CAPVT II. De personis, in quas iudicium exercetur.

1028.	Personae principales Actor, Reus. interueniens	436
1029.	Quae tales esse possint, vel non .	—
1030.	Personae accessoriae aduocati et procuratores	437
1031	Aduocatos adhibendi ratio . .	—
1032.	Procurator iudicialis , .	438
1033.	Differentia inter hunc et aduocatum	—
1034.	Syndicus, Actor, vtriusque constituendi ratio	439
1035	Mandati, quo procurator constituitur, species	440
1036.	Pro aliis postulare prohibiti .	—
1037.	Procuratores plures ad eandem causam	441
1038	Qui procuratorem constituere possint	—
1039.	Officia procuratoris . . .	442

1040. Quibus modis officium procuratoris finiatur Pag. 443

CAPVT III. De actionibus in iudicio instituendis.

1041.	Actio, eaque nominata, vel in factum	443
1042.	Actiones praeiudiciales et principales, eaeque reales vel personales . .	444
1043.	Item possessoriae seu interdicta, vel petitoriae	445
1044	Commoda possessoris . .	—
1045.	Actiones possessoriae triplicis generis	446
1046.	Possessorium ordinarium et summarium	447
1047.	Spolii notio . . .	—
1048.	Actio spolii . . .	448
1049.	Causae, eius vim remorantes .	—
1050	Exceptio spolii . . .	449
1051.	Causae, eam impedientes . .	—
1052.	Nuntiatio noui operis . .	—
1053.	Legitimatio ad causam, vel ad processum	450

CAPVT IV. De concursu actionum et causarum in eodem iudicio.

1054.	Actiones plures contra eundem institui possunt	451
1055.	Actio possessoria separatim instituta	452
1056.	Vna cum petitoria introduci et agitari potest	452
1057	Reconuentio . . .	453
1058.	A quo, in quibus causis, et coram quo iudice fieri possit . . .	—
1059.	Quomodo pertractanda sit . .	454
1060.	Causae praeiudicales . .	—
1061.	Quid, si alterius fori sunt . .	455

CAPVT V. De restitutione in integrum.

1062.	Restitutio in integrum . .	456

1063. Iustae eam petendi causae . Pag. 456
1064. Iudex ea de re competens . 458
1065. Tempus intra quod petenda —
1066. Effectus petitae et impetratae . —
1067. Ecclesiae beneficio restitutionis praeditae 459

SECTIO III. De singulis actibus in iudicio civili.

CAPVT I. De editione actionis, seu libello iudiciali.

1068. Libellus iudicialis . . . 460
1069. Eius partes - . . . —
1070. Plus petitio . . . 461
1071. Vitia libelli . . . 462

CAPVT II. De citatione aliisque actibus generalibus.

1072. Actus iudicii generales . . 462
1073. Citatio, Decretum simplex . . 463
1074. Citatio verbalis et realis . . —
1075. Illa vel priuata vel publica . 464
1076. Citatio monitoria vel arctatoria . —
1077. Iustae citationis forma . . 465
1078. Effectus citationis, lis pendens . —
1879. Sequestratio iudicialis . . 466
1080. Alia rerum, alia personarum . 467
1081 Dilatio legalis, iudicial. et conuentionalis 468
1082. Porogatio dilationis . . . —
1083. Contumacia . . . 469
1084. Poena contumaciae publica et priuata —
1085. Alterutrius irrogatio . . 470
1086. Iuramentum calumniae . . 471
1087. Generale —
1088. Speciale, seu malitiae . . 472

CAPVT III. De litis contestatione partiumque disceptatione.

1089 Introitus Pag. 473
1090. Litis contestatio . . . —
1091. Eius necessitas . . . —
1092. Negatiua est, vel affirmatiua litis contestatio 474
1093. Contumacia in lite contestanda . —
1094. Effectus litis contestatae . . 475
1095. Exceptio, eiusque species . . —
1096. Exceptiones dilatoriae . . 476
1097. Exceptiones peremtoriae . . —
1098. Regulae de iis generales . . 477
1099. Replicatio, duplicatio, conclusio in causa 478
1100. Regulae hic obseruandae . . —

CAPVT IV. De probatione iudiciali generatim.

1101. Probatio iudicialis . . . 479
1102. Eius species . . . 480
1103. Praesumtio iuris vel hominis, fictio iuris 481
1104. Partes iudicis circa probationem . 482
1105. Onus probandi cui incumbat . —
1106. Probatio in perpetuam rei memoriam 483
1107. Tum a reo, tum ab actore adhibenda 483
1108. Confessio 484
1109. Eius effectus . . . —
1110. Confessio qualificata . . 485
1111. Annotationes de confessione . 486

CAPVT V. De probatione per testes.

1112. Testes idonei et minus idonei . 486
1113. Testes inhabiles et suspecti . 487
1114. Quinam tales sint . . . 488
1115. Plena probatio per testes . . 489
1116. Modus probationem per testes rite instituendi —

1117. Partes iudicis ea instituta . . Pag. 490
1118. Citatio testium . . . —
1119. Eorum adiuratio . . . 491
1120. Examen testium . . . —
1121. Promulgatio rotuli testium, eiusque effectus 492

CAPVT VI. De probatione per instrumenta.

1122. Instrumenta publica et priuata . 493
1123. Instrumentum publicum, speciatim sic dictum —
1124. Quaenam publica . . . 494
1125. Quaenam priuata . . . —
1126. Vis instrumenti publici . . 495
1127. Vis priuati —
1128. Regulae ea de re generales . 496
1129. Modus probandi per instrumenta . 497
1130. Editio instrumenti proprii, vel communis —
1131. Editio alieni . . . 498

CAPVT VII. De probatione per iusiurandum.

1132. Iusiurandum lites expediendi remedium 499
1133. Eius ad lites decidendas tres species —
1134. Iusiur. voluntar. iudiciale . . 500
1135. Acceptandum vel referendum . —
1136. Necessarium iudiciale, suppletorium vel purgatorium 501
1137. Iusiurandum in litem . . 502
1138. Iusiurandum Zenonianum . . 503

CAPVT VIII. De sententia eiusque executione.

1139. Relationes ad principem . . 503
1140. Sententia definitiua vel interlocutoria 504
1141. Quid, si plures sunt iudices? . 505
1142. Sententia rite concipienda . . —
1143. Quomodo promulganda . . 506

1144 Potestas iudicis, ea promulgata . Pag. 507
1145. Res iudicata, eiusque vis . . —
1146. Consectaria . . . 508
1147 Actio iudicati ad executionem sententiae —
1148. Modus exequendi contra debitorem pecuniae . . 509
1149. Ratio executionis per executorem, vel alienum iudicem . . . 510

CAPVT IX. De remediis contra sententias iudicum.

1150. Remedia contra sententias . . 511
1151. Suspensiua et deuolutiua . . 512
1152. Appellatio iudicialis . . —
1153. Ius et causa appellandi . . 513
1154. Apellatio gradatim instituenda . 514
1155. Et in omni causa permissa est. . 516
1156 Apellatio rite interponenda . . —
1157. Apostoli olim petendi erant . 517
1158. Effectus interpositae appellationis . 518
1159. Apellatio quomodo introducenda . —
1160. Ius adhaesionis apellati . . 519
1161 Appellatio dein iustificanda est . —
1162 Quatenus causa ad statum litis contestatæ reducatur 520
1163. Sententia in iudicio appellationis . 521
1164. Appellatio extraiudicialis . . —
1165 Et quidem proprie sic dicta . —
1166. Extraiudicialis improprie sic dicta . 522
1167. Nullitas sententiae ob defectum insanabilem . . . 223
1168 Querela nullitatis . . . —
1169 Nullitas sanabilis . . . 524
1170. Restitutio contra rem iudicatam . 525
1171. Modus eam petendi . . —

SECTIO IV. De iudicio eccles. criminali.

CAPVT I. De delictis et poenis generatim.

1172. Delictum, seu crimen . . Pag. 526
1173. Poena delicti pedissequa . . 527
1174. Delictum eccles, ciuile, mixtum . 528
1175 Diuisiones aliae generales . . —
1176 Rei et conrei . . . 529
1177. Participes alieni delicti . . —
1178. Poena forensis, eccles. vel ciuilis . 531
1179. Diuisiones poenae . . . —
1180. Obligatio ex delicto publica . 532
1181. Item priuata . . . —

CAPVT II. De delictis iurisdictioni eccles. obnoxiis.

1182 Eadem fere ex vtroque iure delicta 533
1183. Quaedam mere vel eccles. vel ciuil. . —
1184. Illa communia vel propria . . 534
1185. Delicta iurisdictioni eccles. obnoxia —
1186. Vetus opinio de delictis mixtis . 535
1187. Infirma et minus recta . . —
1188. Vera de iis ex iure hodierno sententia 536

CAPVT III. De poenis ecclesiasticis generatim.

1189 Poenae in foro eccles. olim ciuiles . 537
1190 Hodie modicae tantum coercitiones . 538
1191 Poenarum eccles. duo genera . —
1192 Censurae et poenae speciatim . 539
1193. Vtraeque fere arbitrariae . . —

CAPVT IV. De censuris.

1194 Censura hominis vel iuris . . 539
1195 Censurae latae sententiae . . 540
1196. Officium iudicis, censuram ferentis 541
1197. Apellatio contra censuram . . —

1198. Excommunicatio maior et minor . 542
1199. Illius effectus in sacris . . 543
1200. Item in profanis negotiis . . —
1201. Excommunicati vitandi et tolerati . 545
1202. Interdictum personale et locale . 546
1203. Vtrumque generale vel particulare . —
1204. Interdictio eccles., et cessatio a diuinis 547
1205. Vsus interdictorum eccles. oblitteratus —
1206. Suspensio generalis vel specialis . —
1207. Annotationes de ea . . . 548
1208. Ius absoluendi a censuris . . 549
1209. Absolutio ad cautelam, et ad reincidentiam 550

CAPVT V. De poenis ecclesiasticis, speciatim sic dictis.

1210. Irregularitas ex delicto . . 551
1211. Priuatio beneficii . . . —
1212. Depositio —
1213. Degradatio 552
1214. Eius forma solennis . . 553

CAPVT VI. De delictis contra fidem et vnitatem ecclesiae.

1215. Infidelitas 555
1216. Cautelae contra eam . . 556
1217. Apostasia 557
1218. Haeresis, haeretici . . . —
1219. Recepti, tolerati, proscripti . 558
1220. Crimen haeresis . . . 559
1221. Notanda de poenis haereticorum . 560
1222. Schisma. 562

CAPVT VII. De delictis contra cultum deo rebusque diuinis debitum.

1223. Blasphemia. . . . 563
1224. Magia eiusque species . . 564

1225. Ortus et vanitas magiae . . Pag. 565
1226. Opinio de potestate diaboli . 566
1227. Inde noua magiae notio . . 567
1228. Explosa tandem, et eiecta . . —
1229. Simonia iuris naturalis vel eccles. . 568
1230. Illius explanatio. . . . —
1231. Quinam de illa rei sint . . 569
1232. Species illius praecipuae . . 570
1233. Quinam Simoniae non rei sint . 571
1234. Simonia iuris ecclesiastici . . 572
1235. Poena simoniae plerumque arbitraria —
1236. Poenae in eam speciatim constitutae 573

CAPVT VIII. De delictis in corpus et vitam hominis.

1237. Homicidium licitum vel illicitum . 574
1238 Illius species . . . —
1239. Moderamen inculpatae tutelae . 575
1240. Homicidium illicitum dolosum vel culposum 576
1241. Illud vel simplex vel qualificatum . 577
1242. Aliae illius species . . . —
1243. Poenae homicidii canonicae . 578
1244. Duellum, et poenae in illud constitutae 579

CAPVT IX. De delictis in famam et bona aliorum.

1245 Iniuria, eiusque species. . . 580
1246. Poenae in eas canonicae . . 581
1247. Damnum iniuria datum . . —
1248. Vsura ex pacto vel ob moram . 582
1249. Vsura moderata vel mordens . 583
1250. Leges de vsuris . . . 584
1251. Ex iure canon. omnis vsura illicita . —
1252. Quo sensu id intelligendum . 585
1253. Crimen falsi seu stellionatus . 586
1254. Furtum, Rapina, Incendium . —

CAPVT X. De delictis carnis.

1255. Delictum carnis, variaeque eius species. Pag. 588
1256. Poenae in eas canonicae . . 589
1257. Concubinatus iuris Romani . 590
1258. Temporarius vel perpetuus . 591
1259. Vterque nunc proscriptus . . —
1260. Sodomia 592
1261. Crimen raptus secundum leges . —
1262. Iuris canonici de eo sanctiones . . 593

CAPVT XI. De forma iudicii eccles. criminalis.

1263. Iudicii huius materia . . . 594
1264. Iudex competens ipse episcopus . —
1265. Accusatio legitima olim necessaria . 595
1266. Delicta accusantium, propria . —
1267. Accusatio res valde odiosa . 596
1268. Hinc praeter eam inquisitio instituta . —
1269. Processus criminalis accusatorius vel inquisitorius . . . 597
1270. Huic causam dat fama vel denuntiatio 598
1271. Item euidentia facti et exceptio criminis —
1272. Ipsa inquisitio quomodo instruenda . 599
1273. Inquisitio generalis speciali praemittenda —
1274. Tum citatio insimulati facienda . —
1275. Eius custodia quando decernenda . 600
1276. Plenae probationis criminalis ratio . 601
1277 Consectaria . . . —
1278. Defensio rei maxime curanda et sustinenda —
1279. Sententia criminalis absolutoria vel condemnatoria 602
1280. Purgatio vulgaris et canonica . 603
1281. Huius ratio et modus . . —
1282. Vsus eius rei hodiernus . . 604

Subscriptions - Anzeige.

Im Verlage der Herder'schen Buchhandlung in Rotweil wird auf Subscription erscheinen:

Dannenmayers, Matth., Dr. d. Theolog. und ehemaligem Professor der Kirchengeschichte und der theol. Encyclop. auf der Universität zu Wien, Leitfaden in der Kirchengeschichte. 4 Thl. gr. 8. circa 117 Bogen. Subscriptionspreis fl. 4. — Der nachherige Ladenpreis ist fl. 7. 12 kr.

Die Kirchengeschichte ist von jeher als das nützlichste und angenehmste Studium für die Religionslehrer angesehen worden. Die Kirchengeschichte zeigt im wirklichen Leben die Wahrheit, Herrlichkeit und Wohlthätigkeit des Christenthums, und rettet nicht nur dasselbe gegen unverdiente Beschuldigungen unverständiger Gegner, sondern es bewahrt uns selbst am kräftigsten vor Zweifeln, die bey einseitiger Auffassung der Religionslehre nicht selten entstehen. Die mannigfaltigen und oft so überraschenden Auftritte, die jedes Blatt der Kirchengeschichte zur Anschauung bringt, die mannigfaltigen Formen des reichen, kirchlichen Lebens können nicht anders, als zur Bildung des Geistlichen beitragen, indem sie ihm zeigen, wie Klugheit und Mäfsigung, Rechtschaffenheit und Gewissenhaftigkeit im Berufe zu jeder Zeit die schönsten Früchte getragen haben. Diese Geschichte ist es endlich allein, welche uns belehrt, wie das geworden, was jetzt ist, und warum es so geworden ist; sie zeigt, dafs auch in der christlichen Welt nichts isolirt dasteht, sondern mit der Vergangenheit in engem Zusammenhange steht, und wird eben dadurch oft eine Quelle des grösten Vergnügens. Daher wurden stets selbst voluminöse und theure Werke mit Beyfall aufgenommen. Es fehlte aber schon längst an einem Buche, welches zwischen einem voluminösen Werke und einem Compendium die Mitte hielt, und auch von weniger Bemittelten angeschaft werden konnte. Die unterzeichnete Handlung hat sich daher entschlossen, den einst so beliebten *Leitfaden in der Kirchengeschichte* von Dannenmayer, dem die Kirchengeschichte so viel zu verdanken hat, wieder neu aufzulegen, wenn sich eine hinlängliche Anzahl Subscribenten zu obigem so niedrigen Preise finden sollte.

Der berühmte Ildephons Schwarz, Benediktiner zu Banz, — durch sein Religionshandbuch bekannt, hat über diesen Leitfaden in dem IIten Bande seiner Anleitung zur Bücherkenntnifs für katholische Geistliche S. 14. folgende Kritik gegeben:

„*Diese ursprünglich deutschgeschriebene und vollständige Kirchengeschichte enthält ausser der von dem Begriff, Nutzen, Quellen, Hülfsmitteln u. s. f. der Kirchengesch. handelnden Einleitung in 5 Perioden, wovon Christus, Constantin der I., Carl d. Gr., Gregor VII., Luther und von da bis auf unsere Zeiten (1790) die Epochen sind, die Kirchengeschichte nach folgender Materienordnung abgehandelt 1) von der Stiftung und Ausbr. d. christl. Rel. von den Schiks. der christl. Kirche, 2) von der kirchl. Verfass. und Hierarchie, 3) v. d. Schriftstellern der K. Geschichte (soll heissen: von den Kirchenschriftstellern, patribus u. s. f.) 4) von der Lehre der orthodoxen Christen, 5) v. d. Ketzern und Ketzereien, 6) v. d. Kirchengebräuchen; 7) v. d. Sitten der Christen u. der Bussdisciplin, und 8) von den Concilien. Im 1sten B. ist die erste, im 2ten B. die andere und 3te Periode, im 3ten Theile die 4te Periode und im 4ten Theile die 5te Periode abgehandelt. Der Verf. zeigt sich hier als einen Mann von vielen Kenntnissen, von ausgebreiteter Belesenheit in den besten neuern historischen Schriften auch aus der protest. Kirche, mit der entschiedenen Neigung, das Gute derselcen zu benutzen. Er äussert freymüthige Wahrheitsliebe und Unpartheylichkeit in der Darstellung der Geschichte so wie sie ist, und verfährt aufrichtig. Vernünftige Begriffe suchte er über das Kirchenceremoniel, neue Heilige, Wundergeschichten und dergl. beizubringen. Vieles ist gut ausgeführt, hie und da aber kommen doch auch flüchtig gearbeitete Stellen vor, die entweder seicht gerathen sind, oder im wesentlichen eine Verbess. bedürfen. Doch ist des Brauchbaren und Bündigen weit mehr als jenes.*" —

die wir mit dem Bemerken wörtlich anführen, dafs sich ein rühmlichst bekannter Gelehrter schon seit einigen Jahren bemüht hat, — die von Ildephons Schwarz gewünschten Verbesserungen bey diesem Buche vorzunehmen.

Sobald die Verlagshandlung für die grofsen Unkösten einigermafsen durch eine hinlängliche Anzahl von Subscribenten gedeckt sein wird, — soll der Druck rasch beginnen, und schnell vollendet werden. — Liebhaber werden gebethen, sich zeitig zu melden, um dadurch das Erscheinen des Werkes selbst zu befördern. — Alle soliden Buchhandlungen Teutschlands nehmen Bestellungen darauf an.

Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Sauter, Joseph Anton,

Fundamenta iuris ecclesiastici catholicorum

Bd.: 2 seu Pars IV, V & VI

Rotwilae 1826

Bamberg, Staatsbibliothek -- J.e.o.63#2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11705334-5